INSTRUCTISSIMÆ

BIBLIOTHECÆ MANUALIS CONCIONATORIÆ,

TOMUS TERTIUS.

In quo

DE SACRAMENTIS, NOVISSIMIS, ALIISQUE INDIFFERENTIBUS REBUS

COPIOSA ET SELECTA PRO CONCIONIBVS, EXHORtationibus, aliísque ſpiritualibus Inſtructionibus materia,

NEMPE

DEFINITIONES, DIVISIONES, SENTENTIÆ SS. SCRIPTVRÆ, & SS. Patrum, Hiſtoriæ Sacræ & profanæ, Similitudines, Motiva, Media, Doctrinæ Aſceticæ, Conceptus prædicabiles, Miſcellanea, Axiomata, & Proverbia, & tandem Loca Authorum fuſiùs de tali materia tractantium, ex optimis quibusque Authoribus, ſingulari delectu & induſtriâ collecta, facilíque, ordinatâ, & gratâ Methodo digeſta proponuntur.

Opus omnibus animarum Paſtoribus, nec non Divini Verbi Præconibus, & vita Aſcetica Studioſis inprimis utile, & ad levandos Concionum labores accommodatum; cui præter alios Indices copioſus Index concionum pro Dominicis & Feſtis totius anni adjunctus eſt.

Operâ ac Studio

R. P. TOBIAE LOHNER,

SOC. JESU PRESBYTERI.



Cum Grat. & Privil. Sac. Cæſ. Maieſt.
Et facultate Superiorum.

NAPOLI

DILINGÆ,

Typis, & Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ Acad.

Per JOANNEM FEDERLE.

ANNO M. DC. LXXXI.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

HActenus binas tibi, benevole Lector, Bibliothecæ Manualis partes præſtantiorem, magiſque neceſſariam de Virtutibus & Vitiis materiam complectentes exhibui; Quoniam verò ad hoc, ut Homines ad virtutis amorem, & exercitium, vitiorúmque odium & fugam efficaciter perſuadeantur, neceſſarium eſt, ut & motiva, & media ad utrumque illum finem conſequendum idonea offerantur, & inter hæc meritò Sacramentorum religioſa frequentatio, & Noviſſimorum crebra & ſeria conſideratio primum mereri locum exiſtimantur, ideo ut hâc quoque in parte officio tuo faciliùs, fructuoſiúſque fungaris, etiam has materias pari ſtudio ex iiſdem fontibus collegi, & in hanc tertiam Bibliothecæ Manualis partem, eâdem ferè, quâ priores digeſſeram, Methodo transtuli; id tamen iterum moneo, non omnes me eiuſmodi miſcellaneas materias hâc parte comprehendiſſe, ſed eas duntaxat, quæ in praxi frequentiùs occurrunt, & de quibus ſæpiùs Concionatores ſeu Exhortatores ſermonem inſtituere ſolent ſelegiſſe; De aliis autem in quarta parte, non quidem ea amplitudine & prolixitate, quam in prioribus partibus tenui; ſed tamen, quantùm ex occaſione de talibus materiis diſcurrere breviter volenti ſatis erit, acturum. Interim vale, &, ut ex labore hoc meo optatum capias fructum, ſtude.

INDEX

INDEX TITULORUM HUJUS TOMI.

Titulus			
	I.	Angelus.	Fol. 1.
	II.	Anima.	fol. 12.
	III.	Baptiſmus.	fol. 19.
	IV.	Beatitudo.	fol. 25.
	V.	Cognitio ſui.	fol. 35.
	VI.	Confeſſio.	fol. 41.
	VII.	Conſcientia.	fol. 52.
	VIII.	Confirmatio.	fol. 59.
	IX.	Conſuetudo.	fol. 64.
	X.	Crux.	fol. 69.
	XI.	Chriſtus.	fol. 82.
	XII.	DEUS.	fol. 92
	XIII.	Euchariſtia.	fol. 106.
	XIV.	Examen Conſcientiæ.	fol. 126.
	XV.	Exemplum.	fol. 133.
	XVI.	Infernus.	fol. 141.
	XVII.	Judicium.	fol. 151.
	XVIII.	Lingua.	fol. 163.
	XIX.	Matrimonium.	fol. 174.
	XX.	Mors.	fol. 184.
	XXI.	Paſſio Chriſti.	fol. 203.
	XXII.	Purgatorium.	fol. 217.
	XXIII.	Religioſus Status.	fol. 227.
	XXIV.	Sacerdos.	fol. 246.
	XXV.	Spiritus Sanctus.	fol. 260.
	XXVI.	Tentatio.	fol. 270.
	XXVII.	Unctio Extrema.	fol. 286.

BIBLIO-

BIBLIOTHECAE MANUALIS CONCIONATORIÆ

TOMI III. TITVLVS I.

ANGELVS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Ioan. Damaſc. l. 2. c. 3. EST ſubſtantia creata, Spiritualis, intellectiva, completa: per quam ultimam particulam ab Anima rationali diſtinguitur. S. Joannes Damaſcenus fuſiùs eum ſic deſcribit: Eſt ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, arbitrio libera, incorporea, DEO miniſtrans, gratiâ, & non naturâ immortalitatem ſuſcipiens, cujus ſubſtantiæ ſpeciem & terminum, ſolus, qui Creator eſt, novit.

Diviſio.

Laur. Beyrl. in theat. vit. hum. v. ead. II. Dividitur in tres Hierarchias à S. Dionyſio Areopagita; quarum prima eſt, quæ immediatè illuminationes à DEO recipit, & in tres Choros ſubdividitur, nempe *Seraphinos* ab exceſſu caritatis appellatos: *Cherubinos* ſic vocatos ob ſcientiæ exceſſum: & *Thronos*, ſic appellatos, eò quòd in DEO immediatè rationes divinorum operum recognoſcant, ſicque in illis DEUS velut in Throno ſpecialiter reſideat.

Secunda Hierarchia eſt eorum Angelorum, qui ab Angelis primæ Hierarchiæ illuminantur, & iterum in tres Choros ſubdividitur, nimirum *Dominationes*, qui præcipiunt agenda, quod eſt Dominorum proprium: *Poteſtates*, qui ordinant actiones divinas, quas ſuperiores in inferiores agunt, eas ſurſum ducendo: *Principatus*, qui primi ſunt in eorum, quæ imperantur executione. Tertia Hierarchia eſt eorum per quos Homines illuminantur utpote ad quorum ſalutem procurandam mittuntur, pariterque in tres Choros dividuntur, *Virtutes*, qui exceſſum fortitudinis ad divinas operationes important, unde per eos infirmitates curantur: *Archangelos*, quorum munus eſt nuntiare ea, quæ ſunt majoris momenti, ſuntque velut Principes inferiorum: *Angelos*, quorum munus eſt nuntiare minora, Hominúmque ſalutem procurare.

Ex his novem Choris priores quatuor. Dionyſius *Aſſiſtentes* vocat, eò quòd ſemper aſſiſtant DEO; poſteriores verò quinque appellat *Miniſtrantes*, eò quòd ad varia Miniſteria deputentur, intellige de ordinaria via, nam extraordinariè etiam aliquot ex ſuperioribus Choris mitti S. Thomas & alii arbitrantur. *S. Dionyſ. Cœl. Hier. c. 8. & 13.* *S. Thom. p. 1. q. 117. a. 4.*

Officia.

III. Alia ſunt, quæ erga DEUM; alia, quæ erga Homines exercent. Prioris generis ſunt Intueri, admirari, laudare, adorare, amare, ſervire. Poſterioris *offerre* preces & alia opera, uti S. Raphaël Tobiæ faſſus eſt dicens: ego obtuli orationem tuam Domino: *Tob. 12. v. 12.* *illuminare*, id eſt, ea, quæ futura ſunt, aut ad ſalutem pertinent, per inſpirationem aut alia media docere: *defendere* tam à corporis, quàm Animæ periculis & malis: *Caſtigare*, Pœdagogi in morem, id quod non ſemel Angeli præſtiterunt: *Solari* & roborare in adverſitatibus, uti tribus Pueris in Babylonica fornace exiſtentibus fecit, dum excuſſit Angelus flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi rorem flantem. *Dan. 3. v. 49.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Exiſtentia.

I. Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus. *Pſ. 102. v. 20.*

II. Et factum eſt prœlium magnum in Cœlo Michaël & Angeli ejus prœliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in cælo. *Apoc. 12. v. 7.*

III. Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. *Dan. 7. v. 10.*

Apoc. 5. v. 11. IV. Vidi, & audivi vocem multorum Angelorum in circuitu throni, numerus eorum millia millium.

Hebr. 12. v. 22. V. Acceſſiſtis ad civitatem DEI viventis Jeruſalem cæleſtem & multorum millium Angelorum frequentiam.

Luc. 2. v. 13. VI. Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis.

Cuſtodia.

Zach. 9. v. 8. VII. Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes & revertentes.

Exod. 23. v. 20. VIII. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem præparavi, obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cùm peccaveris, & eſt nomen meum in illo. Quòd ſi audieris vocem ejus, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.

Hebr. 1. v. 14. IX. Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis.

Pſ. 90. v. 11. X. Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Matth. 18. v. 10. XI. Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis; Angeli enim eorum in cælis ſemper vident faciem Patriamei, qui in cælis eſt.

Pſ. 33. v. 8. XII. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Vel, ut S. Hieronymus vertit: circumdat Angelus Domini in agro timentes eum. Vel ut Septuaginta: Caſtra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum.

Judit. 13. v. 20. XIII. Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & non permiſit me Dominus Ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati revocavit me gaudentem in victoria ſua.

Luc. 16. v. 22. XIV. Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.

Cant. 3. v. 7. XV. Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſraël, omnes habentes gladios, & ad bella doctiſſimi, uniuſcujúſque enſis ſuper femur ejus propter timores nocturnos.

Dan. 6. v. 22. XVI. DEUS miſit Angelum ſuum, & obturavit ora Leonum, & non nocuerunt mihi.

Iſ. 62. v. 6. XVII. Super muros tuos Jeruſalem conſtitui Cuſtodes, tota die & nocte in perpetuum non tacebunt.

Dan. 10. v. 13. XVIII. Princeps regni Perſarum reſtitit mihi, & ecce Michaël unus de Principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remanſi ibi juxta Regem Perſarum.

Zach. 3. v. 7. XIX. Si in viis meis ambulaveris, & cuſtodiam meam cuſtodieris, dabo tibi ambulantes de iis, qui nunc hîc aſſiſtunt.

Apoc. 8. v. 3. XX. Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum DEI, & aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram DEO.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Cuſtodia.

I. Adeſt unicuiq; noſtrûm etiam minimo, qui ſunt in Eccleſia DEI, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus noſtris, corrigendis, & miſerationibus expoſcendis quotidie videat faciem Patris, qui in cælis eſt. *Orig. in num. hom. 66.*

II. Angelis non eget Natura, ſed imbecillitas noſtra; nihil eorum, quæ agimus, ignorat DEUS, ſed infantia noſtra ad erogandum & prometendum hos tales deſiderat oratores. *S. Hilarius in p. 129.*

III. Magna dignitas fidelium animarum, ut unaquæque habeat ab ortu Nativitatis in cuſtodia ſui Angelum deputatum, imò plures. *S. Hier. ſup. Matth. 18.*

IV. Fidelis Jaranymphus diſcurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens & referens dona; excitat iſtam, placat illum. *S. Bern. ſ. 1. de Ang.*

V. Angeli noſtros ſudores, non ſuos: noſtras, non ſuas lacrymas offerunt DEO, nobis quoque ejus munera referunt. *Ibid.*

VI. Ipſi amant nos, quia Chriſtus nos amavit. Dicitur certè vulgari proverbio: Qui me amat, & canem meum amat. Nos verò, o beati Angeli, catelli ſumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis, catelli autem cupientes ſaturari de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum noſtrorum, qui eſtis vos. *Ibid.*

VII. Quantùm, putatis, deſiderant cives cæleſtes inſtaurari civitatis ſuæ ruinas? quomodo diſcurrunt medii inter vos & DEUM, fideliſſimè ad eum portantes gemitus noſtros, & ipſius gratiam nobis devotiſſimè reportantes? planè non dedignabuntur, ut ſimus eorum ſocii, quorum facti ſunt jam miniſtri. *Idem ſ. 2. in vigil. Nativ.*

VIII. Bene tecum agitur (ô Sponſa) bene tecũ agitur in loco peregrinationis tuæ: de cælo, de terra venit tibi auxilium. Qui cuſtodiunt te, non dormitant, neque dormiunt, cuſtodes tui, Angeli Sancti, vigiles tui Spiritus. *Idem ſ. 77. in Cant.*

IX. Magna ſunt beneficia tua, Domine, quibus nos honorâſti, dans nobis Angelos tuos in miniſteria noſtrorum; dederas enim nobis, quidquid cæli ambitu continetur; & quaſi parva reputas hæc, quæ ſub cælo ſunt, niſi adderes ea, quæ ſuper cælum ſunt. *S. Aug. ſolil. c. 27.*

X. Gloriantur in cælo Angeli de profectibus hominum; ipſi enim velut procurationem animarum noſtrarum tenent, quibus, dum adhuc parvuli ſumus, velut tutoribus & actoribus committimur uſque ad præfinitum tempus à Patre. *Orig. ho. 8. in c. 21. Gen.*

XI. Anima nuſquam eſt ſine Angelorum Cuſtodia. Et ne dixeris in corde tuo, ubi ſunt? quis eos vidit? vidit eos Propheta Eliſeus, & fecit, orando, ut videret etiam Giezi. Tu non vides, quia non es Propheta, nec Puer *S. Bern. in 1. Cant. ſ. 8.*

Pro-

Google

Prophetæ. Vidit Patriarcha Jacob, & ait: Caſtra DEI hæc ſunt. Vidit & Doctor Gentium, qui dicebat: Nónne omnes adminiſtratorii Spiritus? ergo Angelicis ſuffulta miniſteriis & ſuperno ſtipata agmine Sponſa incedens, ſimilis eſt equitatui Domini, prout in Canticis dicitur: Equitatui meo curribus Pharaonis aſſimilavi te amica mea.

S. Hieron. apud Albertin. c. 3. de Ang. Cuſt. XII. Vide, ô Homo, quanta ſit dignitas Animæ, & quanti eum æſtimet ipſe DEUS, qui à momento Nativitatis tuæ aſſignatum tibi de cælo voluit Cuſtodem Angelum, & hunc tantæ potentiæ, ut citiùs ictu oculi poſſit univerſum mundum invertere: tantæ Majeſtatis, ut S. Joannes, tametſi cum Chriſto ipſo familiariter converſari ſoleret, ad conſpectum Angeli provolveretur in terram, eum adoraturus, tam inexplicabili ſcilicet ipſius vultus dignitate & claritudine coruſcabat. Et tamen, ô Homo, hic Angelus tam potens, tam ſplendidus ac venerandus, abs DEO tibi in Tutorem adjungitur.

Cultus.

S. Bern. S. in 12. pſ. XIII. Habetote familiares Angelos, Fratres mei, frequentate eos ſedula cogitatione, & devota oratione, qui ſemper vobis adſunt ad cuſtodiam & conſolationem.

Idem. in S. de Ang. XIV. Simus devoti, ſimus grati tantis Cuſtodibus, redamemus eos, quantùm poſſumus, quantùm debemus, affectuosè, tanquam futuros aliquando cohæredes, & noſtros interim Actores & Tutores à Patre poſitos, & præpoſitos nobis; adhuc enim parvuli & ſub Tutoribus & Actoribus ſumus.

Ibid. XV. Quoties ergo graviſſima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca Cuſtodem tuum, Directorē tuum, Adjutorem tuum in opportunitatibus tuis. In tribulatione enim neque dormitat, neque dormit, etiamſi videatur quandoque ad tempus diſſimulare.

Ibid. XVI. Væ nobis, ſi quando provocati ſancti Angeli peccatis & negligentiis noſtris, indignos nos judicaverint præſentia & viſitatione ſua, quâ nos protegere, & propulſare inimicum poterant. Quòd ſi neceſſariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda eſt nobis eorum offenſa, & in his maximè exercendum, quibus novimus eos maximè oblectari. Hæc autem placent eis, quæ in nobis invenire delectant, ut eſt ſobrietas, caſtitas, paupertas voluntaria, creber in cælum gemitus, & ſuper hæc omnia veritatem & pacem à nobis exigunt.

Idem. in S. 40. ſup. illud: acceſſerunt Angeli. XVII. Tu ergo, ſi vis habere Miniſterium Angelorum, fuge conſolationes ſeculi, & tentationibus reſiſte Diaboli.

Idem in pſ. qui habitat. XVIII. In quovis diverſorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam exhibe, nec audeas illo præſente, quod me vidente non auderes. Adſunt igitur tibi non tantùm præſentes tecum, ſed etiam pro te adſunt, ut protegant: adſunt, ut proſint.

S. Bonav. XIX. Vult Dominus, ut Angelis aſſimilemur, ut ardeamus amore cum Seraphin, divinorum ſcientiâ fulgeamus cum Cherubin, Spirituales facti omnia judicemus cum Thronis, nobis ipſis dominemur cum Dominationibus, fortiter reſiſtamus inordinatis motibus cum virtutibus, regnum animæ in pace gubernemus cum Poteſtatibus, provideamus cum Principatibus, magna Proximis exhibeamus cum Archangelis, minora indigentibus ſubſidia impertiemur cum Angelis. *opuſc. de 7. itin. ætern.*

XX. Si Homo non acquieſcit monitis Angeli, qui ſibi deputatus eſt ad ſalutem, auferetur maceria ejus, & erit in proculcationem. Quòd ſi Princeps meus, Angelum dico, qui eſt mihi conſignatus, commonuit me de bonis, & locutus eſt in corde meo, ſed ego contemptis ejus monitis, & ſpreto conſcientiæ retinaculo præceps in peccata corruo, duplicabitur mihi pœna vel pro contemptu Monitoris, vel pro ſcelere commiſſo. *Origen. ho. 20. in c. 25. num.*

§. IV.

EXEMPLA CATHOLICA.

Cuſtodia.

I. CHriſtus Dominus in monte Oliveti ſeſe ab Angelo confortari paſſus eſt. *Luc. 22. v. 43.*

II. B. Virgo à S. Archangelo Gabriele ſalutata eſt, & nuntium Incarnationis Chriſti per ipſam peragendæ accepit. *Ibid. c. 1.*

III. Cùm D. Ambroſius Auxentium Epiſcopum Arrianum provocâſſet, ut ſe diſſerentem in Eccleſia audiret, evenit, ut quidam vir de Hæreſi Arrianorum, acerrimus diſputator, ad Eccleſiam ſe conferret, qui, cùm loquente Epiſcopo vidiſſet Angelum ad aures adſtantem, &, quæ diceret, inſpirantem, converſus fidem, quam oppugnaverat, ipſe defendere cœpit. *Paulinus in vita.*

IV. S. Franciſca Romana duos ſemper ſecum Angelos habebat, unum ex Archangelorum Choro, qui nunquam ab ea diſcedebat; & alium ex quarto ordine, qui non quidem aſſiduè, ſed frequenter tamen ſe illi oſtendebat. Hos ſæpe præſentibus aliis ſed nihil videntibus, hâc ferè ſpecie intuebatur. Veſtes erant candore plerumque niveo, aliquando cæruleo, rariùs purpureo colore; alter impreſſa ſemper in crucis modum brachia pectori apprimebat; alter ex auro tres palmæ ramulos dextrâ præferebat: uterque, quamvis vicini eſſent virgini (alter enim ſemper dextrum claudebat latus) in cælum defixos habebat oculos: utrique promiſſa & aurea Cæſaries: utrique ea claritas vultus, ut præ altero ſol ipſe minùs luceret, præ altero nubeculæ inſtar obſcuræ videretur. *Guil. Baldes c. 2. & ſim. c. 2.*

V. Wenceslaus Bohemiæ Rex occurrens in finibus Duci Curimenſi, qui fines regni hujus vaſtabat, ei ſingulare certamen obtulit, ut multorum cædibus paveret. Ubi ventum eſt ad manus, Angeli apparuêre, qui Wenceſlaum protegentes arma miniſtrabant. Quo viſo Dux petiit veniam, eáque obtentâ diſceſſit. *Luit prandus c. 2. hiſt.*

VI. Cæcilia Valeriano deſponſata primâ noctæ *Vita apud*

Sur. 22. Nov. nocte nuptiarum illi dixit: Ego, Valeriane, in tutela Angeli ſum, qui virginitatem meam cuſtodit, quare ne quid in me committas, quo ira DEI in te concitetur. Quibus verbis commotus Valerianus eandem attingere non eſt auſus, quin etiam addidit, ſe in Chriſtum crediturum, ſi eum Angelum videret, quod & præſtitit, poſtquam ab Urbano Papa baptizatus eundem Angelum divino ſplendore ſulgentem, & ponè Cæciliam conſiſtentem vidit.

Surius 11. Oct. VII. Cùm S. Jacobum Germanum Ordinis S. Dominici Diabolus perpetuò vexaret, &, quoties orabat, verberibus oneraret, eo diſcedente Angelus adfuit, dixitque: Serve DEI, eſto fidelis uſque ad mortem, exſpecta DEUM, viriliter age, & confortetur cor tuum; ingentia ſunt enim, quæ tibi pro labore parvo atque certamine præmia proponuntur.

Raderus in Virid. p. 2. c. 4. VIII. Joanna Urbevetana Virgo Ordinis S. Dominici, adhuc parvula orbata Parentibus dicebat, ſe ab Angelo cuſtode fidei & pietatis documenta accepiſſe, unde gratiam baptiſmalem ad mortem uſque ſervavit.

Lit. annua Soc. IESV. 1582. IX. In Mexicana Provincia cùm quiſpiam infirmus metu mortis graviter conſternatus eſſet, evenit, ut die quapiam pulcherrimum Juvenem admiranda luce circumdatum ſibi appropinquare viderit, montes aureos, & in iis ingentem numerum Perſonarum monſtrantem, quo viſo ſummè recreatus nihil niſi mortem deſideravit.

Fab. conc. 3. in feſtoS. Mich. n. 5. X. Cùm Anno 1144. Exercitus Chriſtianorum in periculoſa viarum diſcrimina incidiſſet, & certò ab hoſtibus inſidiantibus delendus eſſet, ſubitò miles ignotus albo equo inſidens, & rubeum vexillum opportans apparuit, & eos Jeroſolymam uſque ſalvos perduxit.

Spec. Ex. V. aod. ex 16. XI. Liſſardus Monachus cùm humilem vitam pertæſus, jamjam abitum ex Monaſterio pararet, ab Angelo ad ſepulchra mortuorum dedoctus, offenſo cadaverum horribili aſpectu, à meditata fuga abductus, & in propoſito Religioſo confirmatus eſt.

Vita. XII. S. Iſidoro Agricolâ pietati & orationi in templo vacante, S. Angelus Cuſtos illius aratro interea terram ſecabat, paſcebat mulos, & lupos à gregibus arcebat.

Ped. Chriſt. to. 2. p. 1. c. 4. ſect. 5. n. 12. XIII. Apud Lucanos in Hetruria Ancilla quædam, ſita nomine, cùm è templo ſeriùs ad coquendos panes domum rediiſſet, Angelus interea maſſam ſubegit, formavit, & in menſa paratos panes poſuit, ut mox in Clibanum mitti potuerint.

Ibid. XIV. Cùm Falco nobilis Adoleſcens Conſtantinopolitanus in honorem ſui Angeli Cuſtodis voto ſe obſtrinxiſſet, nunquam mentiendi, illúdque ſanctè ſervâſſet, etiam tum, cùm ob confoſſum à ſe in rixa Sodalem in carcerem conjectus, mortis ſententiam negando effugere potuiſſet, Angelus Cuſtos, dum Lictor jam ferire pararet ſtricto enſe mortem illi minatus eſt, niſi à feriendo Falcone abſtineat; cúmque tres alii Lictores ſubſtituti, imò ex occiſi propinquis unus eundem ictum tentarent, ſimili modo ab Angelo obſterriti ſunt. Sic ergo liberatus Falco Religionem intravit & nomen Angeli aſſumens vitam Angelicam vixit.

XV. Paulò antè, quàm Hieroſolyma ſubverteretur auditæ ſunt voces Angelorum, qui ad cuſtodiam templi adhibiti erant, dicentium: Migremus hinc. *Joſeph. l. 6. c. 12.*

XVI. Cùm quondam in monte Gergano cujuſdam taurus in ſpeluncam fugiſſet, & ſagitta, quâ Dominus taurum configere volebat, retorta in ipſum ſagittarium fuiſſet, occaſione hujus miraculi didicerunt ſpontini incolæ, ſpecum illam ſpectare ſingulariter ad cuſtodiam S. Michaëlis. *Brev. Rom. 8. Maj.*

XVII. Juditha devicto Holoferne ad ſuos rediens, cum gaudio dixit: Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & revocavit me Dominus gaudentem in victoria ſua, in evaſione mea, & liberatione veſtra, & non permiſit me Dominus Ancillam ſuam coinquinari. *Judith. 13. v. 20.*

XVIII. Cùm S. Onuphrius in ſolitudine deambularet, comitem ſe illi Angelus adjunxit, dixitque: Ab hora Nativitatis tuæ ductor ac Socius tuus extiti, & cum eodem in viſibili forma ſex integra milliaria confecit, ut hæſitantem de itinere erudiret. *Alberrin. c. 11. de Ang. Cuſt.*

XIX. Poſtquam Agar Saræi Ancilla ob Heræ aſperitatem domo exiiſſet, diſplicuit hoc factum Cuſtodi Angelo, ideòque ſpectandum ſe illi præbuit, & acriter eam objurgans dixit: Revertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manibus illius. *Gen. 16.*

XX. Monachus quidam in ſolitudine degens cum in morbo Angelum aliquot hebdomadis miniſtrantem habuiſſet, poſtea advenientibus viſitationis gratia aliis Monachis ejuſdem præſentiâ privatus dixit ad illos: abite, quæſo, Fratres mei, quia vobis ſupervenientibus Angelus meus Cuſtos, à quo viſibiliter præſente ſolamen & pleniſſimum obſequium habui, repente dilapſus eſt. Quo dicto mortuus, & Angelum ſuum ſecutus eſt. *Spec. Ex. diſt. 2. ex 118.*

XXI. In Civitate quâdam Diœceſis Trajectenſis cùm Juvenis quidam Juvenibus diſcolis & Laſcivis ſe ſociâſſet, eorúmque exemplo propemodum puritatem mentis, & florem Virginitatis perdidiſſet, ubi poſtea domum rediit, Angelum formoſiſſimi Juvenis ſpecie obvium habuit, qui accedens, alapámque infligens, deinceps cautiorem eſſe, maláſque Societates defugere juſſit, ac ſubitò iterum diſparuit. *Ibid. diſt. 10. ex 9.*

XXII. In Vitis Patrum legitur, Senem quendam ac ſanctum virum conſpexiſſe, Angelos hilari ac ſereno vultu adſtantes, ſicubi Monachi ſermonem de rebus ſanctis miſcebant; ſi autem de rebus vanis & inutilibus loquerentur, recedentes, indignantéſque, & ſuccedentes in locum ipſorum atros Dæmones, qui ſub ſpecie ſpurcorum animalium circumeuntes, impuras cogitationes eorum mentibus adhalabant. *Albert. c. 6. de Ang. Cuſt.*

XXIII. Abbas Theodoſius de ſeipſo faſſus eſt, quòd ante, quàm vitam ſolitariam profite- *Ibid. c. 9.*

Digitized by Google

ſiteretur, Angelus ipſum dextrâ apprehendens in immenſum theatrum duxerit, in quo ex una parte innumeri homines albis veſtibus induti, & ex altera parte totidem nigris veſtiti ſedebant. Ubi cùm vir inuſitatæ magnitudinis prodiiſſet, ab Angelo cum hoc pugnare juſſus eſt; verùm cùm is timore conſternatus pugnam deprecaretur. Angelus hortatus eſt, ut pugnæ duntaxat initium faceret, mox enim ſe adfuturum, & partâ victoriâ caput ipſius cæleſti diademate coronaturum id quod & fecit, quamprimum obſecutus Theodoſius, & Gigantem aggreſſus eſt.

Ibid. c. 25. XXIV. Ætate Serionis Abbatis cùm Monachus quidam in Miſſa verba hæc recitaret: *Supplices te rogamus Omnipotens DEVS, jube hac perferri per manus Sancti Angeli tui in ſublime altare tuum*: Vidit quampluimos Angelos circa Altare, quorum unus cæteris altior Sacram hoſtiam DEO tanquam ibidem viſibiliter præſenti offerebat, & mox eâdem ſuprà altare collocatâ diſparuit.

Nadaſi annus Angel. hebd. 17. n. 6. XXV. S. Codratus adhuc Infans cùm adhuc in cunis Matrem amiſiſſet, Angelus illi nutritius fuit, qui è nube ipſum cæleſti lacte pavit, & educavit ad eam indolem, ut poſtea per flagra Martyrii cantando iret ad mortem.

Engelgr. in Cæle Sideree in feſto S. Mich. XXVI. B. Deodomo in Eccleſia deſerta omnia ad Sacrificium neceſſaria paravit, ejúſque ad Miſſam inſervit; poſtea verò ad iter proſequendum, equum, frenum, ephippium, ſellam ſtapedes, Famuli inſtar aptavit.

Fab. conc. 4. in feſto S. Mich. XXVII. Theodorus Adoleſcens cùm ſub Juliano Apoſtata equuleo tortus, & acutis teſtis ſuffoſſus ſic ſe gereret, ac cantaret, quaſi nihil ſentiret, ideóque à Juliano, ne ludibrio haberetur, vinculis ſolutus fuiſſet, interrogatus poſtea, quî habuiſſet ſe in tormentis? Reſpondit, ſe quidem non omnino doloris ſenſu caruiſſe, ſed adſtitiſſe Angelum, qui tenuiſſimo linteo ſudorem abſtergebat, & aquâ frigidâ corpus aſpergens, ardores reſtingueret, & dolores ſublevaret.

Engelgr in feſto S. Mich. XXVIII. Baſilides mare cum Sociis trajecturus, Chriſtum ad clavum ſedentem Gubernatorem, Angelos verò remiges habuit, quibus feliciter optatum portum appulit.

Ibid. XXIX. Cùm B. Joannes Angelus in infirmitate venam aperiri ex Medici conſilio juſſiſſet, Angelus ejus Cuſtos tamen & alia neceſſaria miniſtravit, & Sanguinem pelui excepit.

Surius 18. ſept. XXX. S. Ferreolum Martyrem ſuis alatis humeris per Rhodanum novi Ariones devexerunt.

Engelgr. l. c. XXXI. Evolpho Puero Morti vicino extremam unctionem Angelus contulit.

Ibid. XXXII. Fulgentia Romana tùm ob ſpurcitiem commiſſam à Dœmone perſonato coram Judice, etiam adductis teſtibus accuſata fuiſſet, ubi opem à B. Virgine, & S. ſuo Angelo Cuſtode petiit, omniáque meliora pollicita fuit, ab hoc ſub ſpecie formoſiſſimi Adoleſcentis ad Judicem commitatur, potenter defenſa, & feliciter in judicio abſoluta eſt.

XXXIII. Cùm in Hiſpania Vir quidam Nobilis S. Angelum Cuſtodem peculiari veneratione & amore proſequeretur, atque in ejus honorem quotidie corollam Marianam recitâſſet, Angelus ei hoc obſequium præclarè rependit; nam cùm illuſtrem Dominam ædibus ſuis vicinam, quoties vel ex ædibus proſpicientem vel tranſeuntem ex humanitate ſalutâſſet, Maritus illius Dominæ Zelotypicæ ſpiritu accenſus, Uxorem in ſuburbanum hortum invitatum ſtricto gladio coëgiſſet, ut per literas Nobilem illum in villam invitaret, & Marito peregrè profecto ſe ſolam ibi verſari ſcriberet, & ipſe nihil mali ſuſpicatus jam iter illud equo vectus adornâſſet, ubi propè patibulum tranſiit à reo recenter ſuſpenſo vocatus ſiſtere gradum, accedere, funémque reſecare jubetur, quod ubi fecit, reus equi tergo inſideos in columem ad villam deducit. Ad quam ubi venerunt, equo Nobilem deſcendere, ſibíque chlamydem ſuam porrigere jubet, ſimúlque periculi admonet, ipſe verò intrepidus villam ingreditur, in quam vix pedem intulit, cùm ecce armati viri ad id conſtituti è latebris irruunt, & miſerè lamentantem variis vulneribus confodiunt, & in latrinam abjiciunt; ex qua tamen vivus exurgens ad Nobilem redit, chlamydem reddit, vulnera oſtendit, quæ illi parata eſſe dixit, iterúmque conſcenſo equo, ubi ad patibulum ventum eſt, deſcendens corpus in furcam denuo ſuſpendit, & ſe Angelum ejus Tutelarem eſſe affirmavit, qui obſequia ſibi exhibita hoc beneficio rependere voluerit. Nobilis ergo domum reverſus dum ſequenti die indictis in honorem S. Angeli Cuſtodis Sacris, in templum ſe contulit, gratiíſque pro beneficio agendis immoratus eſt, Famuli à Zelotypo ſubmiſſi, ut explorarent, quis rumor in occiſi domo exortus eſſet, ubi in templo verſari audiverunt, ibique quæſitum & incolumem reperiſſent, cum ingenti ſtupore id ſuo Domino nuntiârunt, qui mox ad Nobilem accurrens, intellecto miraculo, in amplexus ejus ruit, veniam petit, & Uxorem ſummo deinceps amore proſecutus eſt. *Ibid §. 2. ex Alphonſo Andrada p. 2. hiſt. itiner. anno 1640.*

XXXIV. Hildegundis Virgo, cùm, ut pudicitiæ ſuæ conſuleret, ſub viri ſpecie, & Joſephi nomine iter ingreſſa, pro Fure, quem Oppidani quærebant, apprehenſa, fuſtibus cæſa, & laqueo in collum injecto, ad furcam pertracta, & ſuſpenſa fuiſſet, Angelus ejus Cuſtos, ne laqueus fauces conprimeret, tantiſper eam ſuſtentavit, & ſuaviſſimâ Muſicâ aërem complens opilionem accerſivit qui eam è patibulo deponerent, ipſe verò equo candidiſſimo impoſitam, Veronam ad ſuos in columem perduxit. *Rader p. 13 virid pag. 10. & ex eo Faber conc. 3. in feſto S. Mich.*

XXXV. Cùm Nicolaus quidam Angeli Tutelaris Statuam inauratam ore tum ſuo, tum ab aliis quæſito, in prædio ſuo collocari juſſiſſet, poſtea in Veſuviano incendio Neapolim profugiens, ibidem rogatus, num prædium ſuum ex illo incendio damnum aliquod ſuiſſet *Engelgr. l. c. §. 4.*

paſſum? reſpondit, nullum equidem ſe credere paſſurum fuiſſe, eò quòd Angelus Tutelaris ad limites illius collocatus, omnem ignis injuriam propulſurus ſperetur. Quod & factum, nam imago illa erecto vertice extare undis, & adſtare ripis prœdio imminentibus eſt reperta, quaſi limites cuſtodiret.

Brev. in horol. horâ 5. noct. conſ. 2. c. 2.

XXXVI. Cùm Dux Boiariæ Maximilianus anno 1620. in rebelles Bohemos caſtra moviſſet, & de nocte Hoſtes loco, milite, & temporis commoditate ſuperiores, eundem opprimere parâſſent, non modò à via, periſſimis licet Ductoribus uſi, aberrârunt, ſed etiam ob conſpectam in oppoſitis caſtris incognitam legionem, tanto terrore conſternati, & in fugam acti ſunt, ut plures in fuga, quàm pugna cæſi & oppreſſi ſunt.

Ibid.

XXXVII. Anno 1622. cùm Georgius Fridericus Marchio Durlacenſis in Bavaricum Exerc tum magno furore & animo, & quaſi certus de victona, militem ſuum duxiſſet, jámque conflictus dubiâ aleâ per tres horas duraviſſet, ſubitò Eques niveo equo vectus incredibili auſu & celeritate, plumbeis glandibus fruſtra in illum convolantibus, hoſtilem aciem prætervectus, à tergo hoſtium pyrio pulveri ignem injecit, ſicque milites illius metu conſternatos partim in fugam egit, partim Catholico Exercitui cædendum objecit.

Vit. PP. l. 7. c. 44.

XXXVIII. Abbas quidam rogatus quænam ejus: eſſet quotidiana exercitatio? reſpondit: Ego Angelum meum mihi aſſiſtentem juxta me exſpecto, & cuſtodio meipſum, quod Scriptum eſt, reminiſcens: Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commoveat. Timeo ergo eum: ut cuſtodientem vias meas, & quotidie aſcendentem ad DEUM, & inſinuantem actus meos & verba.

§. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

Cuſtodia.

Bib. l. 5. c. 3. Gloria S. Ign. c. 4.

I. S. Ignatius creditur Archangelo in tutelam datus eſſe. Eidem ſæpius apparuerunt Angeli; ſæpiſſimè etiam dum Conſtitutiones ſcriberet, ſuaviſſimos cæleſtes concentus audiebat, quorum harmonia ineffabili totus diſſolvebatur in lacrymas, ac cæleſti amore fervebat.

Hiſt. Soc. l. 3. n. 114.

II. Novem primi Patres Romam euntes propè Baſileam cùm divertiſſent, & à Lutherano Parocho, quem vicerant, carcerem exſpectare juſſi eſſent, manè illius diei homo adfuit formoſâ facie, Patrêſque germanicè allocutus, nutu ex conclavi educit, & cùm per nives periculoſas & altas ſæpe ſubridens eos duxiſſet, illique magnam in corde lætitiam ſenſiſſent, repentè, ubi ad regiam viam ventum eſt, evanuit; agnovêre illi idcirco S. Angelum Cuſtodem fuiſſe.

Vita.

III. P. Petrum Caniſium à Monaſterio Ethal in Ameriano flumine equitantem, déque equo jam lapſum, ita ut uno pede in ſtapede hæreret, vir quidam per medias aquas inſecutus eſt, denuóque in equum ſuſtulit. Invitatus dein ad proximum hoſpitium ante portam evanuit.

Annal. Caſtell. Coll. Mar. 1595.

IV. P. Joannes Fernandius Hiſpanus in Belgium Miſſus, cùm aliquando in loco campeſtri ſolus deſcenderet, ſuperveniunt improviſò Hæreticorum turmæ, quorum aſpectu territus ille, cùm equum tam citò aſcendere non poterat, magnâ cum fiducia S. Angelum Cuſtodem invocat, & ecce repentè quaſi validi hominis brachiis ſublevaretur, vidit ſe in equo ſuo collocatum, ſtapede ne attacto quidem, itáque aufugit. Aliàs cùm ſolus equitaret, incidit in Equitem Hæreticum, qui ſtatim intentatâ haſtâ, curſu concitato, equum in ipſum incitavit. Periiſſet Pater, niſi Angeli ope ſervatus eſſet. ubi enim Eques ad ipſum venit, repentè ſubſiſtens rogat: Jeſuitáne eſſet? cùmque Pater forti animo annuiſſet, miles confeſtim ferociâ depoſitâ blandè hominem alloqui, manum ad oſculandum perere, ac demum ſine ulla injuria abire.

Vita & aſ.

V. P. Balthaſar Alvarez cùm Romam peteret, & cum ſocio aquas ingreſſus, ex una parte progredi vereretur, ex altera verò timeret, ne in Latronem incideret, ſubitò per aquas Equitem ſplendidum venientem vidit, qui eos ſalvos & incolumes ex aquis eduxit.

Vita.

VI. P. Bernardus Colnagus Romæ frequentiſſimè Angelum Cuſtodem ſuum viderat, à quo & quoteſcunque in occaſione venialis peccati fuit, admonitus eſt.

P. Michaël Sper. 1612.

VII. Georgius Vederus Philoſophiæ Profeſſor Ingolſtadii, ſi dubium aliquod nullo labore diſſolvere poterat, illud S. Angeli Cuſtodi propoſuit per preces, & ſtatim ea ipſa nocte ſolutionem in ſomno accepit.

Hiſt. Soc. P. 1. l. 11. n. 66.

VIII. Joannes Carrera Coadjutor in dubiis ſemper S. Angelum Cuſtodem interrogabat, à quo mox reſponſum accepit. Sed & manè ſemper ab eodem excitatus eſt; quâ tamen gratia privatus eſt, cùm ſemel excitatus non ſtatim ſurrexit, nec niſi poſt multas lacrymas iterum obtinuit.

Syllab. Prov. ſerv.

IX. P. Jacobo de Samniago S. Michaël, quem præcipuo cultu colebat, non tantùm auxilium ad Indos convertendos promiſit, ſed etiam eundem ad loca, quæ ipſe adire minimè cogitabat, ultrò perducebat, ut tum Infantes aquâ ſalutari ablueret, tum aliorum animam agentium confeſſiones exciperet.

Annua 1604. f. 116.

X. Cùm Antonius Fauſtinus Coadjutor mortuus eſſet, & ex Dœmone in Energumena quæreretur, quis ei morienti potiſſimùm adſtitiſſet? reſpondit iſte, B. Virginem, S. Ignatium, & S. Angelum Cuſtodem adſtitiſſe, qui non paſſus ſit, eum à quoquam tentari.

Pad. Chriſt. p. 2. c. 4. ſect. 5.

XI. Guilielmus Elfinſtonius in morte aliquandiu cum Angelo Cuſtode collocutus, quaſi oculis eum aſpiceret, ab eodem ſibi narratum dixit, ſe per Purgatorii ignem quidem tranſiturum, ſed celerrimè evolaturum.

XII. Joan-

Annua Belg. Coll. Lovan. 1670. XII. Joannes Thenenſis Coadjutor, licet profundi eſſet ſomni, totis tamen, quibus Excitatorem egit, triginta annis, non alio inſtrumento, quo excitaretur, uſus eſt, quàm S. Angelo ſuo Cuſtode, cui ante ſomnum seriò ſe commendavit.

Vita. XIII. B. Stanislao, cùm Viennæ ægrotaret, nec haberet, qui SS. Euchariſtiam porrigeret, Angeli eandem miniſtrârunt.

Nadaſi in anno Angel. hebd. 20. n. 2. XIV. Ludovico Freredoux Burgundo, Angelo Cuſtodi devotiſſimo, in examine reſpondenti Angelus Cuſtos in aurem, quid, quóve loco reſpondendum eſſet, ſuggeſſit.

Cultus.

Vita l. 2. c. 10. XV. S. Franciſcus Xaverius, obi Goam attigit, antequam pro DEI gloria laborare inciperet, DEUM priùs, & Archangelum Indiæ Præſidem invocavit, ac tunc primùm Epiſcopum adiit.

Hiſt. Soc. l. 3. n. 29. XVI. P. Petrus Faber ſecundam Feriam ſemper S. Angelo Cuſtodi dedicavit, eíque ſe de nocte ac die jaculatoriis præcibus ardentiſſimè commendabat. Idem quoties oppidum aut pagum ingreſſus eſt, poùs Archangelum, Angelóſqoe Cuſtodes ejus loci in auxilium vocabat.

Vita p. 2. p. 82. XVII. Joannes Berckmannus Societatis Scholaſticus aſueverat eorum, qui obviam ſibi fiebant, Angelos Cuſtodes ſalutare.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Neceſſitas.

Albertin. c. 9 de S. Ang. Cuſ. I. SIcut Regnum aut Civitas obſeſſa à numeroſo exercitu, & intus plena Conſpirationibus, factionibúſque contra Perſonam Regis, nec niſi ac debilibus, fauciſque, ac pauciſſimis militibus defenſa conſervari non poſſet, niſi aliunde ſubſidium acquireret; ita nec Anima ab innumeris Hoſtibus exterius impugnata, & intus à propriis Paſſionibus infeſtata prævalere non poterit, niſi Angelorum præſidio à DEO ſubmiſſo.

Rom. c. 10. II. Sicut in Aulis Principum neceſſarii ſunt Oeconomi, qui inferioribus ſervis, eorúmque neceſſitatibus proſpiciant, nec tamen ex ſimili ſervitute detrimentum honoris patiuntur; ita & Hominibus, eorumque neceſſitatibus oportebat per Angelorum ſollicitudinem provideri, idque illi promptiſſimè faciunt, quia ſciunt, hac ratione ſe debitum Supremo Regi DEO cultum, obedientiámque exhibere, nec quicquam inde de ſuo honore & authoritate decedere.

S. Baſilius in pſ. 33. III. Sicut pro defenſione urbium muri ſunt neceſſarii, qui in circuitu undequaque Hoſtium inſultus arceant; ſic ad Cuſtodiam Hominis Angelorum præſentia & auxilium eſt neceſſarium, utpote per quos fortiùs, quàm ullo muro Hoſtium infernalium conatus eluduntur.

Utilitas.

IV. Sicut Angelus terruit Aſinam Balaami, ne Dominum ſuum veheret ad nefariam maledictionem; ita Angeli corripiunt ſuos clientes, ne ad DEVM per peccata maledicendum procedant. *Fab. conc. 4. in feſto S. Mich. lit. F.*

V. Sicut Angelus tenuit manum Abrahæ ne feriret, & immolaret Filium; ſic Angeli tenent dexteram DEI, ne perdat eorum clientes. *Idem conc. 3. lit. B.*

VI. Sicut Lacertula, Sania nomine, ſi videat ſerpentem Homini dormienti inſidiantē, involat in faciem Hominis, & vellicando excitat, ut à periculo ſibi caveat; ita Angelus Cuſtos cernens Hominem in peccato ſtertentem, internis hortatibus excitat, ut à ſerpentis infernalis inſidiis ſibi caveat. *Idem conc. 3. lit. D.*

VII. Sicut Mater abſcondit cultrum, ne Infans eum arripiens ſeipſum lædat; ſic Angeli ſæpe occaſiones peccati ſubtrahunt, ne eorum clientes ſibi ipſis noceant. *Idem lit. E.*

VIII. Sicut ſi Solis radii in concavum & mundum Speculum incidunt, uſque ſtupa applicetur, protinus ignem hæc concipiet; ita cùm Amoris divini radii in Angelos velut ſpecula puriſſima vibrentur, mox Animas noſtras ejuſdem amoris igne accendent, ſi per fiduciam & amorem iiſdem jungantur. *Beirl. to. 6. in feſto S. Mich.*

IX. Sicut vitrea vaſa mollibus integumentis includuntur, ne ad duriora corpora allidantur, & frangantur; itá vaſa miſericordiæ DEUS Angelica protectione ſepit, ne per peccatum aut violentiam Dæmonum perdantur. *Idem.*

X. Sicut Hominibus per viam non tutam ambulantibus ſaluberrimè Ductores adjunguntur; ita & cuivis Homini, quamdiu viator eſt, meritò SS. Angeli velut Ductores fideliſſimi & potentiſſimi ſociantur, ut per eoſdem à Latronum infernalium inſidiis protegantur. *S. Thom. p. 1. q. 113. a. 4.*

Cultus.

XI. Sicut Diſcipulus omnem ſuo Pœdagogo reverentiam exhibet, nec inſolenter ſe gerere audet præſente illo; ita, cùm Angeli velut Pœdagogi dati ſint Homini, omnem illis oportet ab hoc reverentiam & cultum exhiberi. *Fab. conc. 5. in feſto S. Mich. lit. I.*

XII. Sicut Apes utpote caſtiſſima animalcula, quæ ex concubitu non gignuntur, oderunt venereos; ita Angeli, quia ſicut carnis, ita & veneris ſunt expertes, obſcænos oderunt, caſtos verò amant, & protegunt. *Idem conc. 4. lit. I.*

XIII. Sicut fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit; ſic Angelum vitæ noſtræ Cuſtodem abigit multa lacrymarum aſpergine dignum ac graveolens peccatum. *S. Baſil. ho. 44 in pſ. 44.*

XIV. Sicut ingratiſſimus meritò judicatus fuiſſet Tobias Junior, ſi Comitem ſuum Raphaëlem non quotidie ſalutáſſet, honoráſſet, & familiariter cum eo egiſſet; ita ingratiſſimi quoque meritò cenſendi ſunt, qui, cùm eadem à S. Cuſtode ſoo beneficia accipiant, vix ſemel *Fab. in feſto S. Mich. conc. 5.*

de

de die eundem ſalutant, & honorant, multò minùs verò ullam ad eum fiduciam oſtendunt.

§. VII.

M O T I V A.

Cultus Angelici.

I. QUia ſunt *Aulici* DEI: ſi ergo Aulicos hujus Mundi propter majorem propinquitatem & familiaritatem cum Regibus & Principibus terrenis tanti æſtimamus, & honoramus; quantò magis Angelos propter ſummam familiaritatem & propinquitatem cum Rege Regum & Domino Dominantium ſummè æſtimare & honorare par eſt.

II. Quia ſunt *Pædagogi* noſtri ab ipſo DEO nobis propoſiti; ſi ergo Filii Principum magno honore & amore proſequuntur Moderatores ſuos, quia ſic Parentem ſuum velle ſciunt; quidni parem honorem & amorem exhibeamus Angelis, velut Moderatoribus à DEO conſtitutis, non in profana, ſed cæleſti ſapientia nos inſtruentibus?

III. Quia ſunt *Cuſtodes* noſtri; ſi ergo tantopere fovetur Salvaguardia, ſeu Milites pro præſidio dati, quantò magis ſovendi, & amandi erunt illi Præſidiarii, qui nos ab ipſo Dæmone & interitu æterno cuſtodiunt.

IV. Quia ſunt *Comites* & *Ductores* noſtri; ſi ergo jucundus Comes eſt vehiculum viæ: ſi fido & perito Ductore nihil gratius eſt viatori iter periculoſum peragenti; quantopere nos gratulari debemus nobis, dum tam fidos, jucundos, & peritos Ductores nactos nos eſſe conſpicimus.

V. Quia ſunt *Amici* noſtri fideliſſimi, ſumméque nos diligentes: ſi ergo juxta Siracidis teſtimonium, Amico fideli nulla eſt comparatio, & qui illum invenit, invenit theſaurum bonum, medicamentum vitæ & immortalitatis; quantò magis de talibus Amicis gratulandum, illique omni obſequio demerendi ſunt.

VI. Quia ſunt *Cohæredes* noſtri: ſi ergo olim jucundiſſimè illis convicturi, & communi felicitate gaviſuri ſumus; quidni & nunc iſtam familiaritatem cum illis inchoemus, & jucundè convivere ſtudeamus?

§. VIII.

M E D I A.

Ad eorum amorem conciliandum.

I. P*Uritas mentis & corporis*: cùm enim ipſi ſint puriſſimi Spiritus, & nihil æquè amorem concilier, ac morum ſimilitudo, meritò ii præ ceteris amari ac foveri ab Angelis creduntur, quos puritate hâc gemina ſibi ſimiliores eſſe conſpexerint.

S. Bern. ſ. 1. de. S. Mich. II. *Animorum concordia*: uti S. Bernardus indicavit, dum dixit: ſuper omnia unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. Quidni enim maximè delectentur his, quæ formam quandam ſuæ civitatis repræſentant in nobis, ut mirentur Jeruſalem novam in terra?

III. *Amor ardens DEI*: cùm enim illi eundem DEUM ardentiſſimè diligant, & à nobis etiam ſimiliter diligi deſiderent, nullâ profectò ratione efficaciùs eos nobis demereri, atque eorum amorem conciliare poſſumus, quàm ſi per amorem cum DEO, velut uni tertio coojungamur, ut eâdem operâ etiam cum iiſdem conjungamur. Hinc cùm Tobias peteret, quid Tob. 12. v. pro obſequiis ac beneficiis præſtitis rependere 6. deberet, non aliud audivit, quam hæc verba: Benedicite DEUM Cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei.

IV. *Fiducia ſingularis*: Si enim Chriſtus olim S. Gertrudi taſſus eſt, per ſimilem fiduciam de ipſius in nos caritate, & promptitudine ad benefaciendum, cor ſibi tranſverberari, quidni idem etiam de SS. Angelis ſentiamus?

V. *Familiaritas crebra*: ſic enim S. Bernar- S. Bern. ſ. 1. de Ang. dus ſuaſit dicens: Habetote familiares Angelos, Fratres mei, & frequentate eos ſedula cogitatione, & devota oratione, quia ſemper nobis adſunt ad cuſtodiam & conſolationem. Et paulò poſt ſubjungit: Si ergo tam neceſſariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda nobis eorum offenſa, & in his maximè exercendum, quibus eos novimus delectari.

§. IX.

A S C E T I C A.

I. TRia ſunt præcipuè, quæ de Angelica Cuſtodia Aſceta bene apprehendere, aliiſque inculcare debet. Primum eſt, ut, quemadmodum par eſt, hanc Angelorum Cuſtodiam inter primos favores & beneficia ſibi collata numeret, gratiſſimóque animo agnoſcat. Quem in finem proderit ſequentem S. Bernardi ad- S. Bern. in Pſ. qui habitat. monitionem bene ponderare Angelis ſuis mandavit de te. Mira dignatio, & verè magna dilectio caritatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit, ſtudiosè conſideremus Fratres, diligenter commendemus memoriæ hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? cujus ſunt Angeli? cujus mandato obtemperant? cujus obediunt voluntati? nempe Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo Majeſtas mandavit Angelis, & Angelis ſuis mandavit de te, illis utique ſublimibus, tam beatis, & tam proximè ſibi cohærentibus, & verè domeſticis mandavit. Tu quis es? quid eſt homo, quòd memor es ejus? aut Filius Hominis, quoniam reputas eum? Quaſi verò non ſit homo putredo, & Filius Hominis vermis? Sed quid, putas, mandavit de te? ut cuſtodiant te.

II. Secundum eſt, ut ſolidum modum colendi & amandi SS. Angelos teneat, qui quidem in tribus capitibus à S. Bernardo iterum aſſignatis conſiſtere videtur, dum ait: Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? reverentiam pro præſentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia. *Reverentia* itaque conſiſtit

ſiſtit in hoc, ut non audeamus illis præſentibus, quod alio homine præſenté facere non auderemus, ſicque dicemus cum Eſther: Vidi te, Domine, quaſi Angelum DEI, & conturbatum eſt cor meum, præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, Domine, & facies tua plena eſt gratiarum.

Devotio conſiſtit in prompta voluntate varios honores illis deferendi, obſequendi omnibus eorum conſiliis, ſicut illi habent promptiſſimam voluntatem, noſtra commoda & ſalutem promovendi. *Fiducia* denique conſiſtit in aſſiduo recurſu ad opem eorum, ita ut, quemadmodum D. Bernardus monet, quoties graviſſima cernitur urgere tentatio, aut tribulatio vehemens imminere, invocemus Cuſtodes noſtros, Adjutores noſtros, in opportunitatibus, in tribulatione, inclamemus eos, & dicamus: Domine Salva nos, perimus. Et hoc tantò audacius faciamus, quanto clariùs nobis conſtat, quòd fideles, prudentes, & potentes ſint.

III. Tertium eſt, ut in agendo cum proximo, quantùm fieri poteſt, Angelos imitemur, quemadmodum S. Ignatius à ſuis Operariis requiſivit. Conſiſtit autem hæc imitatio in tribus potiſſimùm capitibus. 1. Ut, ſicut ipſi nobis puriſſimè propter DEUM inſerviunt, atque adeò nullum reſpectum Perſonarum faciunt, ſed cuivis etiam viliſſimo homini tam libenter inſerviunt, ac pluribus, iiſque præſtantiſſimis operam ſuam impendunt, nihil interea de ſanctitate ſua ac familiaritate cum DEO remittentes; ita idem quoque Aſceta faciat, alióſque, ut faciant, doceat, & hortetur. 2. Ut, ſicut illi omnem conatum & diligentiam adhibent in noſtra ſalute procuranda, ut ſuo modo illud Davidis dictum uſurpare poſſint: Totis viribus præparavi impenſas domus Domini, non enim homini præparatur habitatio, ſed DEO; ita ſimilis cura ab Aſceta ſalutis alienæ ſtudioſo adhibeatur. 3. Ut, ſicut illi, quocunque eventu ſecuto, in ſuaviſſima DEI voluntate conquieſcunt; ita idipſum etiam imitari Aſceta ſtudeat, memineritque, ipſum etiam DEUM non ſemper optatum operum ſuorum ſucceſſum ſortiri.

1. Paral. 29. v. 2.

§. X.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Pſ. 90. v. 11. I. EX occaſione thematis: *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis:* poteſt oſtendi, quantum beneficium ſit Angelica Cuſtodia, ideóque dividi concio in duas partes, in quarum prima probetur, cuique homini ſuum Angelum Cuſtodem attributum eſſe, ex S. Scriptura, conſenſu Doctorum, ratione, hiſtoriis, uti in Fabro conc. 1. in feſto S. Michaëlis videre eſt. In ſecunda parte oſtendatur beneficii magnitudo, per diſcuſſionem circumſtantiarum, quis, quibus, quid, de quo mandârit ad modum, quem priori §. n. 1. ex S. Bernardo oſtendi. Claudatur demum concio cum affectuoſa Apoſtrophe ad DEUM, gratias agendo pro tanto beneficio, promittendóque, quòd velimus audire vocem ejus, &c. Cum alia dein Apoſtrophe ad ipſos SS. Angelos Cuſtodes, rogando, ut nos ſuſcipiant denuò in tutelam, illuminent, dirigant, corrigant, & demum ad optatam Patriam perducant, ubi pro noſtris & illorum beneficiis DEUM cum ipſis perpetuo laudemus, & benedicamus.

II. Ex occaſione thematis: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & introducat in locum, quem præparavi: obſerva eum, & audi vocem ejus:* dicatur, quòd, ſicut Parentum prudentiorum prima cura eſt, ut bonos Pœdagogos vel Moderatores Filiis ſuis conſtituant, ita & DEUS idem fecerit, uti S. Chryſoſtomus his verbis indicavit. Angelum habet unuſquiſque credentium; ſi ergo Angelum habemus, ſobrii ſimus, tanquam ſi Pœdagogi quidam nobis adeſſent. Itaque in prima parte oſtendatur; quàm præclarè officio hoc ſint defuncti, idque ex conditionibus ad Pœdagogos requiſitis, quarum prima eſt, ut ament Clientem, & libenter in tutelam ſuſcipiant; hoc enim S. Raphaëlis ſplendor, & veſtis ſuccincta indicat, quorum ille quidem caritatem, hæc autem promptitudinem ad curam noſtram ſuſcipiendam indicat; hinc illud Iſaiæ in illis impletur: Quem mittam? ecce ego, mitte me. Secunda conditio eſt, ut inſtruat in virtute, ſcientia, moribus, quod faciunt Angeli per occultas inſpirationes ad fructum in triplici hoc fine obtinendum. Tertia eſt ut à malis corporalibus & ſpiritualibus cuſtodiat, quod ipſos facere, abundè ex hiſtoria Tobiæ & aliorum patet. In ſecunda parte oſtendatur, quæ officia viciſſim à Cliente Pœdagogis debeantur, videlicet 1. *Gratitudo*, quæ, uti olim Alexander Magnus faſſus eſt, major debetur Præceptori, quàm Parentibus, quia hi tantùm eſſe, illi bonum eſſe dederunt; ſi autem Præceptoribus pro paucis annis tanta gratitudo debetur, quanta debebitur Angelis, qui ab infantia uſque ad finem vitæ hoc officio funguntur? 2. *Reverentia:* juxta illud S. Bernardi: in omni angulo Angelo tuo reverentiam habe, &c. 3. *Obedientia* juxta illud mandatum DEI: Ecce ego mittam Angelum meum. Obſerva, & audi vocem ejus; alioquin enim tota cura fruſtrabitur, & DEUS graviter puniet, juxta illud: Qui vos ſpernit, me ſpernit. Claudatur concio gratias agendo, pro officio Pœdagogi tam præclarè erga te exercito: petendo veniam negligentiæ: promittendo accuratam obſervantiam trium capitum, ex parte noſtra obſervandorum. Qua de materia videri poteſt Faber conc. 5. in feſto S. Mich.

Exod. 23. v. 20.

S. Chryſ. hó. 3. in epiſt. ad Coloſſ.

Iſa. 6. v. 9. 12.

Exod. 23. v. 20.

Luc. 10. v. 16.

Act. 12. v. 11. III. Ex occaſione thematis: *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis.* poteſt qualitas & beneficium Angelicæ Cuſtodiæ pulchrè oſtendi, ex S. Petri è carcere educti exemplo. Et 1. quidem demonſtrari poteſt, quomodo *adſtet* defendendo, conſolando, offerendo preces. 2. Quomodo *refulgendo* illuminet tam corporaliter, quàm ſpiritualiter, ut in Tobia &

aliis videre eſt. 3. Quomodo *excitet* dormientes ſomnum tepiditatis. 4. Quomodo jubeat *veſtes aſſumi*, id eſt, removere & vitare occaſiones peccandi, ex quibus eduxit. 5. Quomodo jubeat *ſe ſequi*, imitando fervorem in ſervitio DEI. 6. Quomodo ducat per cuſtodias liberando à tentationibus. 7. Et quidem *per portam ferream*, quæ verò aperta eſt eis, id eſt, per mortem, per quam introitus in cæleſtem Jeruſalem patet. Quæ omnia fuſiùs apud Fabrum conc. 2. in feſto S. Michaëlis diducta videri poſſunt.

[*Tob. 12. v. 8.*] IV. Ex occaſione thematis: *Quam mercedē dabimus ei: aut quid dignum poterit eſſe beneficiis ejus?* poteſt oſtendi, quomodo eadem beneficia, quæ olim Tobias à S. Raphaële accepit, & nos à SS. Angelis Cuſtodibus accipiamus. Oſtendatur ergo 1. Quàm promptè ſe nobis ab ipſa Infantia viæ Comitem obtulerit. 2. Quàm potenter nos à piſce immani, id eſt, periculis & malis corporalibus liberârit. 3. Quomodo felix connubium cum Sara ſeu Domina, nempe virtute & ſanctitate procurârit. 4. Quomodo Dæmonium, ne nobis noceret, conpeſcuerit. 5. Quomodo diteſcere in meritis fecerit, efficiendo, ut DEUS daret mercedem, quam debebat. 6. Quomodo omnibus bonis nos repleverit. 7. Quomodo illuminaverit, & gaudium Parentibus, id eſt, DEO & ſuæ Matri fecerit. Quámque adeò meritò dicamus cum Tobia: quid dignum poterit eſſe beneficiis ejus? quódque ille nihil aliud petat, niſi cum S. Raphaële, ut benedicamus DEUM bene vivendo, hæc enim eſt optima, Deóque gratiſſima laus & benedictio, quia puriſſima, ampliſſima, & longiſſima, [*S. Aug. in Pſ. 148*] juxta illud S. Auguſtini: vis ſemper laudare DEUM? benefac omnia, quæ facis, & ſemper laudâſti Deum. Hoc ergo, poſt brevem actionem gratiarum, promittatur SS. Angelis Cuſtodibus, & non minùs accuratè opere præſtetur. Quâ de materiâ iterum Faber conc. 3. in feſto S. Michaëlis fuſiùs diſcurrens videri poteſt.

[*2. Reg. 22. 36.*] V. Ex occaſione thematis: *Dediſti mihi clypeum ſalutis tuæ*: poteſt Angelica Cuſtodia clypeo comparari, idque per varios uſus clypeorum probari. Nam. 1. ſicut Lacedæmoniæ Amazones ſolebāt liberos cunarum loco clypeis imponere, ut vel ſic olim meminiſſent, ſe ad bellum educatos eſſe; ita DEUS ab infantia nos clypeo huic, nimirum Angelicæ Cuſtodiæ commiſit, ut & nos meminiſſemus, militiam eſſe vitam hominis ſuper terram, & ut in infantia, quo tempore maximè indigemus, hoc clypeo protecti eſſemus. Hinc S. Bonaventura ait: [*S. Bonav. in feſto. S. Mich.*] magnæ pietatis & benignitatis eſt indicium, deputare tales Miniſtros humanæ fragilitati, ſine quibus nullo modo eſſet tuta. 2. ſicut Myrtilus miles utebatur clypeo ſuo in terra ad ſe defendendum, dum pugnabat: & in mari, dum naufragium paſſus, illo inverſo pro navi eſt uſus, uti notum illud diſtycon indicat.

Effugi geminum clypeo diſcrimen in uno,
Dum premerérq; Salo, dum premerérq; Solo

Sic Angelica Cuſtodia ſerviat tam in tentationibus voluptatum, allicientium, per terram ſignificatis; quàm adverſitatum terrentium & affligentium, per mare indicatis, dum ſcilicet nos abſtinere & ſuſtinere docent. Hinc cùm S. Theophila Virgo in Lupanar tracta, Sponſi cæleſtis opem imploraret adfuit Angelus aureo ſcuto inſtructus, cui inſcriptum erat: Quis ſicut DEUS Chriſtianorum? quo eam ſic protexit, ut primus illam aggredi volens exanimatus, alii excæcati, aut aliter repulſi ſint. 3. Sicut olim mortui in clypeo, ad ſepulturam deferebantur, juxta illud Virgilii: Impoſitum clypeo referunt Pallanta frequentes. Unde & Mater illa Lacena Filium ad bellum mittens, oblato clypeo dixit eidem: aut cum hoc, aut in hoc redi; ita idem quoque DEUS faciat, & dicat. Ubi autem ſecuriores erimus tempore mortis, quàm in hoc clypeo jacentes? Si enim à morte temporali tam ſollicitè defendunt, quantò magis ab æterna tuebuntur. Id ſanè expertus eſt Lazarus portatus, & rediens ad Patrem in hoc clypeo. Claudatur concio illis verbis Eccleſiæ: ſub tuum præſidium confugimus &c. actis priùs DEO gratiis pro clypeo hoc ſubmiſſo. Quâ de materia videri poteſt fuſiùs diſcurrens Philippus Kiſſelius p. 1. Nili myſtici in feſto S. Michaëlis, & Henricus Engelgrave in Panth. eodem feſto.

VI. Ex occaſione thematis: *Angelis ſuis mandavit de te*: [*Pſ. 90. v. 11.*] poteſt caritas Angelorum erga nos, & noſtrum viciſſim officium ex ſpecie & formâ, quâ plerumque apparere, & à Pictoribus depingi ſolent, demonſtrari, videlicet 1. *in Humana ſpecie*: ut per hanc eorum erga nos amor probetur, cùm nullus ferè amor major ſit, quàm inter res ſimiles. Et poteſt etiam hic amor ex oppoſito Dæmonis odio demonſtrari, utpote qui teſte Pennequin p. 2. Iſag. c. 27. in judicio particulari faſſus eſt, ſe majori impetu ferri in perniciem animarum, quàm torrens violentus per alveum fluat. Quæſitus autem à Chriſto, cur id faceret? reſpondit, quia tu illas amas. Quidni ergo ſimilem impetum amoris Angelis bonis ad ſalvandas animas concedamus? 2. *in Facie juvenili*: ut indicetur vigens ſemper conatus & hilaritas in noſtra ſalute procuranda, quæ proin poteſt exemplis confirmari. 3. *Alati*, ad indicandum promptitudinem, quâ ad noſtram ſalutem & commoda feruntur, unde DEUS apud Iſaiam olim dixit: Ite Angeli veloces, &c. [*Iſaia. 18. v. 2.*] In ſecunda parte oſtendatur, quomodo nos viciſſim tria officia præſtare debeamus, nempe 1. *mutuum amorem*, quo noſtræ animæ illis agglutinentur, quemadmodum anima Jonathæ cum anima Davidis unita fuerat. 2. *Conſtantem vigorem* & hilaritatem in eorum cultu & obſequio. 3. *Velocem fiduciam* in adverſis, & *celerem obedientiam* in proſperis ſeu conſiliis & inſpirationibus bonis, quos ſuggeſſerint. Claudatur concio faciendo fœdus novum cum ipſis, de tribus hiſce obſequiis accuratè præſtandis, quemadmodum ipſi ſua tria officia ſolent præſtare. Pro quibus fuſiùs diducendis ſervire poſſunt ea, quæ Faber conc. 7. in feſto S. Michaëlis.

&

Google

& Franc. Albertinus. c. 10. de Angel. Cuſtodis afferunt.

VII. Ex eodem themate poteſt pulchrè deduci triplex fructus, ex miſſione Angelica colligendus, ſcilicet ut inde conjiciatur maxima DEI erga Homines caritas, ſumma Angelorum Humilitas, & excelſa Hominis dignitas, quæ omnia tum ex dictis facilè amplificari; tum apud Diſcipulum ſerm, 37. fuſiùs diducta videri poſſunt.

Tob. 5. v. 4. VIII. Ex occaſione thematis: *Inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum:* poteſt oſtendi, quàm fideliter & pernè SS. Angeli Comitis fungantur officio, idque ex conditionibus ad Comitem optatum requiſitis demonſtrari poteſt nimirum 1. ut ſit *peritus viæ*; quod vel maximè convenit Angelo, ut qui cum veritate quæſitus, num viam ad cælum nôrit? reſpondere queat: novi & itinera ejus (videlicet obſervationem mandatorum DEI) frequenter ambulavi. 2. Ut ſit *benevolus & promptus*: quod itidem Angelis convenire, oſtendit habitus S. Rachaëlis, quando ſplendidus & ſuccinctus, quibus caritas & promptitudo ad nos juvandos ſignificatur, apparuit. 3. Ut ſit *fidelis*, quam conditioné eis convenire, jam pridem docuit S. Bernardus, dum dixit: Fideles ſunt, prudentes ſunt, potentes ſunt, quid trepidamus? tantùm adhæreamus eis, & in protectione DEI commorabimur. 4. Ut ſit *jucundus*; quâ conditione ipſos præditos eſſe, tum vultus, quo pinguntur, ſerenitas & amabilitas indicat; tum cantus ſuaviſſimus, quo DEUM laudant, tum alloquium, quo nunc termini ſeu Patriæ, ad quam tendimus, memoriam refricat, nunc viæ, quam ambulamus, brevitatem oſtendit.

§. XI.

MISCELLANBA.

Cuſtodia.

Albertin. c. 3. de Ang. Cuſt. I. Gentiles videntur agnoviſſe Angelicam Cuſtodiam, dum effectus quoſdam fortuitos, quos Philoſophi caſus contingentes dixêre, conſiderantes, cùm eorum rationem naturalem inveſtigare non poſſent, Angelis tribuêre, quos profano vocabulo Lares, id eſt, DEOS particulares domorum dixêre, & Genios, id eſt, protectores Perſonarum ſuarum.

Senec. Epiſt. 3. II. Seneca in Epiſtola quadam docet, cuique homini ſuum aſſiſtere Pædagogum, & ab eo in omnibus actionibus erudiri.

Epict. l. 1. c. 14. III. Sed & Epictetus cùm dixiſſet, ſuum cuique Genium & Curatorem aſſiſtere, hæc addidit: Cùm igitur fores obduxeris, & tenebras intus feceris, non occurrat dicere: ſolus ſum; non enim es, ſed DEUS intus eſt, & Genius noſter intus eſt, quibus quid opus illato lumine, ut videant, quid facias?

Fab. conc. 1. in feſto S. Mich. IV. Cenſorinus quoque ſic loquitur: Genius ita nobis aſſiduus, obſervator appoſitus eſt, ut ne puncto quidem temporis longiùs abſcedat, ſed ab utero Matris acceptos ad extremum vitæ diem comitetur; additq; appellatum Genium, ſive quòd in ejus tutela, ut quiſque natus eſt, vivat: ſive quòd nos genitos ſuſcipiat, & tueatur.

V. Menandro teſte, omni Homini Dæmon aſſiſtit, mox ut naſcitur, vitæ myſtagogus. *Ibid.*

VI. Clemens Alexandrinus ſic ſcribit: Per Gentes & Civitates diſpoſitæ ſunt Angelorum Præfecturæ: neque iſtud ignoraverunt Romani, in quorum urbe ſcimus templum fuiſſe Genii publici, ſive Genii Populi Romani. Suos item Colonus Genios, ipſi Principi ſeorſim ſuum, grandiorem aliquem grandiori. *Clemens Alex. l. 6 ſtrom.*

VII. Cùm Joannes Thebæus Ammoni ſeni duodecim annis ſedulò ſerviſſet, etſi nullo unquam minori verbo dato, idem Ammon moriturus manum ejus prehendens dixit: Hic Juvenis, non homo, ſed Angelus eſt. Quantò magis nos commendare Angelicam ſedulitatem debemus, qui tot annis cum tanta patientia ſerviunt. *Vit. PP.*

VIII. Cùm quidam Cardinalis in Gallia gemmam centum millibus aureorum æſtimatam, cuidam ex Familia ſua cuſtodiendam obtuliſſet, ille tantâ curâ aſſervabat, ut diu noctuque ſub axilla prope cor alligatam ſervârit; quanto majori curâ Angeli animas ſibi commiſſas, velut gemmas pretioſo & inæſtimabili ſanguinis Chriſti pretio emptas cuſtodient. *Engelgr. in feſto S. Mich.*

IX. Ariſtoteles ad Alexandrum Magnum inter alia ſcripſit: Anneſcis, quod teſte Hermogene, duo ſunt Spiritus, qui te cuſtodiant, quorum unus ſtat ad dextram, & alius ad ſiniſtram, cuſtodientes, & ſcientes opera tua, & referentes Factori tuo, quidquid feceris? hoc ſolum in veritate debet te, ô Alexander retrahere ab omni inhoneſto opere. *Ariſtot. in lib. de ſecret. ſecretorum.*

X. Angelicam Cuſtodiam per illa Canticorum verba nonnulli indicatam arbitrantur: En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi. Ubi per lectulum anima, in qua cæleſtis Salomon ſuaviſſimè requieſcit, intelligitur; per fortes autem ſancti Angeli, de quibus ſcriptum eſt: Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. *Cant. 3. v. 7.*

Neceſſitas.

XI. Pinna, Concharum genus, nunquam ſine Comite eſt, quem Pinnoterem, alii Pinnophilacem vocant, is eſt ſquilla parva, alibi cancer dapis affectator. Pandit ſe Pinna, luminibus orbatum corpus intus minutis piſcibus præbens. Aſſultant illi protinus, & ubi per licentiam crevit audacia, implent illam. Hoc tempus ſpeculatus Index morſu levi ſignificat, quo illa excitata, quidquid incluſit, exanimat, partémque ſocio tribuit. Quantò magis homo ejuſmodi Comite, præſidióque indigebit, qui eum doceat neceſſariam vitæ ſpiritualis ſuſtentationem quærere? *Plinius l. 9. c. 42.*

XII. Sed & de Ceto ſcribit Ælianus, quòd ſemper ipſum piſcis quidam albo colore, prælongo capite, anguſtâ caudâ, præcedat, qui nunquam ſeparatur à Ceto, ſed ejus caput antegrediens, quaſi ſemo & dux ejus exiſtit, cuncta illi præſentit; & providet, extremáque *Ælianus. l. 2. hiſt. animal. c. 13.*

Digitized by Google

caudâ præmonſtrat tum declinanda, tum perſequenda, cibatum ei conciliat, inſidiáſque à Piſcatoribus poſitas ſigno prodit, &, ubi occurrunt brevia, ne propter molem corporis in illis hæreat, tempeſtivè præſignificat, ut aliò meatum declinare poſſit. Cùm autem ad nimiam pinguedinem Ceti perveniunt, ampliùs nec videre, nec audire poſſunt, carnium mole videndi, andiendíque meatus obſtruente. Quòd ſi eo Duce carerent, haud dubiè illis pereundum eſſet. An non ſimilem Ducem DEUS Homini providit, dum ei Angelum Cuſtodem aſſignavit.

Cultus.

Seneca l. 1. de benef. c. 8. XIII. Socrati cùm multi multa pro ſuis quiſque facultatibus offerrent, Æſchines pauper Auditor, nihil, inquit, dignum te, quod dare poſſim, invenio, & hoc uno modo pauperem me eſſe ſentio. Itaque dono tibi, quod unum habeo, me ipſum, cogitéſque, alios, cùm multa tibi dederint, plus ſibi reſervâſſe. Cui Socrates: quidni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, niſi fortè te parvo æſtimas? habebo itaque curæ, ut te meliorem tibi reddam, quàm accepi. Simile quid dicent, faciéntque Angeli Clientibus ſuis, ſi ſe totos illis donaverint, eorúmque cuſtodiæ ac directioni permiſerint.

§. XII.

AUTHORES.

I. Hieremias Drexelius in Horologio.

II. Franciſcus Albertinus de S. Angelo Cuſtode.

III. Franciſcus Labata. V. Angelus.

IV. Petrus Pennequin in Iſagoge ad amorem divinum. l. 2. c. 22.

V. Pœdagogus Chriſtianus to. 2. p. 1. c. 4. ſ. 5.

VI. Matthias Faber in feſto S. Michaëlis conc. 1. 2. 3. 4. 5. 7.

VII. Henricus Engelgrave in p. 2. cæli in feſto S. Michaëlis.

VIII. Laurentius Beyrlink in theatro vitæ hum. V. eodem. & in promptuario in feſto S. Michaëlis te. 6.

IX. Georgius Scheretus in feſto S. Michaëlis c. 2. & 3. ubi proponit hiſtorias, quæ de Angelis in novo & veteri teſtamento habentur, & cuilibet pulchrum morale ſubiecit.

X. Joſephus Langius in Polyanthæa V. eodem.

TITVLVS II.

A N I M A.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Aug. de qual. anim. Eſt actus corporis Organici, potentiâ vitam rationalem habentis. Vel, ut S. Auguſtinus definivit, eſt ſubſtantia creata, inviſibilis, incorporea, immortalis, DEO *S. Greg. l. Dial.* ſimillima, imaginem habens Creatoris ſui. De hac locutus eſt S. Gregorius, dum ait: tres vitales Spiritus creavit Omnipotens DEUS, unum, qui carne non tegitur: alium, qui carne tegitur, ſed cum carne non moritur: tertium, *S. Bern. ſ. 107.* qui carne tegitur, & cum carne moritur. Porro habet hæc Anima tres ſtatus, uti S. Bernardus indicavit, dum dixit: Advertiſtis tres eſſe animarum ſanctarum ſtatus. Primum videlicet in corpore corruptibili: ſecundum ſine corpore: tertium in corpore jam glorificato: primum in militia, ſecundum in requie, tertium in beatitudine conſummata.

Diviſio.

II. Dividitur in ſeparatam, & corpori conjunctam: Illa eſt, quæ poſt hanc vitam à corpore ſoluta uſque ad diem Judicii exiſtit; iſta, quæ vel in hac vita, vel poſt diem judicii corpus informat. Conjuncta autem eſt corpori ob quatuor cauſas. 1. *Propter DEI bonitatem*, quâ voluit creaturam corpoream eſſe participem ſuæ beatitudinis, quod eſſe non potuit, niſi ſpirituali creaturæ conjungeretur. 2. *Propter augmentum meriti*, per afflictiones & mortificationem corporis obtinendi. 3. *Propter Vniverſi perfectionem & decorem:* cùm enim eſſet creatura merè ſpiritualis, ut DEUS & Angeli: & alia merè corporalis, ut terra & arbores, & pecudes: decebat, ut etiam crearetur partim ſpiritualis, partim corporalis, nempe homo.

4. *Propter ſervitium DEI:* quod tantò gratius eſt DEO, quantò majorem occaſionem per corpus homo nanciſcitur, tum ad amorem ſuum erga DEUM oſtendendum; tum verò etiam ad alios exemplo ſuo ad eundem amorem excitandos.

Potentia.

III. Habet tres Potentias, nempe memoriam, intellectum, & voluntatem. S. Anſelmus pro tribus facultatibus ei aſſignat rationem, quâ aſſimilatur Angelis: appetitum, quo coæquatur brutis: voluntatem, quâ utriſque comparatur; nam hæc inter duas illas facultates media eſt, quæ modò appetitui, modò rationi ſuffragatur. *Drex. in Phaeth.*

Proprietates.

IV. Tres quoque illi potiſſimùm conveniunt, Inviſibilitas, Spiritualitas, immortalitas.

§. II.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

1. Cor. 15. v. 45. I. FActus eſt primus Homo in animam viventem, noviſſimus Adam in Spiritum vivificantem. Igitur ſicut portavimus imaginem terreſtris, portemus & imaginem cæleſtis.

Sap. 8. v. 19. II. Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam.

Eccl. 16. v. 17. III. In Populo magna non agnoſcar; quæ enim eſt anima mea in tam immenſa creatura.

Dignitas.

Sap. 11. v. 27. IV. Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt, Domine, qui amas animas.

Gen. 1. v. 26. V. Faciamus Hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.

Immortalitas.

Sap. 3. v. 1. VI. Juſtorum animæ in manu DEI ſunt & non tanget eos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, &, quod à nobis eſt iter, exterminium (ſeu exitium) illi autem ſunt in pace. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt.

Matth. 10. v. 28. VII. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.

Cura.

Marc 8. v. 36. VIII. Quid proderit Homini, ſi lucretur mundum totum, & detrimentum animæ ſuæ faciat? aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua?

Eccl 37. v. 25. IX. Eſt vir Sapiens animæ ſuæ ſapiens, & fructus ſenſus illius laudabilis.

Eccl. 37. v. 30. X. Fili, in vita tua tenta animam tuam, & ſi fuerit nequam, non des illi poteſtatem; non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet.

1. Petr. 4. v. 19. XI. Itaque & his qui patiuntur ſecundùm voluntatem DEI, fideli Creatori commendent animas ſuas in benefactis.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Greg. l. 4. Dial. circa princ. I. MEns refugit credere, quod oculis corporeis non v[illegible]. A quibus quærendum eſt, ſi unquam v[illegible]nt differentiam inter hominem vivum & mortuum. Et ipſis reſpondentibus, quod magna ſit differentia. Ergo in effectu & opere vidiſtis, animam eſſe creaturam & naturam magnæ virtutis atque poteſtatis, quia quidquid in corpore vidiſtis fortitudinis, pulchritudinis, ſapientiæ, totum ex animæ virtute ac fortitudine procedit.

Ibid. II. Ponamus ante mentis oculos ædificari domum, immenſas moles levari, pendere magnas in machinis columnas, quis, quæſo te, hoc opus operatur? Corpus viſibile, quod illas moles manibus trahit, an inviſibilis anima, quæ vivificat corpus? tolle enim, quod non videtur in corpore; & mox immobilia remanent cuncta, quæ movere videntur viſibilia corpora metallorum, quâ ex re penſandum eſt, quòd in hoc quoque mundo viſibili nihil niſi per creaturam tuam inviſibilem diſponi poteſt. Nam ſicut omnipotens DEUS aſpirando & implendo ea, quæ ratione ſubſiſtunt, & vivificat, & movet inviſibilia; ita quoque inviſibilia implendo movet, atque ſenſu vivificat carnalia corpora, quæ videntur. Sic ergo anima, licet inviſibilis ſit in natura, videtur tamen in opere, quod ab ipſa procedit.

Immortalitas.

III. Hujus autem rei (ſcilicet immortalitatis) veritatem duo atteſtantur apertè. 1. Prompta voluntas, quam viri Spiritu Sancto pleni, videlicet Apoſtoli ac Martyres, qui in hoc errare non potuerunt, habuerunt, animas ſic ponendi, ut in æternum viverent. Nunquid enim Sancti Apoſtoli & Martyres præſentem vitam deſpicerent, & in morte carnis animas ponerent, niſi certiorem vitam animarum ſubſequi ſcirent? 2. Miracula Sanctorum; nam ſicut vita animæ manentis in corpore ex motu deprehenditur membrorum; ſic vita animæ poſt corpus in Sanctis penſanda eſt ex virtute miraculorum, quia per hoc arguitur eos in bona fide fuiſſe mortuos; non autem in aliena fide fuerunt, nec pro alia mortui ſunt, niſi quòd animæ viverent poſt mortem. *Ibid.*

IV. Anima Horizon eſt æternitatis & temporis; quà enim immortalis, æternitatis eſt particeps; quà verò corpori à DEO infuſa, particeps eſt temporis. *Triſmegiſtus in Aſclepio.*

Dignitas.

V. Huc Magiſtra lex tendit; huc inter Chriſtum & legem interjecti Prophetæ; huc ſpiritualis legis perfector & finis Chriſtus; huc exinanita Deitas; huc aſſumpta Caro; huc nova illa mixtio, DEUS, inquam, & homo. Atque hæc omnia propter omnia, & pro uno illo generis noſtri Principe in unum coïerunt. *S. Greg. Naz. orat. 2.*

VI. Mira quærentis DEI dignatio, magna dignitas hominis ſic quæſiti, in qua ſi gloriari voluerit, non erit inſipiens, non quòd aliquid videatur eſſe tanquam à ſeipſo, ſed quòd tanti eum fecerit ipſe, à quo creatus eſt. Omnes enim divitiæ, omnis gloria Mundi, & quidquid in eo conſpicitur, minus eſt hac gloria, imò nec eſt aliquid in comparatione ejus. *S. Bern. ſ. 1. de advent.*

VII. Totus quidem iſte Mundus ad unius animæ pretium æſtimari non poteſt; non enim pro toto mundo animam ſuam DEUS dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius ergo eſt animæ pretium, quæ non niſi ſanguine Chriſti redimi potuit. Nonne DEI Filius, cùm eſſet in ſinu Patris, à regalibus ſedibus pro ea deſcendit, ut eam à poteſtate Diaboli liberaret? flevit ipſam, nec ſolùm flevit, *S. Bern. c. 8. med.*

 ſed

ſed etiam morti ſe obtulit, ut pretioſi ſanguinis ſui pretio eam redimeret. Aſpice mortalis, pro te datur hoſtia talis.

Idem ſ. 67. de int. Dom.

VIII. Quid majus his tibi facere potuit, quàm ut ad ſimilitudinem ſuam conderet Factor tuus? attende igitur diligenter primæ conditionis tuæ excellentiam, & venerandæ Trinitatis imaginem in teipſa agnoſce.

Iſid. l. 1. de ſumm. bono.

IX. O homo, quid miraris ſiderum altitudinem, & profunditatem maris? animi tui abyſſum intra, & mirare, ſi potes.

Cura.

S. Bern. ſ. 14.

X. Quid indecentiùs, quàm curvum recto corpore gerere animum?

S. Auguſt. in quod. ſerm.

XI. Quid eſt, quod velis habere malum? dices mihi, nihil omnino. Non uxorem, non filium, non filiam, non ſervum, non ancillam, non tunicam, poſtremò non caligam; & tu vis habere malam vitam? rogo te, præpone animam tuam caligæ tuæ.

S. Bern. ſ. de dedicat.

XII. Ad imaginem DEI facta anima rationalis, ceteris rebus occupari poteſt, repleri non poteſt; capacem enim DEI, quidquid DEO minus eſt, non implebit.

S. Chryſoſt. lib. de reparat. lapſ.

XIII. Si animam negligamus, nec corpus ſalvare poterimus; non enim anima pro corpore, ſed corpus pro anima factum eſt. Qui ergo, quod primum eſt, negligit, &, quod inferius eſt, extollit, utrumque corrumpit. Qui verò ordinem ſervat, &, quod primum eſt, colit, etiamſi negligat, quod ſecundum eſt, per primi ſalutem ſalvabitur & ſecundum.

§. IV.

EXEMPLA CATHOLICA.

Dignitas.

Surius in vita.

I. CHriſtus S. Carpo Cretenſium Epiſcopo revelavit, tanti ſe facere quamvis animam, ut pro ea denuò mori, imò & inferni tormenta ſuſtinere paratus ſit.

L. 3. Inſin. c. 41.

II. Sed & S. Gertrudi quondam dixit: tanto adhuc caritatis dulcore erga te cor meum afficitur, ut, ſi ſaluti tuæ expediret, alitérque felicitatem æternam conſequi non poſſes, vellem pro te ſolâ tolerare omnia, quæ toleravi pro toto mundo.

Lib. 7. rev. c. 19.

III. S. Birgitta ab eodem audivit: Dilectio mea erga hominem modò æquè grandis atque incomprehenſibilis eſt, ſicut erat tempore paſſionis meæ, quando per mortem meam ex nimia caritate liberavi omnes Electos. Et ſi fieri poſſet, ut toties morerer, quot ſunt animæ in inferno, ego promptiſſima voluntate, & perfectiſſima caritate corpus meum traderem, eandémque paſſionem & mortem pro quâlibet anima ſuſtinerem, quam ſuſtinui pro omnibus.

Pennequin p. 1 Iſagog. c. 27.

IV. Eadem aliquando in judicio vidit, & audivit in judicio Diabolum fatentem, ſe majori impetu ferri in perniciem animarum, quàm torrens violentus per campos rapi conſuevit. Cauſam deinde rogatus à Chriſto reſpondit: quia tu illas tantopere amas.

Surius in vita.

V. S. Catharina Senenſis cùm ſemel animæ pulchritudinem vidiſſet, tantam de iis æſtimationem concepit, ut, quoties Operarium aliquem ſpiritualem tranſeuntem videret, pedum illius veſtigia exoſcularetur.

Ibid.

VI. Eidem aliquando pro Feminæ peccatricis anima deprecanti, Chriſtus illius animam è corpore egredientem oſtendens, dicebat: Vides, Filia, homini meritò pro ſalute rei tam pretioſæ & tam eximiæ pulchritudinis, omnes labores ſubeundos, & cùm ego tanta pro ipſo fecerim, & paſſus ſim, homini non inferiora eſſe toleranda.

Pennequin l. c.

VII. B. Furſeo aliquando Angeli dixerunt, unicam Beatis in cælo triſtitiam, id eſt, diſplicentiam naſci de perditione animarum.

Immortalitas.

2. Reg. 12. v. 23.

VIII. S. David mortuo Filio ex Berſabea ſuſcepto, dicebat: Ego magis vadam ad eum, ille verò non revertetur ad me: Ergo ſuperſtitem credidit, quia non itur ad quempiam non exiſtentem.

2. Mach. 7. v. 11.

IX. E cælo iſta poſſideo, (dicebat unus ex Filijs Machabæorum,) ſed propter DEI leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero.

3. Reg. 17. v. 21.

X. Elias audiens Filiæ Sareptanæ Filium mortuum, oravit ad DEUM his verbis: Domine DEUS meus, revertatur obſecro anima Pueri hujus in viſcera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reverſa eſt anima Pueri ad eum, & revixit.

Tob. 2. v. 18.

XI. Tobias ad Domeſticos dixit: Filij Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam DEUS daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. Iterumque poſtea *Ib. 3. v. 6.* dixit: Et nunc, Domine, ſecundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi Spiritum meum; expedit enim mihi mori magis, quàm vivere.

2. Mach. 6. v. 26.

XII. Cùm Eleazarus ad mortem raperetur, inter alia dixit: Etſi in præſenti tempore ſupplicijs hominum eripiar, ſed manum omnipotentis DEI nec vivus, nec defunctus effugiam.

2. Mach. 14. v. 46.

XIII. Razias ſtans ſupra grandem Petram præruptam, & jam exanguis effectus, complexus inteſtina ſua, utriſque manibus projecit ſuper turbas, invocans Dominatorem vitæ ac Spiritûs, ut hæc iterum illi redderet, atque ita vitâ functus eſt.

§. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

Hiſt. Soc. p. 1. l. 16. n. 113.

I. S. Ignatius, ſi quandoque homines ipſi occurrerent, conſiderans animarum à Chriſto redemptarum ſplendorem ac pretium, vix interdum lætitiæ æſtuantis vim, ne ſe extra effuſiùs proderet, temperabat.

Epiſt. S. Xav.

II. S. Franciſcus Xaverius, cùm parvulum quendam ad cælos tranſmiſiſſet, dicere auditus

eſt,

eſt, hoc ſibi præmium ſufficiens eſſe pro tam longinquo & moleſto itinere in Indiam ſuſcepto, quòd ſcilicet unam animam cælo tranſmiſiſſet.

Vide plura in prima parte Bibliothecæ V. Zelus. §. VI.

§. VI.

EXEMPLA PROFANA.

Plutarch. I. ANaxarchus à Nicocreonte Cypri Tyranno captus, & malleis ferreis in ſaxo excavato contuſus, tunde, inquit, tunde bene Anaxarchi carnes & oſſa, Anaxarchum autem, id eſt, animam illius, velut potiorem hominis partem, nequaquam tundes.

Ælianus l. 13. II. Cercidas Megapolitanus cùm in morbum incidiſſet, & quæreretur, num libenter moreretur? quidni, ait; videbo enim poſt mortem viros in omni ſcientiarum genere doctiſſimos, ex Philoſophis Pythagoram, ex Hiſtoricis Hecatæum, ex Poëtis Homerum, ex Muſicis Olympum, qui ſuis literarum monumentis immortale ſibi nomen pepererunt.

Beyrlinck. in theatro vit. hum. v. eod. III. Cùm Michaël Mercatus & Marſilius Ficinus de immortalitate diſputantes inter ſe conveniſſent, quòd, qui prior eorum moriturus eſſet, apparere, & quid de animabus poſt vitam ageretur, ſignificare deberet, accidit, ut paulò pòſt Michaëli ſtudijs intentus, equum celeri greſſu ad ædes ſuas accurrentem, ſimúlque vocem iſtam audiret: O Michaël, Michaël, nimis vera ſunt omnia, quæ de immortalitate diſcurrimus; cùmque iterum equus abijſſet, Michaël inquirens, quid circa Marſilium ageretur? audivit eum mortuum eſſe, ſimúlque decrevit, non prophanæ ampliùs, ſed cæleſti Philoſophiæ exercendæ & docendæ reliquum vitæ impendere.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Dignitas.

Anonym. I. SIcut ſigilli aut imaginis præſtantia ac dignitas ex dignitate objecti repræſentati aut Ideæ colligitur; ita, cùm anima ſit ad imaginem DEI facta, meritò ſummam quoque ex eo dignitatem, æſtimationémque haurire creditur.

Granat. in locis comm. v. eod. II. Sicut in nucibus, amygdalis, & ſimilibus fructibus præcipua pars nucleus eſt, cortex verò theca tantùm & receptaculum eſt; ſic anima quoque præcipua pars hominis cenſenda, & ab ea, non à corpore velut cortice, dignitas & præſtantia hominis metienda eſt.

Immortalitas.

Anonym. III. Sicut naturalis appetitus materiæ, quo appetit aliam formam ſuſcipere, argumentum eſt corruptionis omnium rerum materialium; ita è contrario appetitus naturalis æternitatis, qui in anima noſtra eſt, immortalitatis eſt argumentum; alioqui enim perperam inſtituta eſſet natura, ſi ea rei impoſſibilis naturalem nobis appetitum inſeruiſſet; cùm is omnino fruſtra eſſet.

Cura.

IV. Sicut ille Maritus, qui Uxorem dominari permitteret, & ad viliſſima quæque domûs ſervitia ſe perſuaderi ab illa ſineret, meritò ab omnibus ut inſanus rideretur: ita non minùs ille homo DEO, Angelis, & Dœmonibus riſum movebit, qui animam ſuam à corpore, velut conſorte, ad viliſſimum rerum creatarum amorem & uſum abduci patitur. *Anonym.*

V. Sicut is, qui Ancillam optimè veſtiret, & paſceret, Dominæ verò ipſi non niſi laceras, ſordidáſque veſtes, ac cibum, potúmque viliſſimum offerret, meritò imprudens ac ſtultus cenſeretur; ita non minorem ſtultitiam committere putandus eſt, qui neglectâ animæ curâ, omnem ſollicitudinem in corpore bene tractando impendit. *Idem.*

§. VIII.

MOTIVA.

Pro Animæ cura.

I. QUia eſt *templum & imago DEI*: ſi ergo pro tanto piaculo habemus, templum materiale humani ſanguinis effuſione vel ſordibus polluere; quantò major ſollicitudo adhibenda erit, ne vivum DEI templum & imago, id eſt, anima, fœdiſſimis peccatorum ſordibus, & Chriſti ſacratiſſimo ſanguine quodammodo profuſo polluatur.

II. Quia nihil *pretioſius* eſt in univerſo mundo, exceptis Angelis; ſi ergo tam ſollicitè cuſtodimus gemmas aut alias res pretioſas; quantò magis cavendum erit, ne animæ incomparabiliter magis pretioſæ jacturam faciamus.

III. Quia *unicam duntaxat animam habemus*, quâ perditâ omnia perdidimus, uti eleganter S. Chryſoſtomus indicavit his verbis: Omnia duplicia naturæ noſtræ dedit DEUS, binos oculos, binas aures, binas manus, binos pedes: ſi alterutra pars eſt læſa è duobus, neceſſitati per alteram ſervimus. Animam verò unam dedit nobis, hanc ſi perdiderimus, quid ſupereſt, quocum in vita maneamus? *S. Chryſoſt. 19. ad pop. Antioch.*

IV. Quia in omnibus rebus volumus *optima* habere; cur ergo non & animam optimam? vide §. 3. n. 11.

§. IX.

MEDIA.

Ad animæ curam.

I. F*Requens invocatio auxilij Divini*: nam juxta Salomonem, nemo poteſt eſſe continens (atque adeò etiam ſolidam animæ curam gerere) niſi DEUS det. *Sap. 8. v. 21.*

II. *Humilitas*: nam ita Chriſtus ipſe ſignificavit, dum dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. *Matth. 11. v. 29.*

III. *Accurata ſenſuum cuſtodia*: ita quippe Salo- *Prov. 4. v. 23.*

Salomon ſuaſiſſe videtur, dum dixit: Omni cuſtodia ſerva cor tuum (& animam tuam) quoniam ex ipſo vita procedit.

Matth. 10. v. 39.

IV. *Abnegatio aſſidua*: de hac enim locutus eſt Chriſtus, dum dixit: Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.

Sap. 3. v. 1.

V. *Amor & ſtudium Iuſtitiæ Chriſtianæ*; nam juſtorum animæ in manu DEI ſunt, & non tanget illos tormentum mortis; viſi ſunt oculis inſipientium mori, & quaſi exterminium exitus illorum, illi autem ſunt in pace. Tales in fine vitæ eum veritate dicent: In manus tuas commendo Spiritum meum.

§. X.

ASCETICA.

I. TRia ſunt præcipuè, quæ de anima bene diſcere, aliiſque inculcare debet Aſceta. Primum eſt, ut dignam de ejus pretio & dignitatate æſtimationem concipiat, quam quidem haud difficulter obtinebit, ſi ea, quæ ex SS. Patribus ſuprà allata ſunt, bene ponderet, addátque memorandam hanc S. Ambroſij ſententiam: Pictus es, ô homo, pictus es à Domino DEO tuo. Bonum habes Artificem, atque pictorem; & quid in te pinxit? abſque dubio imaginem & ſimilitudinem ſuam. Imago ad naturam ſpectat, ſimilitudo ad Divinos mores, atque ita anima tua eſt expreſſa effigies DEI, quantùm interminata illa vis ac natura exiguo in opere præſentari poteſt. Non parùm etiam augebitur hæc æſtimatio, ſi, quanta pro quâvis anima Chriſtus egerit, tulerítve, ſedulò perpendatur, ſic inquam, ut S. Bernardus hortatur, memoria refricetur infantilium neceſſitatum; deinde laborum, quos tulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, inſidiarum in colloquendo, poſtremò periculorum in falſis Fratribus, conviciorum, ſputorum, colaphorum, flagellorum, irriſionum, ſubſannationum, exprobrationum, clavorum, horúmque ſimilium, quæ in ſalutem noſtri generis operatus eſt triginta & tribus annis, & paſſus in medio terræ.

S. Bern. ſ. de quadru plic. debito.

II. Secundum eſt, ut diſcat, in quo conſiſtat perfectio & felicitas animæ; quâ de re præclarè diſcurrit Seneca in hunc modum. Quæ conditio rerum, eadem & hominum eſt. Navis bona dicitur, non quæ pretioſis coloribus picta eſt; nec cui argenteum aut aureum roſtrum eſt, nec cujus tutela ebore celata eſt, neque fiſcis atque opibus regijs preſſa eſt, ſed ſtabilis & firma, & juncturis aquam excludentibus ſpiſſa, ad ferendum incurſum maris magis ſolida, gubernaculo parens, velox, & non ſentiens ventos. Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt balteus, nec cujus vagina gemmis diſtinguitur, ſed cui ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quàm formoſa, ſed quàm recta ſit, quæritur; eo quidque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium eſt. Ergo in homine quoque nihil attinet, quantùm aret, quantùm fœneret, à quàm multis ſalutetur, quàm pretioſo incumbat lecto, quàm perlucido poculo bibat, ſed quàm bonus ſit; bonus autem eſt, ſi ratio explicita & recta eſt, & ad naturæ ſuæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus: hæc eſt honeſtum & unicum hominis bonum. Clariùs S. Bernardus: Ad imaginem DEI facta anima rationalis, cæteris rebus omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt; capacem enim DEI, quidquid DEO minus eſt, non implebit. Hinc S. Auguſtinus: væ, inquit, animæ audaci, quæ ſperavit, ſi à te receſſiſſet, ſe aliquid meliùs habituram. Verſa te, reverſa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies, & ecce ades. Atque hæc cauſa eſt, cur, ut S. Chryſoſtomus inquit, omnem creaturam ſenſibilem DEUS armatam & munitam creaverit, alios veloci pedum curſu, alios unguibus, alios pennis, alios cornibus, hominẽ ſolum ſic diſpoſuerit, ut virtus illius ſit ipſe DEUS, & in eo, in quo inferiorem ipſum fecit, in ipſo fortiorem eſſe voluerit in ſe, ut neceſſitate infirmitatis coactus ſemper neceſſe habeat Dominum ſuum requirere.

Senec. ep. 77 ad Lucil.

S. Bern. de dedic.

S. Aug. l. 6. confeſſ.

S. Chryſoſt. ſuper Matth. c. 7.

III. Ut diſcat, quomodo ad dictam felicitatem & perfectionem ſuam pervenire queat, nimirum eo modo, quem Hugo indicavit, dicens: Vide homo, dicit Mundus, quomodo amavit te, qui propter te fecit me. Servio tibi, quia factus ſum propter te, ut ſervias illi, qui fecit me & te: me propter te, & te propter ſe: ſi ſentis beneficium, redde debitum; ſi accipis benignitatem, redde caritatem. Clariùs S. Gregorius: Quoquo ſe verterit anima, inquit, ſi vigilanter intendit, in eiſdem ipſis DEUM invenit, per quæ reliquit, ejúſque potentiam eorum conſideratione cognoſcit, quorum amore deſeruit: & per quæ perverſa cecidit, per hæc converſa revocatur. Hinc S. Bernardus animam ſic alloquitur: O anima inſignita DEI imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata in fide, dotata in Spiritu, redempta Sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne, quâ haud aliud vilius ſterquilinium inveniſti? nimirum ſurſum, ut bene notat Seneca, animum vocant initia ſua; erit autem illic etiam antè, quàm hâc cuſtodiâ exolvatur. Si vitia ſua deſeruit, purúſque ac levis in cogitationes divinas emicuit.

S. Greg. l. 26. mor.

S. Bern. in medit.

Senec. ep. 80.

§. XI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione ſententiæ illius: *cujus eſt imago hac & ſuperſcriptio?* poteſt pulchrè explicari, quomodo homo ſit imago DEI, atque adeò in duas partes dividi concio. In prima oſtendatur, in quibus rebus poſita ſit hæc ratio ſeu forma imaginis, nempe in cognitione & amore DEI; per hæc duo enim perfectè aſſimilatur illi, & perfectionem illius, beatitudinémque participat. In ſecunda oſtendatur, quantopere hæc cogitatio quemvis excitare debeat, ad omnem

Matth. 22. v. 20.

Digitized by Google

omnem peccati maculam & injuriam ſtudioſiſſimè cavendam; ſi enim pro maximo piaculo habemus, imaginem B. Virginis aut alterius Sancti in lutum projicere, aut aliam eis irreverentiam exhibere; quantò majus cenſendum erit, ipſius DEI imaginem in ſtercus voluptatum præcipitare, & graviſſimâ peccati injuriâ afficere. Afferri poteſt eum in finē exemplum Boleslai Regis Poloniæ, qui Patris ſui imaginem collo ſuſpenſam, quoties ad peccatum tentabatur, pectori appreſſit, dixitque: Abſit Pater, ut rem aliquā tibi, mihiq; minùs honorificam cōmittam. Vide Fabrum in Dom. 22. poſt Pentec. c. 5. & 6.

1. Cor. 3. v. 16. II. Ex occaſione ſententiæ S. Pauli: *Neſcitis, quia templum DEI eſtis, & Spiritus DEI habitat in vobis?* poteſt monſtrari 1. quàm verè nobile templum ſit anima, eúmque in finem comparatio inſtitui cum templo Salomonico, dicíque, quòd anima in tribus illud longè excedat, nempe in ſumptibus factis, in cultu DEI, favoribúsq; collatis. 2. Inferri poteſt, quantopere cavendum ſit, ne hoc templum polluatur, per transgreſſionem Verbi Divini, & Sanguinis Chriſti perditionem, per peccatum mortale factam; aut certè ſi pollutū ſit, quàm celerrimè iterum reconciliandum ſit, Deóque conſecrandum, aquâ lacrymarum verè benedictâ eum in finem adhibitâ. Exaggerari etiam poteſt illa S. Pauli l. c. ſententia: Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum DEUS. Templum enim DEI ſanctum eſt, quod eſtis vos. Vide Fabrum in feſto Dedic. conc. 6. n. 4. & conc. 8. n. 3. & conc. 10. totâ.

Eccl. 26. v. 20. III. Ex occaſione ſententiæ Salomonis: *omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ*, id eſt, à peccato abſtinentis, & in gratia DEI conſtitutæ. Eum in finem ſervire poteſt,

Sap. 7. v. 8. quod idem Salomon de Sapientia dixit, nempe 1. *Prapoſui illam regnis & ſedibus*; quia talis anima poſſidet ſummum regnum ſuiipſius juxta illud Senecæ: Rex eſt, qui metuit nihil: Rex eſt, quique cupit nihil: hoc regnum ſibi quiſque dat. Et Chriſtus apud S. Lucam: Ecce enim regnum DEI intra vos eſt. 2. *Divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius*; quia in anima ſancta verum aurum caritatis Dei & proximi, & argentum puræ conſcientiæ, gemmæ virtutum aliarum, & uniones bonorum operum reperiuntur. 3. *Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam*: quia verè nihil pulchrius animâ juſtâ eſt, uti olim Chriſtus S. Catharinæ Senenſi oſtendit; & verò etiam ex ipſo corpore colligi poteſt, ſi enim hoc (velut domus animæ) tam ſpecioſum eſt, quantò pulchriorem fore credendum eſt ipſam animam, pro qua corpus velut habitatio præparata eſt?

Gen. 1. v. 27. IV. Ex occaſione ſententiæ: *Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*: oſtend poteſt, quàm ſapienter DEUS hominem ad imaginem ſuam *ex nihilo* creaverit. 1. Ut per hoc ſemper in humilitate conſervaretur, diſceréque, omnia ſoli DEO adſcribere; ſi enim ei, qui arborem plantavit, meritò & fructus adſcribuntur, quidni & DEO, qui ſolus animam creavit, fructus quoque illius boni adſcribantur? 2. Ut meminiſſet, quòd, ſicut à nulla re in creatione ſua dependebat, ita in vivendo quoque ſolum DEUM reſpicere, ejúsq; gloriam & honorem quærere debeat, ſi quidem dignitatem & felicitatem ſuam ſuſtinere velit, id quod aptè expreſſit S. Auguſtinus, dum dixit: Scio, Domine, quia malè mihi eſt præter te, non ſolùm extra me, ſed etiam in me ipſo. Et omnis copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt mihi. Ut adeò meritò quiſque ſaluberrimam illam Senecæ ſententiam ſibi applicet: Nolo tibi deeſſe lætitiam, volo illam tibi domi naſci: naſcetur, ſi modò intra temetipſum ſit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt: leves ſunt, niſi fortè tu judicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet eſſe alacer, & fidens, & ſuper omnia erectus. 3. Ut meminerit, omnē ſpē ſuā in Deo ponere; ad quem enim opus quodque magis confugiat, quam ad Artificem ſuum? Unde eleganter S. Chryſoſtomus hominem ad hanc fiduciā ſic hortatur: animalia fecit DEUS propter hominem, hominem propter ſeipſum. Si ergo animalibus miniſtrat propter hominem, hominibus nō miniſtrabit propter ſeipſū? quidni ergo dicat cum S. Davide: Mihi autem adhærere Deo meo bonū eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meā? Pſ. 72. v. 28.

V. Ex occaſione thematis: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* oſtendi poteſt, cur homo animæ ſuæ curā omnibus præponere debeat, nempe 1. Quia caritas incipit à ſeipſo, utpote qui ſibi proximus eſt. Certè omnes creaturæ totis viribus ad ſuum finem & perfectionem tendunt. 2. Quia anima eſt fundamentum & finis omnium bonorum, quæ appetimus; ſi ergo hoc corruat, neceſſe eſt, omnia alia cū ipſo corruere, & in exitium labi. Hinc pulchrè huc applicari poteſt parabola Davidi à Nathan propoſita de viro unam tantùm oviculam, quæ erat ei ſicut Filia, habente, & tamen per vim ablata. 3. Quia anima eſt talentum pretioſiſſimum homini à DEO concreditum; ſi ergo, cui multùm datum eſt, multùm requiretur ab eo, quàm ſeveram rationem DEUS ab homine ob hoc pretioſiſſimum talentum malè collocatum, aut omnino perditum exiget? Matth. 16. v. 26. 2. Reg. 12. v. 3.

VI. Ex occaſione thematis: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*: oſtendi poteſt, quis ſit finis animæ in corpore creatæ, nempe ut ad cœleſtem Patriam per viam mandatorum tendat; hinc ei corpus velut equus aſſignatus, erga quod proinde tria officia exercere debet. 1. Cibum & ſtabulum illi non ad luxuriam & ſatietatem, ne recalcitret; ſed ad neceſſitatem & honeſtam relaxationem, uti & ſomnum ad neceſſariam quietem concedere. 2. Frenum applicare per mortificationem, ne vel extra ſemitam mandatorum excurrat, aut cibi, potúsve, aut luxuriæ immodico uſu & appetitu iter impediat. Hinc Apoſtolus monet: mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem; immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus in quibus & vos ambulâſtis aliquando, cùm viveretis in illis. 3. Flagellum & calcaria caſtigationis adhibere, ſi fortè contumaciam oſtenderit, aut extra orbitam abduxerit; hinc Salomon di- 1. Cor. 9. v. 27. Prov. 26. v. 3.

xit: Flagellum equo, & camus aſino, & virga in dorſo imprudentium. Si ergo quivis eques manſuetum & tractabilem equum quærit, aut facere ſtudet, quidni & ſimile ſtudium adhibeat anima, ut corpus ſuum manſuefaciat, & in ſervitutem redigat?

Cant. 2. v. 10. VII. Ex occaſione thematis: *Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni:* poteſt anima columbæ à Noë olim ex arca dimiſſæ comparari, quæ, cùm non inveniſſet, *Gen. 8. v. 9.* ubi requieſceret pes ejus, ad eum in arcam reverſa eſt. Oſtendatur itaque 1. quomodo anima à DEO dimiſſa non invenerit in creaturis, ubi pes, id eſt, affectus illius requieſceret. Eum *Eccleſ. 2. v. 5. & 10.* in finem exemplum Salomonis afferri poteſt, qui, etſi dixerit: Vadam, & affluam delicijs, nec prohibuerit cor ſuum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ præparaverat, in omnibus tamen his vanitatem & afflictionem animi expertus eſt. 2. Oſtendatur, *S. Aug. l. 1. confeſſ.* quomodo in ſolo DEO quietem ſuam reperire queat juxta illud S. Auguſtini: Feciſti nos, Domine, ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Hinc meritò S. Anſelmus animam talem ſic alloquitur: Quid vagaris, ô anima, per multa quærens bona corporis & animæ? quære unum bonum, in quo eſt omne bonum, & ſufficit.

1. Theſſ. 5. c. 23. VIII. Ex occaſione thematis: *Ipſe autem DEUS pacis ſanctificet vos per omnia, ut integer Spiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri IESU Chriſti ſervetur:* poteſt explicari triplex ratio, ob quam anima corpori eſt juncta, & inde doctrinæ morales erui. 1. *Propter perfectionem univerſi:* ut eſſet creatura partim ſpiritualis, partim corporalis; unde quia ſpiritualis pars haud dubiè potior eſt corporali, rectè quoque infertur, hanc illi, & non viciſſim ſervire debere ad finem ſuum. Id quod præclarè S. Bernardus indicavit his verbis corpus alloquens: Propterea noli, corpus, noli præcipere tempora, potes enim impedire animæ tuæ ſalutem, tuam ipſius operari non potes. Omnia tempus habent. Patere, ut nunc anima pro te laboret; magis autem etiam collabora ei, quoniam ſi compateris, & conregnabis. Quantùm ejus impedis recreationem, tantùm impedis tuam, quòd nimirum ante reparari non poterit, donec ſuam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem Hoſpitem habes, ô caro, nobilem valde, & tota ſalus tua pendet de ejus ſalute. Da honorem Hoſpiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua, anima verò peregrina & exul apud te eſt hoſpitata. Quæſo te, quis Ruſticus, ſi fortè Nobilis & præpotens quiſpiam apud eum voluerit hoſpitari, non libenter in angulo domûs ſuæ, aut ſub gradibus ſuis, vel ipſis cineribus accubabit, cedens Hoſpiti ſuo locum, ſicut dignum eſt, potiorem? & tu ergo fac ſimiliter. 2. *Propter augmentū meriti:* quia virtus in infirmitate & tentatione, qualis vel maximè in corpore reperitur, perficitur; unde non negligenda occaſio, ſed corpore utendum ut equo, applicãdo frenum mortificationis, & flagellum vel calcaria mortificationis, ut nos ad optatam perfectionem & meritum provehat. 3. *Propter participationem ſolatij:* ut ſcilicet, ſicut corpus in laboribus & afflictionibus participat; ita in requie etiam & conſolationibus particeps fiat, juxta illud S. Pauli: ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis *2. Cor. 1. v. 7.* & conſolationis. Unde exhortandi Auditores ad corporis incõmoda alacri ac æquo animo ſuſtinenda.

§. XII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. AD cœleſtia & Divina animi noſtri ſe habent ut Promethei ſtatuæ, quæ etiam Solis radijs expoſitæ nec vigorem habebant, nec movebantur; at ubi conſcenſo olympo Prometheus virgulam Soli admovit & incendit, & redux in terram ſtatuæ ſuæ inſeruit, illico in membris motus, & in ſtatuis fuit repertus. *Drex. in Triſm. l. 3. c. 2. §. 3.*

II. Maximum eſt argumentum animi ab altiori venientis ſede, ſi hæc, in quibus verſatur, humilia judicat, & anguſta, ſi exire non metuit; ſcit enim, quò exiturus ſit, quia, unde venerit, meminit. *Sen. ep. 121.*

III. Exemplūq; Dei quiſq; eſt in imagine parva. *Man. l. 4.*

IV. Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo. *Ovid. 6. Faſt.*
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Immortalitas.

V. An dubium eſt, habitare DEUM ſub pectore noſtro, *Man. l. 4.*
In cœlúmque redire animas, cælóque venire.

Dignitas.

VI. In anima noſtra ſublime quiddam ac Divinũ eſſe vel hoc ex argumento colligitur, quòd cùm DEUS reliqua animalia conderet, ſolummodo dixerit: Producant aquæ reptile animæ viventis, & omne volatile ſuper terrã; anima enim piſcium, volatiliúmq; ex eadẽ materia cum corpore deſumpta eſt; at quando homo formatus eſt, corpus quidẽ ex limo terræ fabricatũ, anima verò velut ſpiraculũ vitæ à Deo inſpirata eſt. *Granat. in loc. com. f. 92.*

VII. Tutum iter & jucundum eſt, ad quod natura te inſtruxit; dedit tibi illa, quæ, ſi non deſeris, par Deo conſurges. Parem autem Deo pecunia non facit; Deus autẽ nihil habet. Prætexta non faciet, Deus nudus eſt. Fama non faciet, nec oſtentatio tui: nemo novit Deum, licet multi malè de illo exiſtiment, & impunè. Non turba ſervorum lecticam tuam portantium, Deus ille maximus, potentiſſimúſque ipſe omnia vehit. Nec forma quidem & vires beatum te facere poſſunt; nihil horum non patitur vetuſtatem. Quid ergo? animus, ſed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quàm Deum in corpore humano hoſpitantem? hic animus tam in Equitem Romanum, quàm in Libertinum, quàm in ſervum poteſt cadere. *Senec. ep. 31.*

VIII. Nihil magnum eſt in humanis rebus; niſi animus magna deſpiciens. *Cicero de nat. quæſt.*

IX. Omnis ſuo bono cõſtat vitæ fertilitas: cõmẽdat vinũ ſapor, & velocitas cervũ. Quàm fortia dorſo jumenta ſint, quæris. In cane ſagacitas prima eſt, ſi feras inveſtigare debet: curſus, ſi cõſequi; audacia, ſi mordere & invadere. Illud cuiq; optimũ eſſe debet, cui naſcitur, quo cẽſetur. In homine optima quidẽ eſt ratio; hâc antecedit animalia cetera, Deũ ſequitur. Ratio ergo perfecta *Senec. ep. 77. ad Lucil.*

primum

Digitized by Google

primum hominis bonum eſt, cætera illi cum animalibus ſatis ſupérque communia ſunt. Eſt fortis, videlicet & leones: velox eſt, & equi: corpus habet, & arbores: habet imperium ac motum voluntarium, & beſtiæ ac vermes: habet vocem, quantò clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem & nobiliorem luſciniæ.

Cicer. l. 2. de leg. XI. Omnium animi immortales ſunt, ſed bonorum, fortiúmque Divini.

Senec. ep. 99. XII. Valentior omni fortuna animus eſt, beatæ ac miſeræ vitæ ſibi cauſa eſt.

Idem ep. 8. XIII. Cogita in te, præter animum, nihil eſſe mirabile, cui magno nihil eſt magnum.

Cura.

Drex. in Triſmeg. l. 3. c. 1. §. 4. XIV. Iſocrates, cùm Diſcipulum horti ſtudioſiſſimum, ſed in ornandis moribus languentem vidiſſet, nec in ſtudijs quidquam proficere advertiſſet, his verbis eum allocutus eſt: Obſecro, ne hortum habeas cultiorem, quàm animū.

Ibid. §. 3. XV. Stilpon interrogatus, quem hominem judicaret ſtatuis ſimillimum? hominem, reſpondit, ſtupidum, & animi ſui negligentem.

Ibid. §. 2. XVI. Demonax Philoſophus de hominibus ſui curam negligentibus dixit: ſtultiſſimi mortalium omnem ſollicitudinem ſuam ponunt in exſtruendis ædibus, & hominum, qui ædes illas inhabitaturi ſunt, nullam penitus rationem habent. Et quid magis miremur; quàm cùm omnes & cupiant optimè vivere, & ſciant, non aliare, quàm animo ſic vivi, nec fieri poſſe, quin ſi optimè vivant, animus colendus ſit, tamen animum ſuum minimè colant.

Ibid. c. 3. §. 1. XVII. Europa Regis Agenoris Filia ad litus Tyrij maris in prato nitidiſſimo taurum conſpicata, quamvis primò metueret, tamen ubi mitem, blandientem, & ad ſeſſionem invitantem vidit, tandem adire, tangere, herbas porrigere, & demum tergo inſidere cœpit; verùm mox ab eo in mare abducta, fruſtra ad litus reſpexit, ſuíque luſûs audaciam damnavit. Idem animæ cum corpore contingit, niſi ab initio blanditias ejus damnet; abducetur enim paulatim à litore cœleſtis Patriæ in mare iniquitatis & malorum, fruſtráque amiſſam Patriam ſuſpirabit.

XVIII. Summum crede nefas, animam præferre pudori, *Iuven. ſat. 8.*

Et propter vitam vivendi perdere cauſas.

XIX. Non immeritò cecinit Ovidius: *Ovidius.*

Ut corpus redimas, ferrum patiêris, & ignes,
Arida nec ſitiens ora lavabis aquâ.
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet?

§. XIII.

AXIOMATA.

I. ANima magis eſt, ubi amat, quàm ubi animat.

II. Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. *Matth. 16. v. 26.*

III. Omnia ſi perdas, animam ſervare memento. *Anonymi.*

IV. Salus animæ in Sanctitate juſtitiæ, & melior eſt omni auro & argento. *Eccl. 30. v. 15.*

V. Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. *Matth. 16. v. 25.*

§. XIV.

AUTHORES.

I. Franciſcus Labata. V. Anima.

II. Hieremias Drexelius in Triſmegiſto. l. 3. c. 1.

III. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ. V. eodem.

IV. Joſephus Langius in Polyanthæa. V. eod.

V. Antonius Daurolt ius in Catech. hiſtoriali. c. 8. tit. 11.

TITULUS III.

BAPTISMUS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

EST remedium, quo homines à peccato originali ac actuali liberantur, & felicitatis æternæ ſeu gloriæ Hæredes efficiuntur. Quæ definitio omni Baptiſmo, ut examinanti patebit, convenit.

Diviſio.

II. Dividitur in Baptiſmum *Fluminis*, *Flaminis*, & *Sanguinis*. Baptiſmus *Fluminis* eſt novæ legis primum & maximè neceſſarium Sacramentum, in ablutione corporis exteriore, & legitima verborum pronunciatione, juxta Chriſti inſtitutum, conſiſtens; uti P. Petrus Caniſius definivit. *Caniſ. p. 4. §. 1. de Bapt.* Baptiſmus *Flaminis* eſt votum ſeu deſiderium efficax Baptiſmi Fluminis ſuſcipiendi, cum perfecta contritione conjunctum. De quo S. Ambroſius in oratione de obitu Valentiani Junioris ſic loquitur: Audio, vos dolere, quòd non acceperit Baptiſmatis Sacramentum; atqui hoc etiam in votis habuit. An non ergo habuit gratiam, quam deſideravit! imò habuit, quia popoſcit. Baptiſmus Sanguinis eſt Martyrium ſeu effuſio ſanguinis pro Chriſto ſuſcepta; de quo S. Clemens ſic loquitur: Qui Martyrio habitus eſt dignus, is lætitiam in Domino percipiat, quòd tantam coronam adeptus ſit, & quòd propter confeſſionem ex hac vita exeat. Et ſi Cathechumenus ſit, recedat ad DEUM lætus; cruciatus enim, quo propter DEUM afficitur, erit ei verior Baptiſmus: quia is quidem experientiâ ipsâ mortuus commoritur Chriſto, reliqui verò myſtica repræſentatione. *S. Clem. l. 5. Apoſt. conſt. c. 7.* Unde & S. Cyprianus, numquid, ait, poteſt vis Baptiſmi major aut potior *S. Cypriano ep. 73.*

tior eſſe, quàm confeſſio? quàm paſſio? ut quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſuo ſanguine baptizetur?

Ceremoniæ Antecedentes Baptiſmum.

III. Prima eſt *Patrini ſeu Suſceptoris Aſſiſtentia*: qui ideo adhibetur, ut partim Fidejuſſoris, partim Pædagogi (unde S. Auguſtinus Fidei Ductorem appellat) partim Patris Spiritualis munere fungatur. Unde S. Auguſtinus ſic tales Patrinos alloquitur: Vos ante omnia tam mulieres, quàm viros, qui Filios in Baptiſmate ſuſcepiſtis, moneo, ut cognoſcatis vos Fidejuſſores apud DEUM extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de Sacro fonte ſuſcipere, ideóq; ſemper eos admonere, ut caſtitatẽ cuſtodiant, juſtitiam diligant, caritatem teneant. Ante omnia ſymbolum & orationẽ Dominicam vos ipſi tenete, & illis, quos ſuſcepiſtis de Sacro fonte, oſtendite.

S. Aug. in ſerm. poſt Paſch.

IV. Secunda eſt *nominis Impoſitio*: quâ ſignificatur, baptizatum DEO nomen dare, & catalogo militiæ ejus adſcribi debere.

V. Tertia eſt *Inſufflatio in faciem Baptizandi*: tum ut ſignificetur, Sathanam cum contemptu ab illo ejici; tum ut indicetur, quòd per Baptiſmum Spiritus Sanctus, velut Spiraculum vitæ, illi inſuffletur, & novus homo regeneretur.

VI. Quarta eſt *Formatio crucis in fronte & pectore*: ut non erubeſcat nomen Chriſti crucifixi, ſed potiùs amet, & intrepidè confiteatur.

VII. Quinta eſt *benedictio & impoſitio ſalis*: ut, quemadmodum Origenes loquitur, baptizandus per ſalem typicum conditus, iniquitatis fœtore careat: vel ut promiſſionis ſuæ memoriâ ſe à corruptione peccati præſervet: vel ut veram Sapientiam Divinam accipiens, diſcretione in omnibus utatur.

Origen. ho. 6. in Ezech.

VIII. Sexta eſt *Saliva ad nares & aures appoſitio*: ut vocem DEI audire, & bonum odorem pietatis æternæ guſtare incipiat.

Ceremoniæ comitantes Baptiſmum.

IX. Septima eſt *Renunciatio Sathanæ*: de qua S. Ambroſius: Ingreſſus es regenerationis ſacrarium, repete, quid interrogatus ſis, recognoſce, quid reſponderis. Renunciâſti Diabolo & operibus ejus, mundo, luxuriæ, & voluptatib' ejus: tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, ſed in libro viventium. Præſentibus Angelis locutus es: non eſt fallere, non negare.

S. Ambroſ. l. 1. de initiandis. c. 2.

X. Octava eſt *Unctio baptizandi*: de qua Ivo Carnotenſis, accepiſtis, inquit, & oleum ſanctum in pectore, ut vigeret in corde veſtro Sapientia: Accepiſtis & in humero veſtro, ut in exercitio bonorum operum indeficiens ſervetur patientia; neque aliquando noverit ſiniſtra veſtra, quid faciat dextra veſtra. Quia verò in humeris vigor conſtat portandi oneris, hujus partis unctione Chriſti Athletæ dedicati eſtis, ut ſciatis vos ad certamen eſſe vocatos.

Ivo Carnot.

XI. Nona eſt *Trina immerſio vel perfuſio*: cujus rationem reddens S. Gregorius ait: Nos autem, quòd tertiò mergimus, triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignificamus: & dum tertiò infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimitur.

S. Greg.

Ceremoniæ ſubſequentes Baptiſmum.

XII. Decima eſt *Unctio verticis Chriſmate peracta*: quâ ſignificatur, baptizatum nunc verè eſſe Chriſtianum, id eſt, Chriſmate unctum, & unctionem inviſibilem Spiritus Sancti, per quam regalis Sacerdotij Chriſti particeps factus eſt, accepiſſe.

XIII. Undecima eſt, *Veſtis albæ oblatio*: tum ut lætitia interna ſignificetur; tum ut meminerit baptizatus, ſe nunc eſſe candidatum regni cæleſtis, támque puram deinceps retinere animam debere, quàm pura hæc veſtis eſt, & quàm purus ipſe de fonte exijt. Hinc S. Ambroſius, accepiſti, inquit, veſtimenta candida, ut eſſet indicium, quòd exueris involucra peccatorum, & indueris innocentiæ caſta velamina.

S. Ambr. l. ſupra. c.

XIV. Duodecima eſt *Cerei ardentis in manus traditio*: ut doceatur baptizatus, ſe Fidem, Spem & Caritatem non corde duntaxat, ſed etiam opere profiteri & exercere debere. Hinc S. Gregorius Nazianz. ait: Lampades, quas accendes, illius luminis geſtationum figuram gerunt, cum qua ſplendidæ & virgines animæ ſplendidis fidei lampadibus Chriſto Sponſo obviam prodibimus.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. IN illa die erit fons patens domui David, & habitatoribus Jeruſalem, in ablutionem Peccatoris & menſtruatæ. *Zach. 13. v. 1.*

II. Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. *Matth. ult. v. 19.*

III. Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem. *Rom. 6. v. 3.*

IV. Unus DEUS, una Fides, unum baptiſma, unus DEUS & pater omnium. *Eph. 4. v. 4.*

V. In die illa exibunt aquæ vivæ de Jeruſalem: medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare noviſſimum: in æſtate & hyeme erunt. *Zach. 14. v. 8.*

VI. Haurietis aquas de fontibus Salvatoris. *Iſaia. 12. v. 3.*

VII. Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores. *Thre. 4. v. 7.*

Neceſſitas.

VIII. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum DEI. *Io. 3. v. 5.*

IX. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. *Marc. 16. v. 16.*

Utilitas.

X. Sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens, quæ ſerpit, quocunq; venerit torrens, vivet. *Ezech. 47. v. 9.*

XI. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab univerſis Idolis veſtris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri. *Ib. 36. v. 25.*

XII. Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum. *Ioël 3. v. 18.*

XIII. Baptizetur unuſquiſq; veſtrum in nomine *Act. 2. v. 38.*

mine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritûs Sancti.

ad Tit. 3. v. 5. XIV. Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.

Dignitas.

1. Io. 3. v. 1. XV. Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut Filii DEI nominemur & ſimus per baptiſmum, juxta illud S. Joannis: *Io. 1. v. 12.* Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem Filios DEI fieri.

§. III.
EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Damaſc. 4. Sent. I. Baptiſmus eſt, per quem primitias Spiritûs accipimus, & principium alterius vitæ, ut ſit nobis regeneratio, & ſigillum, & cuſtodia, & illuminatio.

S. Aug. ho. 80. 4. II. Detrahe verbum ab aqua, quid erit niſi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? non quia dicitur, ſed quia creditur; nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud eſt virtus manens.

Idem in lib. Sent. III. Verus Baptiſmus conſtat non tam ablutione corporis, quàm fide cordis, ſicut Apoſtolica doctrina tradidit dicens: Fide mundans corda eorum. Et alibi: Salvos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in DEUM.

S. Baſil. l. de S. Spir. c. 15. IV. Unum novimus Baptiſma ſalutiferum, quandoquidem una eſt pro mundo mors, & una ex mortuis reſurrectio, quarum figura eſt Baptiſma.

Neceſſitas.

S. Aug. l. de bapt. V. Si baptizata eſt caro Chriſti, quæ ſine peccato erat, propter exemplum imitationis; quantò magis baptizanda eſt caro mortis, propter evitandum judicium damnationis?

VI. Confugite ad aquas iſtas; ſolæ enim ſunt, quæ poſſint vim futuri ignis extinguere. Ad quas, qui moratur accedere, conſtat, in eo adhuc Infidelitatis idolum permanere, & ab ipſo prohiberi ad aquas properare, quæ ſalutem conferunt. Sive enim Juſtus, ſive ſit injuſtus, Baptiſmus ei per omnia neceſſarius eſt; juſto quidem, ut adimpleatur in eo perfectio, & regeneretur DEO: injuſto verò, ut peccatorum, quæ geſſit, remiſſio concedatur.

VII. Baptiſmus eſt Captivorum, & alieni æris remiſſio, peccati mors, animæ regeneratio, amictus ſplendens, character indeprehenſibilis, cæli iter, regni cæleſtis conciliatio, adoptionis gratia.

Utilitas.

S. Ambroſ. l. de Sacr. VIII. Per aquam Baptiſmi tranſitus eſt de terrenis ad cæleſtia. Ideo Paſcha tranſitus dicitur: hic tranſitus eſt de peccato ad vitam, de culpa ad gratiam, de inquinamento ad ſanctificationem. Qui per hanc aquam tranſit, non moritur, ſed exurgit.

IX. Ecce libertatis ſerenitate fruuntur, qui tenebantur paulò antè captivi: & cives Eccleſiæ ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore: & in juſtitiæ ſorte verſantur, qui fuerunt in peccati confuſione. Non enim ſunt tantùm liberi, ſed & ſancti: non tantùm ſancti, ſed & juſti: non ſolùm juſti, ſed & Filii: nec ſolùm Filii, ſed & Hæredes: nec tantùm Hæredes, ſed & Fratres Chriſti: nec tantùm Fratres Chriſti, ſed & cohæredes: non ſolùm cohæredes, ſed & membra: non membra tantùm, ſed & templum: nec tantùm templum, ſed & Organi Spiritûs. Vides, quod ſunt Baptiſmatis largitates? ſed multis videtur cæleſtem gratiam tantùm in peccatorum remiſſione conſiſtere, nos autem honores computavimus decem. *S. Chryſoſt. hom. ad Neoph.*

Dignitas.

X. Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Memento, cujus capitis, & cujus corporis ſis membrum. Reminiſcere, quia erutus de poteſtate tenebrarum, translatus es in DEI lumen & regnum. *S. Leo ſ. 1. de Nativ.*

§. IV.
EXEMPLA.

Qualitas.

I. Chriſtus, teſte S. Ambroſio, baptizatus eſt, non mundari volens, ſed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, Baptiſmatis vim haberent. *S. Ambr. l. 2. in Luc. & alii.*

II. Cùm Philippus Eunuchum catechizâſſet, ſimùlque ad aquam in via perveniſſent, ecce, inquit Eunuchus, aqua, quis me prohibet baptizari? & deſcendit uterque in aquam & baptizavit Philippus Eunuchum. *Act. 8. v. 36.*

III. Cùm Proceſſus & Martinianus Milites cuſtodientes S. Petrum in carcere Mamertino viderent ejus cæleſtem vitam & doctrinam, ad Chriſtum converſi ſunt. At cùm aqua deeſſet, Petrus ſigno Crucis in rupe expreſſo fontem eduxit, qui adhuc hodie poſt annos plùs mille quingentos fluit, nec exaruit. *Baron. ad ann. Dom. 68.*

IV. Cedualla Rex Britonum Romam proficiſcens deſiderabat baptizari, & poſt baptiſmum mundus ad cælos aſcendere, quod utrumque obtinuit; nam Sabbato Paſchæ baptizatus mox languore corripitur, & paulò poſt carne ſolutus ad cælum abiit. *V. Beda l. 5. c. 7.*

V. In Luſitania apud Oſem campum baptiſterium, quod ante vacuum erat, toties & tamdiu aquâ refertum inventum eſt, quamdiu baptizandi aderant; his deficientibus & ipſa diſparuit. Sed & in Lycia Provincia in Pago Cedebratis baptiſterium erat, quod à ſeipſo aquâ implebatur in die Paſchæ, & durabat uſque ad diem Pentecoſtes, tunc verò evaneſcebat. *S. Greg. Tur. l. 1. de glor. Mart. c. 24. & 25.* *Sophron. in prato Spir. c. 15.*

Utilitas.

VI. Mellitus Monachus in extremis conſtitutus, dixit, apparuiſſe ſibi Juvenem literas de- *S. Greg. l. 4. Dial. c. 26.*

deferentem, & dicentem: aperi, & lege. Illis verò apertis vidiſſe omnes, qui ab Epiſcopo baptizati fuerant aureis literis ſcriptos. Quapropter certum tenuit, omnes brevi morituros, quod & factum.

Surius 21. Nov. VII. Cùm S. Cæcilia Sponſum ſuum Valerianum ad Urbanum Pontificem mitteret baptizandum, & ipſa ei aſſiſtere non poſſet, Angelus ſub Juvenis fulgidiſſimi ſpecie adſtitit, qui ei libellum aureis literis ſcriptum obtulit, in quo hæc verba legebantur: unus DEUS, una fides, unum baptiſma. Quo viſô adeò recreatus eſt Valerianus, ut infracto animo Martyrium ſuſtinuerit.

D. Anton. p. 2. hiſt. tit. 20. c. 8. §. 9. VIII. Cùm Rex Tartarorum Caſſanus deſponſatam ſibi Regis Armeniæ Filiam morti adjudicâſſet, eò quòd Filio perquam deformi genito ſuſpicionem adulterii creâſſet, Regina petiit, Filium baptizare liceret, quo facto tam venuſtus apparuit Filius, ut Rex ipſe tanto miraculo commotus fidem Catholicam ſuſceperit.

Pudag. Chriſt. p. 2. c. 1. §. 1. IX. S. Maria de Ognicaco vidit à Puero, qui Exorciſmo & aliis precibus ad Baptiſmum parabatur, fugientem Dæmonem, ac deinde cùm primùm Sacris undis tinctus eſſet, Spiritum Sanctum viſibili ſpecie in Pueri animam, in innumera beatarum mentium coronâ ſubingredientem.

Baron. anno 324. X. Conſtantinus Imperator leprâ infectus, cùm ſuaſu Sacerdotum Gentilium 3000. Infantium adduci, eóſque, ut illorum ſanguine lavare ſe poſſet, occidi juſſiſſet, ſequenti nocte à SS. Petri & Paulo apparentibus, & collaudantibus, quod matrum precibus motus à cæde abſtinuiſſet, juſſus eſt, S. Silveſtrum in monte Soracte latitantem accerſere; à quo inſtructus in fide, baptizatus, & curatus eſt.

Ribad. 25. Nov. XI. S. Catharinæ antè quàm baptizata fuit, B. Virgo cum Filio apparuit, cui cùm Catharinam illa commendaret, avertit ille faciem ſuam dicens, nimiam eſſe deformitatem. Intelligens ergo Catharina hoc ob defectum Baptiſmi dici, feſtinavit illum accipere, & paulò pòſt ipſe Chriſtus iterum ei apparens, annulo eandem ſibi deſponſavit.

Lit. Iap. Lud. Frcf. 1596. XII. In Ciazzurana Inſula Gentili Adoleſcentio octodecim annorum ſe crebrò viſendum offerebat canis ingens, horribilia rufus, qui eum alloquebatur, & per montes in loca abditiſſima deducebat, detinens eum ibi biduo vel triduo, atque impellens, ut ſe manibus ſublatis adoraret, aliáque ſcriptione indigna faceret. Videns itaque Adoleſcens, ſe tantas moleſtias à capitali humani generis hoſte perpeti, tandem perfugium habuit ad Eccleſiam, doctrinam Chriſtianam audivit, & didicit, baptiſmi Sacramento Chriſto devinctus, ac de cætero nunquam à Tartareo illo cane divexatus.

Ven. Beda l. 4. hiſt. Angl. c. 13. XIII. Cùm aliquando in Anglia tribus annis pluvia non cecidiſſet, ideóque plurimi fame periiſſent, ipſâ, quâ à S. Wilfrido Epiſcopo baptizati ſunt die pluvia cecidit, totáque terra cum Incolis refloruit.

XIV. Prope Delphos Hollandiæ cùm Pueri quidam baptizati cæremonias ex contemptu admittere nollent, gravi infirmitate tamdiu ſunt correpti, donec Parentum precibus permotus Sacerdos eas adhibuit. *Brodens. l. 7. coll. c. 48.*

XV. Abbas Pachomius eâ nocte, quæ illi à ſuſcepto Baptiſmo prima fuit, mellitum rorem ſibi de cælo in dextram manum decidentem videre, & vocem hanc audire viſus eſt: aperi mentis tuæ oculos, Pachomi, & agnoſce in rore iſto accipere à DEO gratiæ argumentum & pignus. *Pud. p. 2. c. 1. §. 1.*

Dignitas.

XVI. Ludovicus Galliarum Rex nullibi jucundiùs, quàm Paſſiaci agebat, quòd eâ in urbe baptiſmo ablutus eſſet, quo honore nullibi majorem ſe accepiſſe dictitabat. *Ibid. p. 1. c. 1. §. 1. n. 6.*

XVII. Cùm Quintianus Siciliæ Prætor S. Agathæ diceret: Nónne pudet te nobili genere natam, humilem & ſervilem Chriſtianorum vitam agere? reſpondit illa: Multò præſtantior eſt Chriſtiana humilitas & ſervitus Regum opibus & ſuperbiâ. *Ibid. n. 5.*

Baptiſmus Flaminis.

XVIII. Cùm S. Philæmon à DEO illuminatus Chriſtum confiteretur, & Tyrannus illi objiceret, quod baptizatus non eſſet, rogavit ille, ut aliquis è media turba ipſum baptizaret; cùm verò nemo id auderet, ipſe autem DEUM rogaret, ut Sacerdotem mitteret, Chriſtus in nube deſcendens eum baptizavit. *Surius 4. Dec.*

Baptiſmus Sanguinis.

XIX. Cùm quinquaginta Philoſophi à S. Catharina converſi, jamque in media civitate cremandi baptiſmum ſollicitè expeterent, S. Catharina juſſit eos ſine ſollicitudine eſſe, eò quòd mox proprio in ſanguine eſſent baptizandi. Unde illi benedictione S. Virginis accepta ſignantea ſe ſignando ſanctæ Crucis in ignem miſſi, animas DEO reddiderunt, ita tamen ut nec corpora, nec veſtimenta, nec capillus igne fuerit correptus. *Surius 25. Nov.*

XX. Cùm S. Georgius ad Martyrium duceretur, multi ad pedes ejus procidentes per Chriſti nomen & ſignum ſanabantur; inter quos cùm Glycerius Agricola exclamâſſet: Magnus eſt DEUS Chriſtianorum: ideóque Imperatoris juſſu ad ſupplicium duceretur, currebat ante milites, magnáque voce DEO rogabat, ut Martyrium ſibi baptiſmatis loco eſſet. *Surius 23. April.*

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut per primum Hominem in peccato & morte naſcimur; ita per Chriſtum in juſtitia & vita æterna in baptiſmo renaſcimur. *S. Aug. l. de bapt.*

II. Sicut Circumciſio non utile membrum amputat corporis, ſed ſuperfluitatem inutilem; ſic per baptiſmum Sanctum à peccato circumcidimur; manifeſtum autem, quòd peccatum ſuper- *S. Damaſc. l. 4. orth. fid. c. 26.*

ſuperfluitas concupiſcentiæ eſt, & non neceſſaria concupiſcentia.

S. Aug. l. 99. vet. & nov. teſt. q. 19. III. Sicut vox advenientis Spiritûs, id eſt venti auditur quidem, non autem videtur; ſic & ratio baptiſmi. Auditur, quod dicitur: tamen, quomodo per Spiritum fit, non videtur auditur tamen, cùm quid futurum eſt, ab eo, qui verba inſinuat, prædicatur: ut fieri credatur, quod auditur, non tamen ratio facti reddatur.

S. Cyrill. Alex. l. 2. in Ioann. IV. Sicut viribus ignis intenſiùs aqua calefacta non aliter, quàm ignis urit, ſic Spiritus Sancti operatione aquæ ad divinam reformantur virtutem, quâ baptizati corpus abſterguntur.

Utilitas.

Bozius to. 1. de ſign. Eccl. c. 15. V. Sicut aqua ſupernè infuſa ex omni parte arcam abluebat, eámque non obruebat, ſed ſublevabat, ut, qui in ea erant, illæſi ab undis ſervarentur, impiis abſorptis; eodem modo baptiſmi aquæ ſupernè infuſæ abluunt, & ad cælum evehunt, ne ab undis iræ Divinæ vel ſcelerum quis obruatur.

4. Reg. 5. v. 10. VI. Sicut Naaman per aquas Jordanis à lepra mundatus eſt, ejuſque caro pura, quaſi caro Pueri effecta eſt; ita per aquas baptiſmi anima à peccati lepra mundatur & puritati perfectæ reſtituitur.

S. Greg. l. 9. epiſt. 39. VII. Sicut in tranſitu Maris rubri Hoſtes à tergo ſunt mortui, ſed alii contra faciem in Eremo ſunt inventi; ſic omnes, qui Sacro baptiſmate tinguntur, eorum peccata præterita laxantur, quia eis velut à tergo Ægyptii hoſtes moriuntur: ſed & in eremo alius hoſtes invenimus, quia dum in hac vita vivimus, priuſquam ad promiſſionis Patriam pertingamus, multæ tentationes nos fatigant, & ad terram viventium tendentibus iter intercludere feſtinant.

Fabercone. 10. in feſto SS. Trin. VIII. Sicut aqua temperat æſtum, radios ſolares excipit, & repræſentat ipſum ſolem; ita baptiſmus concupiſcentiæ & vitiorum ardorem extinguit, characterem & prætерea gratiam, velut ſplendidiſſimam DEI imaginem homini imprimit.

S. Cypr. l. 4. Epiſt. 7. IX. Sicut ſcorpii aut ſerpentes, qui in ſicco prævalent, in aquam præcipitati prævalere non poſſunt; ſic & Spiritus nequam, qui ſcorpii ac ſerpentes appellantur, permanere ultra non poſſunt in hominum corpore, in quo baptizato & ſanctificato incipit Spiritus Sanctus habitare.

Langius in Polcant. v. eod. X. Sicut Chriſti Crucifixi corpus tumulatum ſalutem Mundo protulit; ſic & noſtrum corpus per baptiſma ſepultum juſtitiam nobis ipſis produxit.

Neceſſitas.

S. Chryſ. ho. 4. in Matt. XI. Sicut impoſſibile erat per mare rubrum pertranſire, niſi miraculo via fuiſſet facta; ſic à priore vita ad cælos aſcendere ſine medicatione baptiſmi non poſſumus.

S. Hier. l. 4. in Ezech. c. 16. XII. Sicut cruenta Infantium corpora ſtatim, ut emittuntur ex utero, lavari ſolent; ita & generatio ſpiritualis lavacro indiget ſalutari; nullus enim mundus à ſorde, nec ſi unius quidem diei fuerit vita ejus.

XIII. Sicut de arido tritico maſſa una fieri non poteſt ſine humore, neque unus panis: ita nec nos multi unum fieri in Chriſto JESU poteramus, ſine aqua, quæ de cælo eſt. Et ſicut arida terra, ſi non percipit humorem, non fructificat; ſic & nos lignum aridum nunquam fructificaremus vitam ſine ſuperna voluntaria pluvia. *S. Irenæus l. c. 39.*

Jucunditas.

XIV. Sicut emiſſus eſt de arca corvus, & non rediit, columba verò emiſſa ramum attulit; ita & in baptiſmate Eccleſiæ, deterrimo alite expulſo, id eſt, Diabolo, pacem terræ noſtræ columba Spiritûs Sancti nunciat. *S. Hieron. contra Lucifer.*

§. VI.

MOTIVA

Pro Baptiſmo recipiendo.

I. N*Eceſſitas*: quia niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poterit introire in regnum DEI. *Io. 3. v. 5.*

II. *Utilitas*: cùm per baptiſmum vis ad hæreditatem cæleſtem conferatur, atque adeò meritò de illo illud Salomonis uſurpari poſſit: Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illo. *Sap. 7. v. 11.*

III. *Dignitas*: quæ enim major obvenire poteſt dignitas, quàm à DEO in Filium adoptari? Hinc meritò D. Joannes dixit: videte, qualem caritatem dedit nobis DEUS, ut Filii DEI nominemur, & ſimus. *1. Io. 3. v. 1.*

IV. *Jucunditas*: ſi enim jucundiſſimum eſt vitæ corporalis uſum accepiſſe, quantum cenſeri debet gaudium & voluptas, ſi ad vitam æternam omni bonorum genere affluentem quis renaſcatur?

§. VII.

MEDIA.

Pro Baptiſmo ritè recipiendo.

I. P*Raeceptorum naturalium obſervatio*: facienti enim, quod eſt in ſe, non denegat DEUS gratiam Baptiſmi; id quod multis hactenus exemplis comprobatum eſt.

II. *Seria & conſtans hujus gratiæ petitio*: cùm enim hæc gratia ſit donum & datum aliquod ex præcipuis, quæ DEUS conferre poteſt, meritò illud deſurſum deſcendere atque adeò à DEO peti debere dicitur.

III. *Conſtans in miſericordiæ operibus exercitatio*: nam, ut bene S. Paulus, dixit, Moyſi dicit (DEUS) miſerebor, cujus miſerebor: & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor. Itaque non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt DEI. Meritò ergo ad hanc miſericordiam promerendam, miſericordia velut efficaciſſimum medium (juxta illud Chriſti. Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur) adhibetur. *Rom. 9. v. 16.* *Matth. 5. v. 7.*

IV. *Verbi divini auditio, aut privata cum baptizatis converſatio*: ita iterum S. Apoſtolus indicat dicens: Quomodo autem audient ſine

pum-

prædicante? Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti.

§. VIII.

A S C E T I C A.

I. TRia ſunt præcipuè, quæ ab Aſceta de Baptiſmo notanda & ſcienda ſunt. Primum eſt, ut ſciat differentiam inter hunc, & S. Joannis Baptiſtæ Baptiſmum. Quæ quidem ſeptuplex fuit. 1. *In formâ*. 2. in *neceſſitate*; quia baptiſmus Joannis non erat neceſſarius ad ſalutem, ſicut baptiſmus Chriſti. 3. In *efficacia*: quia baptiſmus Joannis non remittebat peccata, nec conferebat gratiam, nec per ſe diſponebat ad illam, ut baptiſmus Chriſti. 4. In *extenſione*: quia non extendebat ſe baptiſmus Joannis ad parvulos, utpote pœnitentiæ incapaces. 5. in ratione *ſignificationis*: quia baptiſmus Joannis non erat Sacramentum. 6. In *Duratione*: Quia ille ad annum duravit tantùm, non autem baptiſmus Chriſti. 7. In *repetitione*: quia baptiſmus Chriſti ob impreſſionem characteris repeti non poteſt, uti tamen baptiſmus S. Joannis poterat.

II. Secundum eſt, ut inſtitutionis cauſas bene cognoſcat, quæquidem quatuor plerumque aſſignantur. 1. eſt, ut ſpiritualis hominum generatio primæ animannum generationi reſpondeat, quæ ex aquis facta eſt juxta illud Geneſis: producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram. 2. ut cauſa efficiens, gratiæ baptiſmalis, ſcilicet mors Chriſti, aptiùs repræſentetur; ſicut enim Chriſtus morte ſuperata terræ commendatus, & tertia die ſine carnis corruptione reſuſcitatus eſt; ita qui baptizatur, aquæ immergitur, indéque rurſum mox emergitur ſine læſione; ut ſciat, ſe Chriſto conſepultum, ejúſque temporali morte ab æterna morte ereptum eſſe. 3. ut principalis effectus, ſcilicet ablutio à peccatis, aptiùs repræſentetur. 4. ut baptiſmus tantò faciliùs adminiſtrari poſſit, cùm aqua elementaris facillimo negotio haberi poſſit.

Gen. 1. v. 20.

III. Tertium eſt, ut bene cognoſcat officium hominis baptizati, atque ad illud implendum juvet; quod quidem officium breviter indicavit S. Auguſtinus, dum dixit: Sancto Baptiſmo conſona ſit vita Chriſtiana, ne cuiquam homini, ſi utrumlibet defuerit, vita promittatur æterna. Qui enim dixit: niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum; ipſe etiam dixit: niſi abundaverit Juſtitia veſtra ſuper Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Clariùs verò S. Ambroſius id ipſum indicavit dicens: Quando Levita te interrogavit: Abrenuncias Diabolo, & operibus ejus? quid reſpondiſti? abrenuncio. Abrenuncias ſæculo & voluptatibus ejus? quid reſpondiſti? abrenuncio. Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis ſi Chirographum homini dederis, teneris adſtrictus, & reluctantem te fœnerator adſtringit: ſi recuſas, vadit ad Judicem, atque illic tua cautione convinceris. Hoc bene conſiderans Muritta Diaconus Elpidophorum, quem de fonte à ſe ſuſceptum, à fide defeciſſe adverterat, oſtensâ veſte alba, quam in baptiſmo acceperat, ſic allocutus eſt. Hæc ſunt linteamina, Elpidophore, miniſter erroris, quæ te accuſabunt, dum Majeſtas venerit judicantis: quas cuſtodivit diligentia mea ad teſtimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abyſſo putei ſulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerat de fonte ſurgentem. Hæc te acriùs perſequetur, cùm flammantem gehennam cœperis poſſidere, quia induiſti maledictionem ſicut veſtimentum, ſcindens atque amittens veri baptiſmatis & fidei Sacramentum. Quid facies miſer, cùm ſervi Patrisfamilias ad cœnam congregârint invitatos. Dicet tibi Rex: Quomodo huc intrâſti non habens veſtem nuptialem? non video veſtem, quam tibi dedi, perdidiſti militiæ chlamydem, quam aquâ mundavi, & purpurâ mei ſanguinis decoravi. Characterem non video Trinitatis, ligate ergo eum pedibus & manibus, qui ſe ſeparavit à Fratribus Catholicis, in tenebras projicite. Hoc ipſum alia ſimilitudine declarans S. Chryſoſtomus ait: Arbores, quæ inſitæ ſunt, & cæteram habuerunt diligentiam Agricolarum adhibitam, ſi nullum referant laboris viciſſitudinem, radicitùs evulſæ igni tradentur; tale quid in cauſa contingit baptiſmatis. Cùm Chriſtus nos inſtituerit, & irrigatione ſpirituali potiti fuerimus, ſi deinde fructum nullum afferamus, ignis nos exſpectabit gehennæ, & flamma inextinguibilis.

S. Aug. c. 26. de fide & oper.

S. Ambroſ. l. 1. de Sacr. c. 2.

Victor Vitenſ. l. 3. de perſec. Wand.

§. IX.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*: poſſunt explicari effectus Baptiſmi per aquæ ſimilitudinem. Et 1. quidem oſtendi, quod ſicut olim in prima Mundi creatione Spiritus Domini ferebatur, ſeu ut alii interpretantur, incubabat ſuper aquas, & ſic varia viventia produxit; ita & Spiritu Sanctus aquâ baptiſmalem & ipſum Baptiſmums ſua virtute fecundârit, ut præſtantiſſimum animalium genus, ſcilicet homo regeneratus prodiret. 2. Quòd ſicut aqua mundat à ſordibus; ita Baptiſmus à peccatis. 3. Quòd ſicut aqua extinguit ignem, ita Baptiſmus liberet à flammis Inferni & Purgatorii; imò & concupiſcentiæ flammas mitiget. 4. Quòd ſicut aqua eſt ſummè neceſſaria ad vitam juxta illud Eccleſiaſtici: Initium vitæ hominis, aqua, & panis; ita & Baptiſmus ad vitam ſpiritualem non minùs neceſſarius ſit.

Ezech. 36. v. 25.

Eccl. 29. v.

II. Ex occaſione thematis: *In illa die erit fons patens domus David, & habitatoribus Jeruſalem in ablutionem peccatoris*: poteſt huic fonti Baptiſmus comparari, & aliæ etiam ſententiæ de variis fontibus in S. Scriptura prolatæ ei applicari. Nimirum 1. Quòd ſit parvus, qui crevit in flu-

Zach. 13. v. 1.

fluvium magnum, id eſt, ex modicis initiis magna incrementa ſumpſerit. 2. Quòd Fons iſte aſcendebat à terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ; id eſt, ab humanitate Chriſti exortus ſit, & per totum mundum propagatus. 30. Quòd ſit fons patens, id eſt omnibus acceſſus ad baptiſmum pateat, ſi mandata ſervare velint. 4. Quòd ſit fons aquarum, cujus non deficient aquæ; quia hoc Sacramentum uſque ad finem Mundi durabit. 5. Quòd ſit fons aquæ ſalientis in vitam æternam; eò quòd jus ad illam tribuat. 6. Quòd ſit fons Salvatoris, juxta illud Iſaiæ: Haurietis aquas de fontibus Salvatoris; eò quòd Chriſtus illum inſtituerit. Ut meritò quivis dicat cum Davide: Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te &c.

Gen. 2. v. 6. *l. 5.* *Iſ. 58. v. 11.* *Io. 4. v. 14.* *Iſ. 12. v. 3.*

III. Ex occaſione thematis: *Erat autem Jeroſolymis probatica Piſcina*: poteſt Baptiſmus huic Piſcinæ probaticæ comparari. 1. Quia ſicut hæc Piſcina vocabatur ovilis, eò quòd oves immolandæ ibi lavarentur; ita & in baptiſmo homines DEO per mortificationem ſacrificandi abluuntur. 2. Quia ſicut in illa erant quinque porticus; ita in baptiſmo quinque Chriſti vulnera, per quæ ad baptiſmum acceſſus datur. 3. Quia ſicut in illa piſcina jacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum; ita per baptiſmum curantur cæci, id eſt, ignorantiâ fidei laborantes: claudi, id eſt, DEO & Mundo ſervire volentes: aridi, id eſt, caritate DEI & proximi carentes: languidi, id eſt, ab inordinatis affectibus debilitati. 4. Quia Angelus Domini, id eſt, Sacerdos movet, id eſt, applicat hanc aquam, & ſic infirmitatem tollit. Addatur verò, quòd in hoc Præſtantior ſit hæc Piſcina, quòd non oporteat certa tempora exſpectare, nec queri cum languido illo: Hominem non habeo, ut mittat me in piſcinam &c.

Io. 5. v. 2.

IV. Ex occaſione thematis: *Baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata ſua*: poteſt baptiſmus Jordani fluvio comparari. 1. Quia ſicut Jordanes idem ſignificat, ac fluvius Judicii, & regionem Judæorum fidelium à regione Infidelium dividebat; ita per baptiſmum Chriſtiani ab Infidelibus diſcernuntur. 2. Sicut in Jordane curabatur lepra Naaman; ita & in baptiſmo lepra peccati. 3. Quia ſicut Jordanes Filiis Iſraël ſe aperuit, & ſiccum iter præbuit; ita & per baptiſmum aditus ad terram promiſſionis, id eſt, vitam æternam patet. 4. Quia ſicut Chriſtus Jordanis aquas ſuo contactu ſanctificavit; ita & baptiſmo vim ſuam ac efficaciam ſuâ inſtitutione tribuit. 5. Quia ſicut, dum Chriſtus in Jordane lotus eſt, cæli aperti ſunt, & Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ deſcendit; ita & per baptiſmum reſeratur cælum, ac Spiritus Sanctus deſcendit, facitque, ut de baptizato verè dicat Pater æternus: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Matth. 3. v. 6. *Matth. 3. v. 17.*

§. X.

AUTHORES.

I. JAcobus Marchantius in Candelabro Myſtico Tract. 2.

II. Petrus Caniſius To. 3. c. 2.

III. Antonius Daurolrius in Cathechiſmo Hiſtoriali p. 3. c. 5.

IV. Matthias Faber p. 2. conc. 8. in Dom. 3. Ad. & conc. 6. Domin. 4.

V. Joſephus Langius in Polyanthea V. eodem.

T I T V L V S IV.

B E A T I T U D O.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

EST Status omnium bonorum aggregatione perfectus, juxta Boëthium. Juxta S. Auguſtinum verò ille beatus eſt, qui omnia, quæ vult habet; nec aliquid vult, quod non decet. Juxta S. Bernardum autem Beatitudo eſt, ubi nihil fit, quod nolis: & ubi totum fit, quod velis.

Boëth. l. 3. de conſ. *S. Auguſt. de ſpir. & lit.* *S. Bern. apud Orex. l. 2. ??al. c. 20. §. 1.*

Diviſio.

II. Dividitur in ſubſtantialem & accidentalem. Illa in viſione beatifica, hæc in gaudiis & actibus à dicta viſione diſtinctis conſiſtit. Dividi etiam poteſt in beatitudinem corporis, & animæ; quarum illa juxta D. Anſelmum pulchritudinem, agilitatem, fortitudinem, libertatem, ſanitatem, voluptatem, & longævitatem involvit: hæc verò Sapientiam, amicitiam, concordiam, honorem, poteſtatem, ſuavitatem, gaudium continet.

S. Anſelm. l. 4. ſ. de ſimil.

Actus.

III. Potiores ſunt, juxta Hugonem, ſequentes. *Vivere* vitâ ſine fine, ſine moleſtia, ſine diminutione, ſine omni adverſitate. Vita eorum, viſio & cognitio beatæ Trinitatis, ſicut Dominus ait: Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te DEUM verum, & quem miſiſti JESUM Chriſtum.

Hugo l. 4. de anim.

IV. *Sapere*, ſcilicet conſilia atque judicia DEI,

DEI, quæ ſunt abyſſus multa, item cauſas & origines rerum omnium. De qua Sapientia ſic clariùs loquitur S. Anſelmus: Sapientiam quam omnes in hac vita non inutilitet amant, tanta in futura vita bonis erit, ut eorum, quæ ſcire voluerint, nihil ſit, quod ignorent. Bonus enim perfectâ, quæ DEUS eſt, ſapientiâ replebitur, eámque à facie ad faciem intuebitur. Quam dum ita perſpexerit, creaturæ totius naturæ videbit, quæ in DEO meliùs, quam in ſeipſa conſiſtit. Tunc etenim juſti omnia ſcient, quæ DEUS fecit ſcienda, tam ea, quæ præterita, quàm ea, quæ poſtmodum ſunt futura. Ibi à ſingulis omnes, ibi àb omnibus ſinguli cognoſcentur, nec quemquam omnino latebit, quâ patriâ, quâ gente, quâ ſtirpe quis editus fuerit, vel quid etiam in vita ſua fecerit.

S. Anſelm. l. de ſimil. c. 58.

V. *Amare* DEUM incomparabiliter, quia ſciunt, unde & ad quid eos provexerit, amare item ſingulos, ſicut ſeipſos.

VI. *Gaudere* de DEO ineffabiliter: gaudere de tanta ſua beatitudine. Et quia unuſquiſque unumquemque diligit tanquam ſeipſum, tantum gaudium quiſque habeat de bono ſingulorum, quantum de ſuo; quoniam bonum, quod non habet in ſeipſo, poſſidet in altero. Conſtat ergo, quòd ſinguli tot gaudia habent, quod ſocios. Et ſingula gaudia tanta ſunt ſingulis, quantum proprium ſingulorum. Cùm autem quiſque plùs amet DEUM, quàm ſeipſum, & omnes alios ſecum, plùs gaudet de DEI felicitate, quàm de ſua & omnium aliorum ſecum. Si ergo cor uniuſcujuſque vix capit ſuum gaudium, quomodo capit tot & tanta gaudia? Ideo dicitur: intra in gaudium Domini tui; non, intret gaudium Domini tui in te, quia capi non poſſet.

Pſ. 83. v. 5. VII. *Laudare* DEUM ſine faſtidio, ſine fine ſicut ſcriptum eſt: Beati, qui habitant in domo tua, Domine; in ſecula ſeculorum laudabunt te.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Ex. 33. v. 19. I. Cùm Moyſes dixiſſet ad Dominum: Oſtende mihi gloriam tuam; reſpondit Dominus: Oſtendam tibi omne bonum.

Pſ. 16. v. 15. II. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.

Iſaiæ. 49. v. 10. III. Non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus & ſol, quia miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.

Baruch. 3. v. 24. IV. O Iſraël, quàm magna eſt domus DEI, & quàm ingens locus poſſeſſionis ejus.

Matth. 13. v. 43. V. Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in conſpectu Patris eorum.

Rom. 8. v. 18. VI. Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

1. Cor. 2. v. 9. VII. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt eum.

VIII. Cariſſimi, nunc Filii DEI ſumus, & nondum apparuit, quid erimus: ſcimus, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. *1. Io. 3. v. 2.*

IX. Nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus DEUS illuminabit illos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum. *Apoc. 22. v. 5.*

X. Ecce tabernaculum DEI cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipſi populus ejus erunt, & ipſe DEUS cum eis erit eorum DEUS. Et abſterget omnem lacrymam ab oculis eorum & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt, & dixit, qui ſedebat in throno: Ecce nova facio omnia. *Ib. c. 21. v. 3.*

XI. Oſtendit mihi civitatem Sanctam Jeruſalem deſcendentem de cælo à DEO, habentem claritatem DEI, & lumen ejus ſimile lapidi pretioſo; & platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ. *Apoc. 21. v. 10.*

XII. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. *Matth. 5. v. 12.*

Utilitas.

XIII. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. *Pſ. 16. v. 15.*

Jucunditas.

XIV. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te. *Pſ. 30. v. 20.*

XV. Ecce ego creo cælos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora, & aſcendent ſuper cor, ſed gaudebitis & exultabitis in ſempiternum in his, quæ creo. *Iſaia 65. v. 17.*

XVI. Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. *Pſ. 35. v. 9.*

XVII. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. *Io. 16. v. 22.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. Tanta eſt pulchritudo Juſtitiæ, tanta eſt jucunditas lucis æternæ, hoc eſt, incommutabilis Sapientiæ, ut, etiamſi in ea non liceret ampliùs, quam unius diei morâ permanere, propter hoc ſolum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis & circumfluentia bonorum temporalium rectè meritóque contemnerentur. *S. Aug. l. de moribus.*

II. Ibi DEUS erit omnia in omnibus, ipſe finis erit deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. *Idem l. 22. de civ.*

III. Faciliùs poſſumus dicere, quid ibi non ſit, quàm quid ibi ſit. Non eſt ibi mors, non *Idem l. 5. de ſymbol.*

eſt

Digitized by Google

eſt ibi luctus, non eſt ibi laſſitudo, non eſt infirmitas, non eſt fames, nulla ſitis, nullus æſtus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla triſtitia.

Idem ſuper Ioan. IV. Non erit aliqua invidia diſparis claritatis, quoniam regnavit in omnibus unitas caritatis.

S. Aug. ſup. Pſ. 49. V. Hæreditas Chriſti, quâ Cohæredes ſumus, non minuitur copiâ Poſſeſſorum, nec fit anguſtior numeroſitate Cohæredum, ſed tanta eſt multis, quanta paucis: tanta ſingulis: quanta omnibus. Tantùm emit vidua duobus minutis, quantùm emit Petrus relinquens retia, quantùm emit Zachæus dando dimidium Patrimonium. Regnum DEI tantùm valet, quantùm habueris.

S. Fulgentius apud Sur. to. 1. VI. Quàm ſpecioſa debet eſſe cæleſtis Jeruſalem, ſi ſic fulget Roma terreſtris? ſi in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis præſtabitur Sanctis diligentibus veritatem.

S. Bern. l. de conſid. VII. Merces Sanctorum tam magna eſt, quòd non poteſt menſurari: tam copioſa, quòd non poteſt finiri: tam pretioſa, quòd non poteſt æſtimari.

S. Aug. apud Drex. l. 1 cal. c. 1. VIII. Effugit omnem ſermonem, excedit omnem humanum ſenſum decus illud atque Majeſtas. Quod DEUS præparavit diligentibus ſe, fide non capitur, ſpe non attingitur, caritate non apprehenditur, deſideria & vota tranſgreditur. Acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.

Idem Sol. c. 21. IX. Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? ſi tanta ſolana in hac die lacrymarum, quanta conferes in die Nuptiarum? nam ex his minimis tua magna & ex his viſibilibus tua inviſibilia comprehendimus.

S. Aug. ſ. 37. de Sanct. X. De Rege autem qui horum agminum medius reſidet, dicere vox nulla ſufficit. Ultra omnem enim Sanctorum gloriam eſt, ipſius inæſtimabilem adipiſci conſpectum, & ſplendore Majeſtatis ejus irradiari. Si enim quotidie oporteret nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam parvo tempore tolerare, ut Chriſtum videre poſſemus in gloria venientem, & Sanctorum ejus numero ſociari, non erat dignum pati omne, quod mœſtum eſt, ut tantæ gloriæ, bonitatiſque participes haberemus?

S. Anſelm. in epiſt. 2. ad Hugon. IX. Frater cariſſime, regnum cælorum clamat DEUS ſe habere venale. Quod quidem regnum cælorum tale eſt, ut ejus beatitudinem & gloriam nec oculus mortalis hominis poſſit videre, nec auris audire, nec cor cogitare. Ut tamen aliquo modo poſſis illud cogitare, quiſquis ibi regnare meruerit, quidquid ipſe volet, hoc erit in cælo, & in terra: quidquid verò nolet, non erit in cælo & in terra. Tanta enim erit dilectio inter DEUM & eos, qui ibi erunt, & inter ſeipſos invicem, ut omnes ſe invicem diligant ſicut ſeipſos, ſed plùs ament omnes DEUM, quàm ſeipſos. Et propter hoc nullus ibi volet, niſi quod vult DEUS, & quod volet unus, hoc volent omnes, & quod unus vel omnes, hoc ipſum volet DEUS. Quapropter quidquid volet unusquiſque, hoc erit & de ſeipſo, & de omnibus aliis, & de tota creatura, & de ipſo DEO. Et ſic ſinguli erunt perfecti Reges, quia quod ſinguli volent, hoc erit, & omnes ſimul cum DEO unus Rex, & quaſi unus Homo, quia omnes unum volent, & quod omnes volent, erit.

Utilitas.

S. Greg. in hom. XII. Si conſiderentur, quæ nobis promittuntur in cælis, vileſcunt omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque ſubſtantia ſupernæ felicitati comparata, pondus eſt, non ſubſidium.

Tertull. apud Lyraeum in apoph. S. Ign. XIII. O beati Servi Chriſti! O Chriſtiani, membra veſtra ligata ſunt cæteris, ſed Spiritus veſter eſt liberrimus: Jacent corpora in carceribus, in equuleis, in tenebris, ſed mentes veſtras nihil poteſt perturbare. Hoc tantùm agite, conſcendite cogitationibus veſtris in palmam, conſiderate pulchritudinem & ſuavitatem cæleſtis gloriæ, vagamini per pulcherrimas manſiones, quas Chriſtus ait eſſe in cælis. Quoties eas Spiritu deambulaveritis, toties in carcere non eritis. Nihil crus ſentit in nervo, cujus animus eſt in cælo.

S. Chryſ. ho. 24 in Matth. XIV. Si Nautis minaces pelagi fluctus, ſi tempeſtates atque hyemes Agricolis, ſi vulnera cædéſque Militibus, ſi graviſſimi illi ictus plagæque Pugilibus leves videntur atque tolerabiles propter ſpem temporalium ac pereuntium commodorum, multò magis cùm cælum proponatur in prœmio, nihil ex præſentibus his adverſitatibus ſentietur.

Jucunditas.

S. Aug. ad Dioſc. XV. Talis erit illa pulchritudinis delectatio, ut ſemper tibi præſens ſit, & nunquam ſatieris, imò ut ſemper ſatieris, & nunquam ſatieris. Si enim dixero, quòd nunquam ſatiaberis, fames erit. Si dixero, quod ſatiaberis, faſtidium times, ubi nec faſtidium erit, nec fames. Quid dicam, neſcio. Sed DEUS habet, quod exhibeat.

Idem in Manual. XVI. O vita vitalis, vita ſempiterna, & ſempiternè beata. Ubi gaudium ſine mœrore, requies ſine labore, dignitas ſine tremore, opes ſine amiſſione, ſanitas ſine languore, abundantia ſine defectione, vita ſine morte, perpetuitas ſine corruptione, beatitudo ſine calamitate.

Euſebius Emyſſ. ho. 10. de Paſc. XVII. Quia vidiſti me, credidiſti: beati, qui non viderunt, & crediderunt. Si beatitudo eſt credere, quod annunciatur; quantò majoris beatitudinis erit videre, quod creditur?

Idem in hom. 8. XVIII. Recordemur, quàm jucunda ſit quies, quàm delectabilis repauſatio, poſt depoſitam alicujus graviſſimi oneris faſcem? Quàm dulce ſit poſt longam navigationem & pericula, ad optatam terram atque ad portam deſiderabilem perveniſſe. Atque ex his colligamus & cognoſcamus, quàm jucundum erit, comite bona conſcientia, ad vera & ſolida gaudia, atque ad Angelorum tranſire conſortia, & ad illam vitam conſcendere, ubi nulli erunt labores, nulla damna, nulla incommoda, & (quod ſupra omne bonum eſt) nulla peccata, ſed æterna innocentia, inviolata juſtitia, inconcuſſa ſecuritas, atque ſempiterna felicitas.

S. Bern. XXI. Si dilectus in myrrha; multò magis in botri ſuavitate. Quid faciet in præſentiâ; qui ſolùm in memoria delectat? ſi ſpes tam dulcis eſt, quantò res dulcior erit?

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Lib. 3. c. 47. I. Fili, non te frangant labores, quos aſſumpſiſti propter me, nec tribulationes te dejiciant uſquequaque, ſed mea promiſſio in omni eventu te roboret & conſoletur. Ego ſufficiens ſum ad reddendum ſupra omnem modum & menſuram.

Ibi. §. 2. II. Age, quod agis, fideliter labora in vinea mea: ego ero merces tua magna nimis. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, ſuſtine viriliter contraria; digna enim eſt his omnibus, & majoribus præliis vita eterna.

Lib. 3. c. 49. §. 6. III. Penſa, Fili, horum fructum laborum, celerem finem, atque prœmium nimis magnum; & non habebis inde gravamen, ſed fortiſſimum patientiæ tuæ ſolamen. Nam & pro modica voluptate, quam nunc ſponte deſeris, habebis ſemper voluntatem tuam in cælis.

Ibid. IV. Ibi invenies omne, quod volueris; omne, quod deſiderare poteris. Ibi aderit totius facultas boni ſine timore amittendi. Ibi voluntas tua una ſemper meum, nihil capiet extraneum vel privatum. Ibi nullus reſiſtet tibi, nemo de te conqueretur, nemo impediet, nihil obviabit ſed cuncta deſiderata ſimul erunt præſentia, totúmque affectum tuum reficient, & adimplebunt uſque ad ſummum. Ibi reddam gloriam pro contumelia perpeſſa, pallium laudis pro mœrore: pro loco noviſſimo ſedem regni in ſæcula. Ibi apparebit fructus obedientiæ, gaudebit labor pœnitentiæ, & humilis ſubjectio coronabitur glorioſè.

Lib. 3. c. 47. §. 3. V. O ſi vidiſſes Sanctorum in cælo coronas perpetuas, quantâ quoque nunc exultant gloriâ, qui huic mundo olim contemptibiles & quaſi vitâ ipſâ indigni putabantur, profectò te ſtatim humiliares uſque ad terram & affectares potiùs omnibus ſubeſſe, quàm uni præeſſe. Nec hujus vitæ letos dies concupiſceres, ſed magis pro DEO tribulari gauderes, & pro nihilo inter homines computari, maximum lucrum duceres. O ſi tibi hæc ſaperent, & profundè ad cor tranſirent; quomodo auderes vel ſemel conqueri? nónne pro æterna vita, cuncta laborioſa ſunt toleranda? non eſt parvum quid, perdere, aut lucrari regnum DEI.

§. V.

EXEMPLA.

Qualitas.

S. Aug. ep. ad Cyrill. I. S. Auguſtinus ſtatuerat ſcripto exquirere ex S. Hieronymo, quid de beatitudine ſentiret? quia verò S. Hieronymus interea deceſſit è vita, ideo poſt mortem ei apparuit, dixítq; vide, ſi numerare potes ſtellas cæli, arenas & guttas maris. Id námque faciliùs eſt, quàm gloriam dicendo explicare. Eſt enim res tanta, quantam, niſi ipſe vidiſſem, nunquam credidiſſem. Et tam longè abeſt ab eo, quod ego videns cogitabam, ut omnino ſit quidpiam infinities majus.

II. S. Chryſoſtomus dicere ſolebat, ſe paratum eſſe ad ipſas etiam Inferni pœnas ſuſtinendas, modò aſpectu Chriſti per momentum frui liceret. *Herold. c. 6.*

III. S. Franciſcus cùm graviſſimo oculorum dolore & inſomnijs vexatus DEUM laudaret, ſolúmque patientiæ gratiam peteret, vox quæpiam de cœlo delapſa ſic eum allocuta eſt: Franciſce, ſi tota terra eſſet aurum; & mare, flumina ac fontes, merum eſſent balſamum, & omnes montes ac colles eſſent lapides pretioſi, & tu invenires alium theſaurum his omnibus tantò nobiliorem, quantò aurum nobilius eſt terrâ, & balſamum aquâ, & hunc theſaurum tibi quis pro infirmitate tua daret, an non gauderes? cúmque S. Franciſcus indignum ſe theſauro tali diceret, ulterius vox ad eum dixit: Gaude nunc, Franciſce, quia ille eſt theſaurus vitæ æternæ, quem tibi repoſui. Et ex nunc te inveſtio, & iſta infirmitas & afflictia tua eſt arrha illius beati theſauri. Quo audito S. Franciſcus mirè lætabatur. *Spec. Ex. v. cal. glor. ex 8.*

IV. B. Mechtildis à Chriſto quondam viſitata, hanc à Sanctis illam comitantibus vocem audivit: O beatos vos homines in terris, quibus tanta quotidie promerendi occaſio eſt; ſi enim penetraretis gloriam vobis paratam, certè eo ipſo momento, quo è lecto vos proripitis, præ immenſo cordis gaudio exiliretis, quòd ille illuxiſſet dies, in quo incrementa frugum juſtitiæ, & illic gloriæ, propè in immenſum multiplicare poſſitis. *Rodriq. p. 2. tr. 1. c. 11.*

V. Rogârat aliquando S. Thomam Aquinatem ſoror illius, quid tandem eſſet cæleſtis gloria? cui ille: antè, quàm tu illam merea re, à nemine, quæ ſit, intelliges. *Ribad. 7. Mart.*

VI. Cùm Hermenegildo Regi Hiſpaniæ Pater necem minaretur, quòd ab Arriana labe ſe expurgâſſet, reſpondit ille: Benè igitur mecum acturus es, Pater, ſi quidem ut regnum hoc abs te jugulatus amittam, æternum cum Superis conſequar. *Boirl. in feſto SS. Phil. & Iac. tr. 3.*

VII. Dœmon quondam ex Energumena confeſſus eſt, ſe tanti gloriam cæleſtem æſtimare, ut libenter omnes Damnatorum pœnas uſque ad diem Judicij paſſurus eſſet, modò per unicum momentum aſpicere DEUM poſſet. *Spec. Ex. diſt. 9. ex. 34.*

VIII. Cæleſtem gloriam ad breviſſimum tempus expertus quidam Puer, omnium hominum linguis loqui cœpit. *Spec. Ex. diſt. 1. ex. 57.*

Vilitas beatitudinis conſiderata.

IX. Chriſtus Dominus, teſte S. Paulo, propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem. *Hebr. 12. v. 2.*

X. Moyſes, eodem teſte, magis eligebat affligi cum Populo, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans *Heb. 11. v. 25.*

mans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti; aſpiciebat enim in remunerationem.

Pſ. 118. v. 112. XI. S. David de ſeipſo fatetur: Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes, propter retributionem.

Act. 7. XII. S. Stephanus lapides fortiter excepit, quia vidit cælos apertos, & JESUM ſtantem à dextris virtutis DEI.

Beſſaus de mov. XIII. S. Serapion, cùm omnibus ſe nudâſſet, manu gerens Bibliorum Codicem ſolum; nudus per agros circumibat; ſciſcitantibus verò quis eum ſpoliâſſet? hoc, aiebat, Biblia monſtrans; quo indicare voluit, ſe præmijs, quæ in hoc volumine promittuntur, illectum, omnia terrena ſpreviſſe.

Surius 8. Sept. XIV. Cùm S. Adriano nondum Chriſtiano, obſtupeſcendam Martyrum conſtantiam admiranti, & roganti, quid ſe tantâ patientiâ conſecuturos ſperarent? reſpondiſſent illi, ſe bona illa ſperare, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis deſcenderunt; ita is amore Martyrij accenſus eſt, ut mox Chriſti fidem amplexus, mortem pro Chriſto, totius corporis membris in fruſtra diſſectis obierit.

Surius 22. Aug. XV. S. Symphoriani Mater Filium ſuum in graviſſimis tormentis conſtitutum ſic alloquebatur: Fili, eſto memor illius vitæ, quæ tibi in cælo parata eſt: vide ibi & te ad æternam gloriam invitantem DEUM; neque enim vita tibi ſupplicijs eripitur, ſed in meliorem, beatioremque commutabitur.

Sanderus Lib. 1. Schiſm. Angl. XVI. Cùm Thomam Morum in carcere detentum Aloyſia Uxor ſollicitaret, ut ſui, ſuorúmque miſertus, iniquæ Regis voluntati diſſimulanter ſaltē pareret, eique, quot annis ſe oblatis à Rege honoribus frui poſſet, quærenti reſponderet, viginti adhuc annis, ſi DEO placeret, frui talibus poſſe, reſpondit ille: Abi ſtulta mercatrix; tune me caducis viginti annorum bonis æterna commutare poſtules? abſit, ut talem ego emptionem faciam; quin potiùs omnia tormenta, mortéſque mille ſuſtinebo, quàm ut æternam felicitatem tanto periculo exponam.

Drexel. l. 2. cal. c. 15. §. 5. XVII. Silvanus Abbas, cùm prolixiores preces finiiſſet, manus oculis apponens, ſic eos allocutus eſt: O mei oculi, diem vobis negari permittite. Claudamus has valvas, quæ vix unquam ſine periculo patent. Nihil eſt in Orbe terrarum, quod dignum viſu ſit. Quidquid oſtentat terra, modicum eſt ac vile, nihil ad cælum. In cælo magna, pulchra, æterna ſunt. Illic abundabimus, DEUM videbimus.

Jucunditas.

Spec. Ex. vi cal. glor. ex. 13. XVIII. Miles quidam à ſocio ſuo defuncto ad convivium invitatus, cùm comparuiſſet, & ad ultimum duntaxat ferculum veniſſet, redire juſſus invenit Monaſterium loco domûs, ex qua exierat, ædificatum, ſéque ducentis annis emanſiſſe.

Ib. ex. 14. XIX. Monachus quidam perſuadere ſibi non potens, verum eſſe, quod Propheta dixit: Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præterijt: poſt Matutinum ab avicula ſuaviter cantante ſeductus, & per trecentos annos detentus eſt.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA

Vita. l. 5. c. 1. I. S. Ignatius, cùm cæli pulchritudinem contemplabatur, exclamabat ſubitò; O quàm ſordet mihi terra, cùm cælum intueor!

Annua Prov. Sard. 1598. II. P. Sebaſtianus à Campo in morbo extremo nolebat de Beatorum præmio, quo illum DEUS remuneraturus eſſet, loquentes audire, eò quòd indignum ſe tantò præmio judicaret.

Annua Belg. 1609. f. 250. III. P. Georgius Colibrant in omni converſatione Prologi & Epilogi loco hæc verba uſurpabat: *ad vitam æternam:* Hinc ſi quis ſermonem faceret de ejus laboribus, puerorum luſum vocabat.

Annua Bæt domus prof. Hiſp. 1605. IV. P. Joannes Hieronymus ad mortem decumbens, cùm aliqui dicerent, ſe oraturos pro illo, ut DEUS illi vitam prorogare dignetur, reſpondit: Neſcitis, quid petatis. Perpendite, quòd ego & Paradiſi gloria unâ duntaxat cortinâ (corpus ſuum morbidum intelligebat,) dividimur.

Annua Luſit. 1598. V. Sebaſtianus Baretthus Juvenis incredibili deſiderio fruendi beatitudine accenſus, cùm Fratres de æterna Felicitate ad lectum ejus canerent, inter hæc deſideria animam efflavit.

Hiſt. Soc. p. 2. l. 1. VI. Joannes Rodericius Grammaticæ Magiſter rogatus à Rectore, num aliquid animum torqueret? reſpondit, hoc unicum ſe timere, ne fortè vita prorogetur, ſicque optata beatitudine pro voto ſuo frui non poſſit.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Rabanus ſuper illud Matth. 20. multi vocati. I. Sicut omnes quidem Canonici ad electionem veniunt, ſed unus tantùm eligitur; ſic multi quidem ſimul moriuntur, & in altera vita conveniunt; ſed proh dolor! ſæpe unus duntaxat altérve ad æternam vitam admittitur, uti pluribus hiſtorijs probatum eſt.

Anonymus. II. Sicut ſi equus ad ſplendidum convivium invitaretur, nihil aliud ſibi imaginaretur apponendum, quàm optimam avenam & aquam frigidiſſimam, ac puriſſimam, quia nullas alias delicias novit; ita & nos homines cùm nullas alias ferè delicias, quàm eas, quas ſenſu percipimus, agnoſcamus, non meliùs cæleſtes voluptates apprehendere aut explicare poſſumus, quàm per epulas, potum, & ſimilia.

III. Sicut ſi ingreſſus palatium, cerneres coquinam, ſtabula &c. auro incruſtata, & gemmis ornata, ſummam æſtimationem præconciperes de ipſo regio conclavi & ingens illius videndi deſiderium haurires; ita & dum

 ea,

ea, quæ in hoc mundo conſpicis, tam præclara vides, majora de cælo concipe, ad S. Auguſtini imitationem, dum ait: O Domine, ſi tanta tribuis nobis in carcere, quid dabis in Patria? ſi tanta amicis & inimicis, quid eſt, quod ſolis amicis ſervâſti? ſi tanta ſolatia in hac die lacrymarum tribuis, quanta in die nuptiarum conferes? *S. Aug. in libr. med.*

S. Franc. Saleſ. de amor. IV. Sicut corallum, quamdiu intra maris aquas latet, molle admodum eſt, & omnibus injurijs expoſitum: extractum verò ex aquis mox ſolidum & quaſi immutabile efficitur; ita homines, quamdiu in mari hujus mundi degunt, molles ſunt & mutabiles; ſolidantur verò, & confirmantur in gratia, quando ex mari hujus mundi extracti, Beatis aſſociantur.

S. Fulgent. in epiſt. V. Sicut per ſpeculum vitreum trina nobis viſio adminiſtratur, quâ nos ipſos, & ipſum ſpeculum, & quidquid præſens eſt, videmus; ſic per ſpeculum divinæ claritatis & ipſum DEUM, ut eſt, videbimus, quantùm creaturæ poſſibile eſt: & nos ipſos, & omnia alia, verâ & certâ ſcientiâ cognoſcemus.

Granat. in loc. com. f. 458. VI. Sicut Sol unicus mundum magis, quàm omnia alia cæli luminaria illuminat; ita ſolus DEUS magis animam ſatiat, quàm omnium aliarum rerum poſſeſſio.

Staplet. Dom. ſept. l. 7. VII. Sicut Urſi alvearia invadunt favorum dulcedine illecti, quos illic melle plenos eſſe autumant, nec apum aculeos curant; ſic qui DEUM guſtare cœperunt, æternæ beatitudini toto deſiderio inhiant, nec adverſitates propter illam tollerandas æſtimant.

Ibid. VIII. Sicut Mercator locuples in Emporium vadens, ut merces emat, pro vilioribus ſtatim pretium perſolvit; pro pretioſioribus verò ad certum tempus ſe ſoluturum pollicetur; ita DEUS mortales & civiles virtutes ac opera ſolvit, ac prœmiat in hac vita; ſupernaturales verò virtutes ac merita in altera vita ſe remuneraturum promittit.

S. Anſelm. l. de ſimil. c. 63. IX. Sicut oculus unus verti non poteſt, quin vertatur & alius, in eandem partem; ſic etiam corpus & anima, vel Societas illa Juſtorum nihil poterunt velle diverſum, ſed eandem ſemper voluntatem habebunt.

S. Proſper. l. 1. de vit. contempl. c. 4. X. Sicut corporis ſaturitas omnes ſaturos æqualiter habet, quamvis ſinguli cibos non æqualiter, ſed pro poſſibilitate perceperint; ita omnes Sancti, licet aliqua graduum ſuorum diverſitate ſint diſtincti, una beatitudine perfecti erunt, quia & una perfectione beati futuri ſunt.

Beirl. in feſto SS. Phil. & Iac. l. 3. XI. Sicut Sol in ædificium ſuos radios ſic mittit, ut omnes quidem partes illuminet, ſed magis eas, quæ ampliores ſunt, & magis capaces; ita DEUS omnes quidem Beatos per lumen gloriæ illuminat, ſed magis eos, qui per plura merita ſeſe capaciores effecerunt.

Ibid. XII. Sicut alia eſt claritas Solis, alia Lunæ, alia Stellarum, & tamen in eodem omnes firmamento ſunt ſtabilitæ; ſic, licet Sancti diſcrepent in merito, omnes tamen in immortalis & æternæ beatitudinis firmamento manent ſtabiliti.

Utilitas beatitudinis conſiderata.

XIII. Sicut Filius, qui in exilio eſſet, & ſciret, ſe avidiſſimè ab Amicis & Parentibus exſpectari, & deſiderari, avidiſſimè utique in Patriam abire cuperet; ita & meritò quivis homo ad cælum properare deberet, ac ſuſpirare, cùm ſciat, ſe avidiſſimè à DEO, Sanctiſque ejus exſpectari. *S. Cypr. ep. 6.*

XIV. Sicut is, qui ſciret ſibi in Hiſpania perpetuò vivendum, utique ibi domum & habitationem præſtantiſſimam ædificaret, eámque omnibus rebus neceſſarijs optimè inſtrueret; ita multò magis quivis homo conabitur merita virtutéſque augere, ſi meminerit, ſe æternam in cælis manſionem ſperare. *Anon.*

XV. Sicut avarus, ſi incidat in tabulas theſaurum indicantes, advertat autem locum, in quo theſaurus abſconditus eſt, non ſine multo labore & ſudore adiri poſſe, nulli labori parcet, ut theſaurum obtineat, quia avarus eſt, cui ad pecunias congerendas nihil arduum videtur; ſic vir pius & DEO frui deſiderans, inventis Scripturæ tabulis, quæ docent, ſervis fidelibus vitam æternam in præmium promitti, nulli labori parcet, ut ea potiatur. *Stapl. in dom. ſept. th. 7.*

XVI. Sicut pondus grave, ſi levioribus rebus imponatur, eam comprimit, & conſtringit; ſic momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *2. Cor. 4.*

§. VIII.

M O T I V A.

Ad beatitudinem quærendam.

I. QUia memoria hujus beatitudinis, eſt remedium potentiſſimum ad peccata vitanda; quis enim vellet eſſe impius in Patriam, cui æternus civis adſcribi cupit? Dicet ſanè is Mundo ac Carni, quod olim Demoſthenes meretrici allicienti fertur dixiſſe: Tanti pœnitere non emo. *Beſſaus de nov.*

II. Quia eadem memoria vehementer ad pugnam animat; ſi enim David ob Michol promiſſam tam fortiter contra Goliathum pugnavit, quomodo non fortiùs pugnabit, cui beatitudo promiſſa eſt? *Idem.*

III. Quia mirè addit animos ad laborandum, omniáque adverſa fortiter toleranda; ſi enim Gubernator navis non fluctus, ſed commodum: miles non cædem & vulnera attendit, ſed triumphum & victoriam: Agricola non tempeſtates, ſed meſſem: Ambitioſi non difficultates & ſumptus, ſed dignitatem conſiderant; quidni & Canditatus dignitatis cæleſtis, deſiderio regni cæleſtis conſequendi, omnes difficultates & pericula ſpernat?

IV. Quia jucundos facit labores; ſi enim Jacobo Patriarchæ viginti anni videbantur dies pauci præ amoris magnitudine, quo erga Rachelem

chelem ferebatur; quàm brevis & jucundus videbitur labor pro viſione DEI conſequenda impenſus?

V. Quia Cælum Patria eſt, ad quam fruendam & contemplandam nati ſumus; hinc Philoſophi hominem arborem inverſam dixerunt, cujus radix cælum ſpectet, eò quòd inde ſuccum trahere oporteat. Hinc etiam DEUS os homini ſublime dedit, cælúmque tueri juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus. Id quod Anaxagoras agnovit, dum ſciſcitanti, cur natus eſſet? ut cælum contempler, reſpondit.

§. IX.

MEDIA.

Ad Beatitudinem acquirendam.

Pſ. 118. v. 2. I. *Immaculata vita:* ſeu mandatorum obſervatio juxta illud Pſalmiſtæ: Beati immaculati in via: tanquam diceret, inquit S. Auguſtinus, ſcio, quid velis; quæris beatitudinem. Si ergo vis eſſe beatus, eſto imma-
Pſ. 23. v. 3. culatus. Quis enim aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde. Hinc &
Matth. 19. v. 17. Chriſtus Adoleſcenti quærenti, quid faciens vitam æternam poſſiderer? reſpondit: ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.

Matth. 11. v. 12. II. *Mortificatio Paſſionum inordinatarum:* nam, teſte Servatore, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

III. *Reſignatio ſui:* nam, ut S. Auguſtinus
S. Aug. ſ. 37. de Sanct. ſapienter dixit, res iſta, id eſt, regnum cæleſte, aliud non quærit pretium, niſi teipſum. Tantùm valet, quantùm es tu. Te da, & habebis illam. Quid turbaris de pretio? Chriſtus ſemetipſum dedit, ut acquireret ſe regnum DEO Patri. Ita & tu teipſum da, ut ſis regnum ejus, ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, ſed Spiritus in acquiſitionem vitæ.

Matth. 5. v. 10. IV. *Patientia in tribulationibus:* juxta illud Chriſti: Beati, qui perſecutionem patiuntur propter Juſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Sicut ergo Mercator prudens, qui vult citò diteſcere, ibi merces emit, ubi in magna copia habentur, ut poſtea revendat, ubi rarò inveniuntur: ſic juſti in hac vita multos pro DEO labores ſuſcipiunt, velut vulgares merces, ut in altera vita copioſam à DEO mercedem percipiant. Hinc ipſe Chriſtus dixit:
Ibid. v. 11. Beati eſtis, cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me: Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælo.

Ibid. v. 3. V. *Contemptus rerum terrenarum:* juxta Chriſti teſtimonium dicentis: Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cæ-
Matth. 19. v. 29. lorum. Et iterum: Amen dico vobis, quòd omnis, qui reliquerit domum, vel Fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, aut Filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

§. X.

ASCETICA:

I. Tria ſunt præcipuè, quæ de Beatitudine bene advertere debet Aſceta. Primũ eſt, ut bene cognoſcat naturam & eſſentiam Beatitudinis, quòd ſcilicet conſiſtat in perfecta & ſecura fruitione DEI; cùm ipſi etiam Philoſo- *Cic. 5. Tuſc.* phi jam olim dixerint, niſi ſtabili & fixo bono, beatum neminem eſſe poſſe. Tale autem bonum cùm ſit ſolus DEUS, meritò beatitudo in illius fruitione, quæ fit per viſionem & amorem inde conſequentem, conſiſtere dicitur.

II. Alterum eſt, ut ſciat dignè æſtimare hanc beatitudinem; quod obtinebit, ſi omnia vana duxerit, quæcunque non ad hanc beatitudinem conſequendam ordinantur; cùm enim tota felicitas animæ in poſſeſſione finis ſui conſiſtat, finis autem illius ſit poſſeſſio DEI, meritò vana & inutilia reputantur omnia, quæ non ad hunc finem, à quo bonitatem ſuam accipiunt, ordinantur.

III. Tertium eſt, ut ſolidam ſciat praxin ſe per hanc beatitudinem ad contemptum rerum terrenarum, aliáque media ad ipſam obtinendam conducentia excitandi; quam quidem praxin breviter indicavit S. Hieronymus ſequen- *S. Hier. ep. 22. ad Euſtoch.* tibus verbis: Quotieſcunque te vana ſæculi delectaverit ambitio: quoties in mundo videris aliquid glorioſum, ad Paradiſum mente tranſgredere: eſſe incipe, quod futura es, & tunc poteris dicere: Aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem, nec flammæ obruent eam. Eodem modo in adverſis caſibus ſolatium à beatitudine futura petendum eſſe, idem Sanctus Demetriadem monuit dicens: Re- *Idem ad Demetr.* ſpice, quod promiſſum eſt: omne opus leve ſolet fieri, quando ejus pretium cogitatur; & ſpes præmij, ſolatium eſt laboris. Certè S. Gregorio teſte, mala præſentis vitæ tantò du- *S. Gregor. l. 10. mor. c. 12.* riùs animus ſentit, quantò penſare bonum, quod ſequitur, negligit: & quia non vult præmia conſiderare, quæ reſtant, gravia æſtimat eſſe, quæ tolerat. At ſi ſemel quiſque ad æterna ſe erigat, atque in his, quæ incommutabiliter permanent, oculum cordis figat, propè nihil eſſe hoc conſpicit, quidquid ad finem currit.

§. XI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occaſione thematis: *Homo quidam fecit cœnam magnam:* poteſt Beatitu- *Luc. 14. v. 16.* do huic cœnæ comparari, & oſtendi 1. cur dicatur magna, ſcilicet propter *invitantem*, qui eſt magnus & laudabilis nimis: propter *convivas*, qui omnes ſunt Principes & Reges cæli: propter ipſam *cœnam*, quæ perfectiſſimè famem expellet, & tamen appetitum relinquet

Pſ. 16. v. 15. juxta illud : Satiabor, cùm apparuerit gloria tua : Sed & ſitim copioſiſſimo gratiſſimóque potu levabit, juxta illud ejuſdem Pſalmiſtæ : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & tor- *Pſ. 35. v. 9.* rente voluptatis potabis eos. Ut meritò tandem exclamet cum admiratione. Quàm ma- *Pſ. 30. 20.* gna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te: propter *Durationem*, quia per totam æternitatem durabit juxta teſti- *Jo. 16. v. 22.* monium Chriſti dicentis : Et gaudium ve- *Matth. 25. v. 46.* ſtrum nemo tollet à vobis. Et iterum: Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. 2. Oſtendatur, quantam quiſque curam meritò ſuſcipere debeat, ut veſtem nuptialem gratiæ ac caritatis habeat. Quàm libenter item interea à vilibus eſcis, id eſt, voluptatibus illicitis & carnalibus, abſtinere debeat, ut tantò perfectiùs in illa cœna ſatietur.

Gen. 15. v. 1. II. Ex occaſione thematis: *Noli timere Abraham; ego protector tuus ſum, & merces magna nimis:* poteſt oſtendi 1. cur DEUS dicatur merces magna nimis; nimirum quia beatitudo, quæ hic per mercedem intelligitur, & ex ejus viſione oritur, tam magna eſt, ut Deus ipſe majorem facere non poſſit, teſte D. Thoma. Deinde quia magno, imò infinito exceſſu excedit omne hominum mentum. Præterea quia certiſſimè dabitur, quamprimum labor hujus vitæ fuerit finitus. Et ultimò, quia eſt merces ſtabiliter durans per totam æternitatem. 2. Oſtendatur, ſi Famuli & operarij hujus Mundi propter modicam, incertam, & perituram mercedem tam fidele, promptúmque ſervitium præſtant ſuis Dominis carnalibus, quanta cum alacritate & fidelitate DEO ob tantam mercedem ſervire oporteat. Unde ſemper quiſque ſibi hos Famulos ob oculos ponere, illúdque olim S. Auguſtino dictum objicere deberet : Potuerunt iſti, & iſtæ; & tu non poteris?

Pſ 35. v. 10. III. Ex occaſione thematis : *Apud te eſt fons vitæ:* poteſt oſtendi, quàm meritò Beatitudo fons dicatur veræ vitæ, quia ſcilicet ex ea ſolidum gaudium, in quo vita conſiſtit animæ in altera vita, hauritur *puriùs*, (cùm nihil ibi ſit, quod corrumpere queat ejuſmodi gaudium) *recentius* (cùm adeò recens videatur Beatis gaudium, ac ſi eo primùm die frui illo cœpiſſent,) & *abundantiùs* (cùm fons illius à ſe ſit, atque adeò exareſcere non poſſit,) quàm meritò ergo cum S. David quivis ad hunc fontem *Pſ. 41. v. 2.* aſpirare debeat ac dicere : Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te DEUS. Item: dulciùs ex ipſo fonte petuntur aquæ.

IV. Ex eodem themate, vel iſto : *Hæc eſt Jo. 17. v. 3. autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum vivum:* oſtendi inprimis poteſt, quomodo vita animæ conſiſtat in cognitione DEI, perfectâ nempe ſeu beatifica viſione, quia ex hac oritur amor perfectus, per quem anima unitur moraliter ſummo bono, atque adeò fruitur illo, ſicque operationem illam, ob quam creata eſt, elicit, quod eſt verè vivere. 2. Oſtendi poteſt, qualis hæc vita ſit, ſcilicet *vera* cùm vita mortalis, teſte S. Gregorio, æternæ *S. Greg. ho. 37.* vitæ comparata, mors ſit potiùs dicenda, quàm vita; ipſe enim quotidianus defectus corruptionis quid eſt aliud, quàm quædam prolixitas mortis ? Vita *beata*, quia omnium bonorum aggregatione perfecta, cùm tunc DEUS cuivis Sancto dicat, quod olim Moyſi dixit : Veni, oſtendam omne bonum ti- *Exod. 33. v. 19.* bi. Atque adeò quivis cum Salomone dicere queat : Venerunt mihi omnia bona pa- *Sap. 7. v. 11.* riter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius. Vita *ſempiterna*, uti colligitur ex citato themate, & alio Chriſti dicto apud Matthæum : Ibunt hi in ſupplicium *Matth. 25. v. 46.* æternum; juſti autem in vitam æternam. Quæ omnia breviter complexus S. Proſper dixit: Fu- *S. Proſper. l. 1. de vit. contempl. c. 2.* tura vita creditur beatè ſempiterna, & ſempiternè beata; ubi eſt certa ſecuritas, & ſecura tranquillitas, & tranquilla jucunditas, felix æternitas, & æterna felicitas : ubi eſt amor perfectus, nullus timor, dies æternus, alacer motus, & unus omnium Spiritus de contemplatione DEI ſui, ac de ſua cum illo permanſione ſecurus : ubi ipſa Civitas, quæ eſt Angelorum Sanctorum & hominum Congregatio beata, meritis fulgentibus micat, & æterna ſalus exuberat, veritas regnat, ubi nec fallitur quiſque, nec fallit : unde nullus ejicitur beatus, quò nullus adjicitur miſer. Excitentur proin Auditores ad hanc vitam quærendam illis Pſalmiſtæ verbis : Quis eſt ho- *Pſ. 33. v. 13.* mo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? declina à malo, & fac bonum. Oſtendatúrque, quàm modicum ſit, quod petitur, (cùm mandata ejus gravia non ſint, ſed potiùs jugum ſuave, & onus leve,) atque adeò meritò cuivis dici queat, quod olim Naamano ſervi ſui dixerant : Pater, & ſi rem gran- *4. Reg. 5. v. 13.* dem dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras; quantò magis, quia nunc dixit tibi: declina à malo, & fac bonum.

V. Ex occaſione thematis : *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis* : poteſt magnitudo beatitudinis ex ſeptem Teſtium teſtimonijs probari. 1. Ex te- *Matth. 5. v. 12.* ſtimonio DEI dicentis Abrahamo : Ego *Gen. 15. v. 1.* protector tuus ſum, & merces magna nimis. *Exod. 33. v. 19.* Item Moyſi dicentis : Veni, oſtendam omne bonum tibi. 2. Ex teſtimonio *Chriſti* in citato themate; & alibi dicentis, ſimile eſſe regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem, qui invenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit o- *Matth. 13. v. 44.* mnia, quæ habet, & emit agrum illum. Id quod ipſe abundè implevit, dum vitam & ſanguinem infiniti pretij pro eo obtulit. 3. Ex teſtimonio *Sanctorum*, de quibus canit Eccleſia : omnes Sancti, quanta paſſi ſunt tormenta, ut ſecuri pervenirent ad palmam Martyrij (& præmium felicitatis æternæ) qui omnes nunc cum Sancto Paulo teſtantur, non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad *Rom. 8. v. 18.* futuram

futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *[1. Cor. 2. v. 9.]* Et quòd oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit DEUS ijs, qui diligunt eum. 4. Ex teſtimonio *Cælorum*, qui enarrant gloriam DEI. *[Baruch. 3. v. 24.]* Hinc meritò Baruch exclamavit: O Iſraël, quàm magna eſt domus DEI, & quàm ingens locus poſſeſſionis ejus! Et S. Ignatius: Heu quàm ſordet terra, cùm cælum aſpicio! Et ſi exterior cæli facies talis eſt, quid intus latebit? *[Apud Fabr. conc. 2. in Feſto omnium Sanctorum. n. 6.]* 5. Ex teſtimonio *Terræ*; ſi enim, ut olim S. Porphyrius Græcorum Epiſcopus viſâ pompâ, quâ Theodoſius Junior baptizabatur, dicebat, ea, quæ paulò pòſt evaneſcunt, tantum gloriæ ſplendorem habent, quantum habitura ſunt cæleſtia, quæ parata ſunt Sanctis & electis DEI? Et ut S. Bernardus dixit, quid erit in Patria, ſi tantum eſt delectationis in via? 6. Ex teſtimonio *malorum & reproborum hominum*; ſi enim in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem; qualis præſtabitur Sanctis diligentibus veritatem? ut rectè diſcurrit S. Fulgentius. *[S. Fulgentius apud Surium 10. 1.]* 7. Ex teſtimonio *Dæmonis* quondam fatentis, ſi columna ferrea, eáque ignita novaculis, acutiſque calamis undequaque inſtructa, atque à terra ad cælum uſque pertingens ſtaret, ſe aſſumpto humano corpore *[Cæſarius l. 5. c. 10.]* libenter per illam uſque ad extremum judicij diem volvi & revolvi velle, ſi cælo potiri per hæc tormenta liceret. Imò aliàs dicere auditus eſt, ſe omnia Damnatorum tormenta *[Vide Fabrum l. c.]* libenter uſque ad judicij diem toleraturum, ſi unico momento DEUM aſpicere liceret.

[Matth. 25. v. 23.] VI. Ex occaſione thematis: *Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui:* oſtendatur, quale hoc ſit gaudium, ſcilicet 1. Gaudium *ſincerum* ſeu *purum* propter omnis mali abſentiam, juxta *[Apoc. 21. v. 4.]* illud Apocalypſis: Et abſterget DEUS omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. 2. Gaudium *plenum* propter omnis boni præſentiam, de quo gaudio Chriſtus apud S. *[Jo. 16. v. 24.]* Joannem locutus eſt dicens: Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum. Ubi breviter oſtendi poteſt, qualia gaudia in corpore & anima Sancti ſint habituri. 3. Gaudium *perpetuum* juxta illud Chriſti teſtimo- *[Ib. v. 22.]* nium: Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Excitentur proin Auditores, ut in hac vita libenter modicam triſtitiam ſuper peccata, & adverſitates, pœnáſque ob peccata inflictas patiantur, ut hæc triſtitia in tale gaudium mutetur. Item ut ſint fideles ſuper pauca, id eſt, talenta à DEO data bene impendere ſtudeant, ut ſuper multa conſtitui olim mereantur.

[Pſ. 35. v. 9.] VII. Ex occaſione thematis: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos:* poſſunt enarrari quinque fontes, ex quibus inexplicabilis voluptas, & gaudium Sanctorum oritur. Videlicet 1. *Ex loci amœnitate & magnitudine:* de qua S. David dixit: Quàm dilecta tabernacula Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. *[Pſ. 83. v. 1.]* Et Baruch. O Iſraël, quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus. *[Baruch. 3. v. 24.]* 2. *Ex Societate Sanctorum*, tam *multorum* (juxta illud S. Joannis teſtimonium: vidi turbam magnam, *[Apoc. 7. v. 9.]* quam dinumerare nemo poterat,) tam *concordium* (erit enim tunc maximè eorum cor unum & anima, quia nihil proprium poſſidebunt; & hoc ipſo, quòd perfectiſſimè unum erunt cum tertio, nempe DEO, etiam inter ſe unum erunt,) tam *ſpecioſorum* (tunc enim juſti fulgebunt, ſicut ſol) quorum omnium *[Matth. 13. v. 43.]* gaudium commune erit. 3. *Ex oblectatione ſenſuum:* quæ breviter enarrari poſſunt. 4. *Ex corporis glorificatione:* quod, teſte S. Paulo, ſurget in virtute, ſurget ſpirituale, *[1. Cor. 15. v. 44.]* ſurget incorruptibile; ideóque etiam quatuor dotibus impaſſibilitatis, agilitatis, ſubtilitatis, & incorruptibilitatis ornatum. 5. *Ex viſione beatifica:* de qua S. David locutus eſt, *[Pſ. 20. v. 7.]* dum dixit: Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Quæ omnia fuſius explicata videri poſſunt apud Fabrum conc. 7. in Dom. 2. Quadr. & conc. 5. in Feſto omnium Sanctorum.

VIII. Ex occaſione thematis: Peto, Nate, *ut aſpicias ad cælum:* oſtendi poteſt, *[2. Mach. 7. v. 28.]* quomodo per beatitudinis memoriam ſe quivis contra duplicem tentationem, ſcilicet concupiſcentiam & timorem inordinatum, armare & tueri queat. Et 1. quidem, quoties aliquid delectabile in terra occurrit, recordando, quantò meliùs olim in altera vita id habituri ſimus, ideóque imitemur illos, qui ad convivium ituri à vilioribus cibis abſtinent, melioribus ſe reſervantes. Id quod S. David fecit dicens: Renuit conſolari anima mea (in rebus creatis,) memor fui DEI, *[Pſ. 76. v. 3.]* & delectatus ſum. 2. Quoties adverſitas occurrit, oculos iterum ſurſum ad cælos elevando, exemplo illorum, qui ſuper ponticulum aquis rapacibus imminentem ambulant, & vertiginem timent. Sic Mater Machabæorum Filium natu minimum verbis in themate citatis animavit. Et Chriſtus Diſcipulos, dum dixit. *[Matth. 5. v. 11.]* Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines &c. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.

§. XII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

1. EVeniet Beatis olim, quod Reginæ Sabæ, viſâ gloriâ Salomonis, evenit; nam & illi dicent: Verus eſt ſermo, quem audivi in terra mea &c. & non credebam nar- *[3. Reg. 10.]*

rantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quòd media pars mihi nunciata non fuerit. Major eſt ſapientia tua & opera tua, quàm rumor, quem audivi. Beati viri tui, & beati ſervi tui hi, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.

Clavius in Sphæram Ioannis de Sacrobosco c. 1.

II. Cælum Empyreum diſtat à terra mille ſeptingentis nonaginta myriadibus, nongentis viginti quinque millibus, & quingentis milliarijs. Nam juxta Clavium cælum Lunæ diſtat 120630. milliarijs, cælum Solis 4013923. Firmamentum autem 161884945. Unde ſi lapis molaris è firmamento decideret, cadendo conſumeret 1500. annos ſolares, licet quotidie cadendo conficeret 32780. milliaria, & ſingulis horis 1300. Magnitudo verò hujus cæli eſt propè immenſa, cùm minima ſtella magnitudine terram decies octies ſuperare dicatur.

Kiſſel. to. 1. f. 847.

III. Antiochus Rex in honorem Daphnidis mirè adamatæ, convivium in media aula ſic inſtituit, ut tamen interea ſexcentos Ephebos formoſiſſimos, & ducentas Puellas elegantiſſimè veſtitas per urbem mitteret, qui florcis redimiti ſertis ex vaſis Chryſtallinis vina, & ex orbibus candidiſſimis candidos panes, & ſaccaraceos fructus offerrent, alijs interea jucundâ muſicâ accinentibus. Quod totum ideo factum, ut ex hac munificentiâ colligerent cives, quàm nobile convivium in aula eſſet apparatum. Applicatio facilis ad convivium cæleſte, ad cujus magnitudinem demonſtrandam DEUS mittit in terram Angelos varia interdum cæli gaudia prægustanda offerentes.

IV. Rectè de beatitudine cecinit Ovidius:

Ovid. 3. Met.

-- -- -- -- -- -- Ultima ſemper
Exſpectanda dies homini eſt, dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Engelgr. in dom. 21. poſt Pent.

V. Empedocles rogatus, cur viveret? ut cælum aſpiciam, reſpondit; tolle cælum, & nullus ero.

Ibid.

VI. Alcinous Rex palatium habuit ex muris æneis, portis aureis, poſtibus argenteis, laquearibus ex electro & ebore ad miraculum elaboratis. Sed quid hoc ad cælum, cujus plateæ aurum mundum, & portæ ex ſingulis gemmis.

Lyraeus l. 1. apoph. 6.

VII. Pulchrè Poëta S. Ignatium terras ex aſpectu cæli deſpicientem ſic deſcribit:

Vos aſtra teſtor, agmen in cælo vigil,
Orbiſque ſempiternus errantis chorus,
Divinitatis intimæ Scena extima:
Dum vos avaro ſæpe conſpectu fruor,
Dediſco rerum pretia: nunc gemmæ jacent.
Jam pallet aurum, non habet flores humus:
Et quæ placebant antè, nunc ſordent opes.

VIII. Breviter, ſed nervosè etiam Eccleſia admonens ſic canit:

Eccleſia in offic. Transfig.

Oculos in altum tollite:
Illic licebit viſere,
Quod neſciat finem pati,
Sublime, celſum, interminum.

Seneca. nat. qq. c. 8.

IX. Surſum, inquit Seneca, ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur.

Cicero l. 1. de nat. Deor.

X. Simonides interrogatus ab Hierone Siciliæ Tyranno, quid, qualiſve eſſet DEUS? unius diei poſt alterum ſpatium petijt ad cogitandum; & tandem poſt multos dies dixit: Quo conſidero diutius, hoc mihi res videtur obſcurior. Idem de beatitudine non malè dixeris.

Beſſeus de noviſſ.

XI. Philoſophus quidam interrogatus, cur Patriæ curam non gereret? digito in cælum intento dixit: Hanc curo.

Cicero 4. Tuſc.

XII. Is eſt beatus, inquit Cicero, cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut minùs lætabile ad efferendum videri poteſt.

Ariſtot. l. 1. Rhet. c. 5.

XIII. Ariſtoteles variè ſic definiri poſſe beatitudinem putat, ita ut ſit vel proſperitas cum virtute conjuncta: vel fortunata rerum cum virtute adminiſtratio, actióve: vel ratio per ſe ſufficiens ad bene vivendum: vel vita pleniſſima voluptatis, ſumma ſecuritate & præſidio nixa: vel abundantia copiarum, & abſolutiſſima incolumitas corporis, cum poteſtate hujuſmodi atque vi, quæ ad paranda illa & conſervanda ſufficiat.

Utilitas.

Langius in Polyanth. V. eod.

XIV. Muſca contemnens formicam, vide, inquit, quanta ſit humilitas tua. Cava loca terrarum incolis, & perpetuò humi reptas, magno cum labore tenuem victum quæris. At me alæ in ſublime ferunt, & menſæ regiæ accipiunt, delicatiſſimis cibis veſcor, & purpuræ regiæ incumbo, quin & formoſiſſimas genas deoſculor. Cui Formica: atqui improbitas tua odioſa eſt omnibus, ob quam etiam flabella & venena in necem tuam parantur. Sed & modicâ anni parte durat felicitas tua, cùm hyemis tempore mox pereas; ego autem in æſtate mediocri labore exercear, ut in hyeme quietam & ſecuram vitam degere poſſim.

S. Chryſ. hom. 5. de poen.

XV. S. Chryſoſtomus inter alia ſuadet, ut, quoniam lumen majus obfuſcat minus, cùm quis viderit mulierem formoſam, oculis ſplendentem, reſpiciat deſuper, quò tale ſpectaculum prætereat. Id quod in alijs quoque caſibus faciendum.

Cicero in ſomnio Scipion.

XVI. Quid poteſt ei magnum videri, inquit Cicero, in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiúſque Mundi nota ſit magnitudo? ipſa terra ita mihi parva viſa eſt, ut me imperij noſtri, quo quaſi punctum ejus attingimus, pœniteret.

Reuſ. in feſto SS. Phil. & Iac. ch. 3.

XVII. Lyſander à Perſa interrogatus, quam Rempublicam florentiſſimam cenſeret? reſpondit: In qua bene meritis condigna præmia redduntur. Qualis ergo erit Reſpublica Chriſtiana, in qua talia præmia bene meritos exſpectant, quæ in cor hominis non aſcenderunt?

XVIII.

Ibid. XVIII. Beatitudo eſt in hoc mari laborantibus, inquit Beyrlinck, quod fundamentum ædificio, quod navi carina, quod in animalium generatione cor, quod viatoribus iter non aſperum, euntibus hoſpitium commodum, mercium amor mercatoribus, Agricolis ſpes fertilitatis.

Ibid. XIX. Herculi adhuc Adoleſcenti dubitanti, quod vitæ iter ſectaretur, duæ ſe objecerunt Mulieres, una decora, delicijs affluens, & præter voluptatum illecebras nihil promittens, & hæc vitium erat; altera mucilenta, rugoſa, & præter labores nihil laudans, ſed poſt eos exantlatos Deorum conſortium pollicens, & hæc virtus erat; quam proinde priore rejectâ amplexus eſt Hercules. Idem de beatitudine hujus & alterius vitæ dici poteſt.

Sulpitius in vita. XX. S. Martinus rogatus, ut corpuſculum lateris converſione nonnihil relevaret, ſinite me, ait, cælum reſpicere potiùs, quàm terram, ut ſuo jam itinere iturus ad Dominum Spiritus dirigatur.

Jucunditas.

Stobæus.ſ. 101. XXI. Socrates interrogatus, quid eſſet felicitas? voluptas, reſpondit, quam nulla pœnitudo ſequitur.

§. XIII.

AUTHORES.

I. Petrus Caniſius to. 4. c. ult.

II. Hieremias Drexelius in Cœlo.

III. Ludovicus Granatenſis in loc. comm. f. 834.

IV. Petrus Beſſeus de quatuor noviſſ.

V. Gabriel Inchinus de noviſſimis.

VI. Philippus D'outreman in Pœd. Chriſt. p. 1. c. 8. §. 10.

VII. Matthias Faber co. 1. 2. & 3. in Feſto omnium Sanctorum. Item conc. 2. in Dom. 2. Quadr.

VIII. Thomas Stapletonus text. 7. in Dom. ſept. & text. 2. in Dom. 2. Quadrag.

IX. Laurentius Beyrlinck in feſto SS. Philippi & Jacobi.

X. Joannes Major in magno ſpeculo Exemplorum. Tit. Gloria cæleſtis.

XI. Antonius Daurolous in Cathechiſmo Hiſtoriali. p. 3. c. 8. tit. 22. & ſeqq.

TITVLVS V.

COGNITIO SUI.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Jacob. Alvar. to. 2. l. 4. p. 2. c. 1. ESt ſcientia, quâ homo ad movendum affectum ſuum, ſeipſum quoad naturalia & moralia cognoſcit, & quid ex ſe habeat, quid vero ex DEO poſſideat, attentâ mentis conſideratione diſcernit.

Diviſio.

II. Dividi poteſt in Cognitionem ſui quoad *naturalia*, & quoad *moralia*, illa eſt, quâ cognoſcuntur ea, quæ à Natura quiſque habet; hæc eſt, quâ conſiderantur, quæ libero ſuo arbitrio quiſque operatus eſt.

Actus.

S. Bern. in form. hon. vit. III. Tres potiſſimùm poſſunt aſſignari. Primus eſt, quo quis cognoſcit, quid fuit, quia ſperma fœtidum: quid eſt, quia vas ſtercorum: & quid erit, quia eſca vermium.

S. Aug. l. de nat. & grat. c. 26. IV. Secundus, quo conſideratur, quid quiſque potuerit, poſſit, & poterit; videlicet undequaque *nihil*; nam, ut ſapienter S. Auguſtinus dixit, ſicut oculus corporeus, licet pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere; ſic homo quibuſcunque donis ornatus, niſi æterna luce Juſtitiæ divinitus adjuvetur, non poteſt rectè vivere.

V. Tertius eſt, quo cognoſcitur, qoid quiſque fecerit, faciat, aut facturus ſit; id quod graphicè S. Bernardus expreſſit, dum dixit: Quid neceſſe eſt, ſingulas ejus, id eſt, animæ miſerias numerare, quàm ſit onerata peccatis, obfuſa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiſcentijs, obnoxia paſſionibus, impleta illuſionibus, prona ſemper ad malum, in vitium omne proclivis, poſtremò totius confuſionis & ignominiæ plena? Mirum, ſi ipſæ quoque juſtitiæ noſtræ omnes ad lumen veritatis inſpectæ, velut pannus menſtruatæ non inveniuntur: injuſtitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen, quod in nobis eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? *S. Bern. ſ. 5. in dedic. Eccl.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. VIde vias tuas in convalle: ſcito, quid feceris. *Jer. 2. v. 23.*

II. Ego vir videns paupertatem meam. In virga indignationis ejus. *Thre. 3. v. 1.*

III. Contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me. *Abac. 2. v. 1.*

Neceſſitas.

IV. Si ignoras te, ô pulcherrima inter Mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum. *Cant. 1. v. 7*

Google

Utilitas.

Cant. 4. v. 9. V. Vulnerâſti cot meum, ſoror mea ſponſa, in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui, id eſt, per cognitionem tui, ut Alvarez & alij interpretantur.

Jer. 31. v. 19. VI. Poſtquam oſtendiſti mihi (ſcilicet probroſum & malum ſtatum meum) percuſſi femur meum.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Baſil. in Hexam. l. 9. I. REvera omnium cauſarum difficillimum eſt, ſeipſum cognoſcere; non enim ſolus oculus ea, quæ extrinſecus habentur, inſpiciens, ſeipſum non valet intueri, ſed etiam mens ipſa, ſatis acutè aliena delicta contemplans, tardior eſt erga ſuorum cognitionem.

S. Greg. 10. 4. in Ezech. II. Unumquodque coram facie ſua ambulabat. Quid eſt coram facie ſua ambulare, niſi ſeipſa ſibi præſentia habere? ſicut ambulare coram facie DEI, eſt, DEUM ſibi facere præſeotem.

Idem l. 10. mor. c. 22. III. Iſte in hac vita Juſtorum labor eſt, ut ſemetipſos inveniant, & invenientes, fleodo & corrigendo ad meliora perducant.

Ibid. IV. Electi intra ſinum cordis adverſum ſe, quidquid impugnat, enumerant: ibi ante oculos ſuos omne, quod defleant, coacervant: ibi, quidqoid per iram diſtricti Judicis diſcerni poſſit, intuentur: ibi tot patiuntur ſupplicia, quot pati timent.

Neceſſitas.

Hugo l. 3. de anim. V. Fruſtra cordis oculum erigit ad videndum DEUM, qui nondum idoneus eſt ad videndum ſeipſum. Priùs enim eſt, ut cognoſcas iovisibilia Spiritûs tui quàm poſſis eſſe idoneus ad cognoſcendum invisibilia DEI. Et ſi non potes cognoſcere te, non præſumas apprehendere ea, quæ ſunt ſupra te. Præcipuum & principale ſpeculum ad videndum DEUM, animus rationalis intuens ſeipſum.

S. Bern. ſ. 37. ſup. Cant. VI. Scio, neminem absque ſui cognitione ſalvari, de qua nimirum Mater ſalutis humilitas oritur, & timor Domini, qui & ipſe ſicut initium ſapientiæ, ita & ſalutis eſt.

S. Anſelm. in ſua med. VII. Omnis gravis anguſtia. Si me inſpicio, non tolero meipſum: Si non inſpicio, neſcio meipſum. Si me conſidero, terret me facies mea: ſi noo conſidero, fallit me damnatio mea. Si me video, horror eſt intolerabilis; ſi non video, mors inevitabilis.

S. Bern. c. 9. VIII. Noveris licet omnia myſteria, ooveris lata terræ, alta cæli, profunda maris, ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento, ruinam, noo ſtructuram faciens: Quidquid exſtruxeris extra te, erit ioſtar congeſti pulveris, ventis obnoxium. Non ergo ſapiens, qui ſibi non eſt. Sapiens ſibi ſapiens erit, & bibet de fonte putei ſui primus ipſe.

S. Aug. ſ. 50. de verb. Apoſt. IX. Semper tibi diſpliceat, quod es, ſi vis pervenire ad id, qnod non es; nam ubi tibi placuiſti, ibi remanſiſti.

Utilitas.

S. Bern. de conſid. X. Primùm ipſum fontem ſuum, id eſt, mentem, de qua oritur, conſideratio purificat, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, mores componit, vitam hooeſtat & ordinat; poſtremò divinarum pariter & humanarum rerum ſcientiam confert.

S Chryſ. tr de ſymb. c. 3. XI. Eſt primùm hominis ſapientiam affectantis, contemplari, quid ipſe ſit: quid intra ſe, quid infra ſe, quid ſupra, quid contrà, quid ante, quid poſtea ſit. Hæc conſideratio quadripartitum parit fructum, utilitatem ſui, caritatem Proximi, contemptum Mundi, amorem DEI.

Hugo l. 1. de anim. XII. Diſce ex tuo Spiritu cognoſcere, quid debeas de alijs Spiritibus æſtimare. Hæc porta, hæc ſchola, hic introitus, iſte aſcenſus; hâc intratur ad intima, hâc elevatur ad ſumma: ex hac ſiquidem proficiſceris ad cognitionem omnium cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Caſſiod ſuper illud Pſ. Miſerere mei, quoniam infirmus ſum. XIII. Magnus acceſſus ad DEUM eſt, cognitio infirmitatis ſuæ. Locis corpora continentur, animi autem locus eſt affectio ſua. Magna eſt utilitas ſervo DEI, propriam infirmitatem cognoſcere, atque in ſuis viribus aut meritis oullam fiduciam habere. Tunc enim incipit adeſſe virtus Divina, quando deficere incipit præſumptio humana.

S. Bern. XIV. O homo, ſi te videres, tibi diſpliceres, & mihi placeres; ſed quia te non vides, tibi places, & mihi diſplices. Veniet tempus, cùm nec mihi, nec tibi placebis; mihi, quia peccâſti; tibi, quia ardebis.

Idem de inter. domo c. 28. XV. Multæ ſcieotiæ hominum, ſed nulla melior eſt illâ, quâ cognoſcit homo ſeipſum, beatus homo, qui ſe poteſt cognoſcere.

Idem ſ. 37. in Cant. XVI. Noveris te, ut DEUM timeas: noveris & ipſum, ut æquè ipſum diligas. In altero initiaris ad ſapientiam, in altero conſummaris; quia initium ſapientiæ timor Domini eſt, & plenitudo legis eſt caritas.

Dignitas.

S. Clem. pæd. l. 3. XVII. Eſt omnium diſciplinarum pucherrima ac maxima, ſeipſum nôſſe.

Hug. de S. Vict. l. de clauſtro animæ. XVIII. Melior eſt ſcientia, ſi teipſum cognoſcas, quàm ſi te neglecto curſum ſiderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, cæleſtium, terreſtiùmque omnium cognitionem habeas:

Google

habeas: multi enim multa ſciunt, & ſeipſos neſciunt, cùm tamen ſumma Philoſophia ſit ſui cognitio.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

[*Lib. 1. c. 2.*] I. HÆc eſt utiliſſia & altiſſima lectio, ſui ipſius vera cognitio & deſpectio.

[*Ibid.*] II. Qui bene ſeipſum cognoſcit, ſibi ipſi vileſcit, nec laudibus delectatur humanis.

[*lib. 1. c. 4.*] III. Humilis tui cognitio certior via eſt ad DEUM, quàm profunda ſcientiæ inquiſitio.

[*lib. 1. c. 14.*] IV. Ad teipſum oculos reflecte, & aliorum facta caveas judicare. In judicando alios homo fruſtra laborat, ſæpius errat, & leviter peccat; ſeipſum verò diſcutiendo & judicando, ſemper fructuosè laborat.

[*lib. 1. c. 21. §. 3.*] V. Habe ſemper oculum ſuper te primùm, & admoneas teipſum ſpecialiter præ omnibus tibi dilectis.

[*lib. 2. c. 5.*] VI. Nunquam eris devotus & internus, niſi de alienis ſilueris, & ad teipſum ſpecialiter reſpexeris.

§. V.

EXEMPLA.

[*Rodr. p. 2. tr. 2. c. 9.*] I. S. Auguſtinus aſſiduò precabatur, & dicebat: DEUS ſemper idem, noverim me, noverim te.

[*Ibid.*] II. S. Franciſcus Seraphicus perdius & pernox in hac oratione erat occupatus: Domine, quis ſum ego? & quis tu?

[*Ibid.*] III. B. Margaritæ Sanctimoniali Inſtituti S. Dominici, cùm peteret à DEO gratiam cognoſcendi viam, per quam antiqui Patres ad tantam ſanctitatem perveniſſent, in libro aureis literis exarata hæc verba ei oſtenſa ſunt: Perfectio antiquorum Patrum iſthæc fuit: DEUM amare, ſeipſum nôſſe & deſpicere, aliorum verò contemnere neminem, neminem vel in re minima judicare.

[*Engelgr. Dom. 3. Adv. §. ...*] IV. Willigiſus Colonienſis Archiepiſcopus in veteris ſuæ fortunæ memoriam, in muſæo, & ubique alibi rotam (erat enim Patre Rhedario natus) cum hac Epigraphe depingi curavit: Qui ſis, fueriſque memento.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA

[*Exerc. 2. hebd.*] I. S. Ignatius ſtatim à primo Converſionis ſuæ initio, ad intimam ſuiipſius notitiam ſtuduit penetrare, iis adhibitis mediis, quæ plurimùm iſtuc facere poſſe cognôrat, quæque ipſe in libello Exercitiorum indicat his verbis: Conſiderabo meipſum, quiſnam aut qualis ſim, additis exemplis, quæ me in majorem mei contemptum trahant: ut ſi me cum reputem, quantulus ſim ad hominum omnium cœtum comparatus: quid deinde ſit multitudo univerſa mortalium, ſi cum Angelis, beatiſque Hominibus conferatur. Adde, quid rei ſit tandem quidquid eſt creatum præ ipſo Creatore: jam quid Homuncio unus eſſe poſſum? Demum inſpiciam corruptionem mei totius, pravitatem animæ ac corporis fœditatem, ac me tanquam ulcus ſive Apoſtema eſſe ducam, ex quo tanta ſanies peccatorum, tantáque vitiorum lues defluxit.

II. S. Franciſcus Xaverius dicere ſolebat, eos, qui in virtutibus ſincerè proficere cupiunt, in ſui cognitione diu multúmque verſari oportere, fibris cupiditatum evulſis, veræ humilitatis altas radices figere. [*Vita. l. 4. c. 21.*]

III. S. Franciſcus Borgias omnia ſibi hoſpitia optimè ſemper præparata eſſe dicebat, eò quòd ſemper duos Nuncios, ſcilicet cognitionem ſui & inferni præmitteret, qui Hoſpitium præpararent. Sed & aliàs, poſtquam in Aſceticis ſe exercere conſuevit, duas quotidie horas in meditatione cognitionis ſui conſumebat, in eóque totus erat, ut, quidquid audiret, videret, legeret, in hujus potiſſimùm argumenti uſum traheret. [*Vita. l. 4.*]

IV. Franciſcus Suarez rogatus à quodam primario Academiæ Profeſſore, uter DEO plùs deberet, Rex aliquis, cui DEUS ſceptrum obtulerit, an, ipſe, cui DEUS Theologiæ claves commiſerit? demiſſis oculis, erubeſcens reſpondit: ille plùs ei debet, cui humilitatem, ſuíque notitiam dedit.

§. VII.

EXEMPLA PROFANA.

I. LEchas Rex Poloniæ ab aratro ad regnum evectus, ſemper veſtes ruſticas in palatio ſuſpenſas in oculis habebat, ne prior conditio animo excideret. [*Æneas Sylvius de regno Boh.*]

II. Primiſlaus Rex Poloniæ ad ſolium à ſtiva vocatus, ſculponeas ac perones aſſervari juſſit ne unquam Ruſticum exueret. [*Idem.*]

III. Agathocles Siciliæ Rex ſemper teſtaceis vaſis utebatur, ne ſe Filium Figuli oblviſcerentur. [*Engelgr. embl. 4. §. 4.*]

IV. Quidam Rex Mogor. Tamerlavi Nepos, ob heroica facta viliſſimos quoſque evehere ſolebat; ſed tamen iiſdem ſemper etiam inſtrumenta artis, ex qua aſſumpti fuerant, præferri jubebat. [*Ibid.*]

§. VIII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut oculus alia videns, ſeipſum tamen non cernit; ita etiam mens noſtra corrupta, aliena vitia magis ſpectat, quàm ſua. [*Langius in Polyanth. v. eod.*]

Neceſſitas.

II. Sicut ille Paterfamilias meritò reprehendendus eſſet, qui aſſiduò indagaret, quid in alienis ædibus fiat, de ſua verò domo nullam notitiam habere ſtuderet, atque adeò penitus eam perire ſiueret; ita non minori reprehenſione dignus coram DEO eſt ille homo, qui ſe neglecto, curſum cæli, & alia ad ſe non pertinentia conſiderat. [*Anonym.*]

Utilitas.

S. Bonav. IV. Sicut Chriſtus, dum cœcum illuminavit, oculos luto priùs linivit; ſic nos ad cognitionem noſtri, & vitiorum ducit.

§. IX.

MOTIVA

I. Quia cognitio ſui, eſt via breviſſima & certiſſima perveniendi ad cognitionem DEI. Nam, ut S. Bernardus ait, primò omnium oportet animam ſcire ſeipſam, quod poſtulat ordo rationis, quando, quod nos ſumus, primum nobis eſt. Hinc Caſſiodorus ait: Magnus acceſſus ad DEUM eſt cognitio infirmitatis ſuæ. *S. Bern. ſup. Cant. ho. 36.*

II. Quia per cognitionem talem obtinetur vera humilitas, uti S. Bernardus teſtatur, dum ait: ergo tenetis memoria, quòd teneam aſſenſum veſtrum, neminem abſque ſui cognitione ſalvari, de qua nimirum Mater ſalutis Humilitas oritur. Et S. Hieronymus, Drachma (Humilitatis) perit, ſed in ſtercore propriæ vilitatis per cognitionem invenitur. *Idem. ſ. 37. in cant.*

III. Quia per eandem cognitionem ſui, caritas & beneplacitum DEI non modicè promovetur, juxta illud S. Bernardi: O homo, ſi te videres, mihi placeres, & tibi diſpliceres.

IV. Quia etiam fraterna caritas per talem cognitionem egregiè promovetur; qui enim bene & rectè ſua ponderaret, inquit Thomas de Kempis, non eſſet, quòd de alio graviter judicaret. *lib. 2. c. 5.*

V. Quia hæc cognitio eſt neceſſaria ad ſalutem, juxta S. Bernardi teſtimonium dicentis: ſcio, neminem abſque cognitione ſui ſalvari; quia qui hâc caret, ſequetur concupiſcentias ſuas inordinatas, implebitq; illud Canticorum: ſi ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos, id eſt, inordinatas affectiones tuas. *Cant. 1. v. 7.*

§. X.

MEDIA.

I. Oratio: nam, teſte S. Gregorio, cognoſcere ſe non poteſt anima, quæ tota apud ſe non eſt, niſi etiam Divinæ luci appropinquet. *S. Greg. l. 31. mor.*

II. *Quies & ſolitudo animi*: nam ſicut concuſſa aqua imaginem reſpicientis non reddit, ſed ſolùm cùm eſt quieta; ſic anima non deprehendit ſe, niſi cùm eſt quieta. *Idem l. 1. ſup. Ezech. ho. 11.*

III. *Accuratum Conſcientiæ Examen*, nam hoc eſt ſpeculum, quod Bias frequenter inſpici ſuadebat, ut unuſquiſque ſuas actiones contemplaretur, ut honeſtas magis ornet, turpes verò emendet. *Stob ſ. 21.*

IV. *Humilitas*: nam qui pleniſſimè appetit intelligere, qualis eſt, debet conſpicere, qualis non eſt, ut ex bonorum forma metiatur ipſe, quantò deficto bono deformis eſt. Lucem namque debet conſpicere, qui vult de tenebris indicare. Lumen intelligentiæ humilitas aperit; Sapientia abſcondit. *S. Greg. in moral.*

V. *Curioſitatem in alienis moribus inſpiciendis vitare*: nam, ut S. Proſper ait, tamdiu quis peccata ſua, quæ nôſſe & flere debet, ignorat, quamdiu curiosè aliena conſiderat. *S. Proſper.*

§. XI.

ASCETICA.

I. Tria ſunt præcipuè, quæ de ſui cognitione bene obſervare debet Aſceta. Primum eſt, in quo conſiſtat vera ſui cognitio. Quâ in re facem egregiè præfert S. Ambroſius ſic diſcurrens: Quid eſt ſe noſcere? niſi ut ſciat unuſquiſque hominem ad imaginem & ſimilitudinem DEI factum, rationis capacem, qui terram ſuam excolere, tanquam bonus Agricola debeat, aratro quodam & falce Sapientiæ, ut vel dura findantur, vel luxuriantia recidantur, qui interiorem ſui portionem animi imperio debeat gubernare? Unde etiam in lege ſcriptum eſt: attende tibi: ne fiat verbum abſconditum in corde tuo. Tibi, inquit, attende; non utique dicit pecuniæ tuæ, non poſſeſſionibus tuis, non viribus corporis, ſed animæ ac menti tuæ: unde omnia conſilia, facta, cogitationeſque manant. Tibi ergo attende ibi, ubi potiorem eſſe te nôſti. *S. Ambr. ſ. 2. in pſ. 118.*

II. Alterum eſt, ut magnam concipiat æſtimationem de hac cognitione; quam quidem haud difficulter concipiet, ſi meminerit, eandem meritè ab antiquis Patribus pro fundamento totius ædificii ſpiritualis habitum eſſe, utpote ex qua vera & genuina humilitas, ſine quâ nec caritas, nec ulla alia virtus ſubſiſtere diu poteſt. Adde, quòd, teſte Ariſtotele, difficillimum, atque adeò pulcherrimum quoque ſit cognoſcere ſeipſum. *Ariſt. l. 2. mag. mor.*

III. Tertium eſt, ut ſolidam quoque praxin cognoſcat, acquirendi & exercendi hanc ſui cognitionem; quam quidem duplici modo conſequi poteſt, nempe vel per comparationem ſui cum DEO aut cum aliis hominibus, maximè juſtis & perfectis, uti ſupra §. *6.* num. 1. S. Ignatium docuiſſe diximus; vel per accuratam conſiderationem propriarum infirmitatum & imperfectionum, uti Innocentius Pontifex docuit ſequentibus verbis: O vilis conditionis humanæ indignitas! O indigna vilitans humanæ conditio! herbas & arbores inveſtiga, illæ de ſe producunt flores, & frondes, & fructus, & tu de te lendes, lumbricos, & pediculos. Illæ de ſe effundunt oleum, vinum, & balſamum, & tu de te ſputum, & urinam, & ſtercus. Illæ de ſe ſpirant ſuavitatis odorem, & tu de te reddis abominationem fœtoris. Qualis arbor, talis fructus; non enim poteſt arbor bona malos fructus facere. *Innoc. Pont.*

§. XII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occaſione thematis: *Homo natus de muliere,* *Iob. 14. v. 1.*

mulieres, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis: poſſunt miſeriæ totius vitæ humanæ explicari. Et 1. quidem eæ, quæ cuiſque ætati propriæ ſunt, nempe reſpectu *Infantiæ* impotentia, & rationis carentia. reſpectu *Adoleſcentiæ* inclinatio ſeu facilitas ad faciendum malum, & difficultas in faciendo bono: reſpectu *Juventutis* periculum bivii in electione ſtatûs, in quo tam multi aberrârunt, & quotidie aberrant: reſpectu *Virilis* ætatis ſollicitudo in regenda & alenda familia, ſtatúque ſuo tuendo: reſpectu *Senectutis* languor & rerum omnium faſtidium. 2. Demonſtrari poteſt, quæ miſeriæ omnibus his ætatibus communes ſint, nempe reſpectu corporis neceſſitas cibi, potûs, ac ſomni (de quibus rectè Thomas Kempenſis dixit: Verè miſeria eſt, vivere ſuper terram. Quantò homo voluerit eſſe ſpiritualior tantò præſens vita fit ei amarior; quia ſentit meliùs, & videt clariùs humanæ corruptionis defectus. Nam comedere, bibere, vigilare, dormire, quieſcere, laborare, & cæteris neceſſitatibus ſubjacere, verè magna miſeria eſt, & afflictio homini devoto, qui libenter eſſet abſolutus, & liber ab omni peccato) labor, morbi, dolores, mors: reſpectu animæ perpetua pugna, perpetuum ſalutis periculum, perpetuus lapſus; ratione quorum omnium meritò quivis cum S. Job exclamat: Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam adverſum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam DEO: noli me condemnare.

lib. 1. c. 22. §. 3.

Job. 10. v. 1.

Jo. 1. v. 20.

II. Ex occaſione thematis: *Tu quis es?* Oſtendi poteſt, quomodo quivis ex ſe utiliter & frequenter quærere debeat, quis ſit ſecundùm triplicem ſtatum. 1. Secundùm *Naturam*: ut meminerit, ſe eſſe rationalem creaturam, atque adeò vitam rationi conformem ducere debere, ne illam ſeveram S. Chryſoſtomi increpationem audire cogatur: Hominé te agnoſcere nequeo, cùm nempe ut aſinus recalcitres, laſcivias verò ut taurus, tanquam equus poſt mulieres hinnias, ventri ut urſus indulgeas, ut mulus carnem impingues, & malum memoriâ teneas ut camelus. Porrò rapias quidem ut lupus, ac ut ſerpens iraſcaris, ferias ut ſcorpius, ſis ſubdolus ut vulpes, nequitiæ venenum tanquam aſpis & vipera ſerves, ac ſicut malignus Dæmon Fratres impugnes. Quomodo te cum Hominibus connumerare valeo, talis in te naturæ ſigna cùm non intuear 2. Secundùm *Religionem*: ut meminerit, ſe eſſe Chriſtianum, & proinde illam S. Jacobi ſententiam ſibi applicet: Quid prodeſt, Fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? nam, ut rectè S. Auguſtinus dixit, Chriſtiani Nominis non ſola dignitas facit Chriſtianum, nihilq; prodeſt, quod aliquis Chriſtianus vocetur in nomine, ſi hoc non obſtendit in opere. 3. Secundùm *Statum* ſeu *Officium*: ut meminerit, ſe ſpectaculum factum eſſe DEO, Angelis, & Hominibus, atque adeò operam det, ut Perſonam ſuam ad exemplum Chriſti ita ſuſtineat, ut dici de eo perinde poſſit. *Bene omnia fecit.*

S. Chryſoſt. ſ. 23. ad popul.

Jac. 2. v. 14.

S. Aug. ſ. 22. de ſ.

III. Ex occaſione thematis: *Et JESUS proficiebat Sapientia & ætate, & gratia apud DEUM & Homines*: poteſt dicere Concionator, multùm ſollicitos eſſe quoſdam Homines, ut veram ſui effigiem quoad corpus obtineant, multò verò juſtiùſque ſollicitos fore de effigie vera animi obtinenda, facem autem ſe cuiq; in præſenti concione oblaturum, eámque non aliam eſſe, quàm memorabilem illam pii Aſcetæ ſententiam: *Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris.* Oſtendat ergo veritatem hujus axiomatis triplici ratione. 1. Authoritate ſcripturæ ſacræ mirè hanc victoriam ſui commendantis, maximè in Apocalypſi, ubi promittit DEUS, quòd ei, qui vicerit, daturus ſit nomen novum, manna abſconditum, veſtimenta alba, edere de ligno vitæ, non lædi à morte ſecunda, poteſtatem ſuper Gentes, non deleri nomen ejus de libro vitæ, columnam eſſe in templo DEI, ſcribi ſuper eum nomen DEI ſui, ſedere ſecum in throno. 2. Authoritate Virorum ſanctorum ex hoc judicio præcipuè profectum cujuſque metientium; id quod de S. Ignatio maximè refertur, ut qui perpetuò ſuis occinebat: vince teipſum: ita ut S. Franciſcus Xaverius idem faciens, cùm aliquando cauſam tam frequenter repetitæ hujus doctrinæ rogaretur, non aliam reddiderit, quàm quòd hæc doctrina S. Ignatii ſit, & ſi ſiat, ſufficiat. Poteſt etiam afferri in confirmationem teſtimonium Ludovici Bloſii dicentis, ſi duo in campo ambularent, & alter florem à ſe conſpectum decerperet, alter ad vincendum ſe abſtineret à decerptione, hunc tantò intervallo in merito imparem fore, quantò cælum à terra diſtat. 3. Ratione quoque id confirmet dicendo, quòd, cùm profectus hominis in charitate DEI conſiſtat, hanc autem nihil magis impediat, quàm amor & timor inordinatus rerum ſenſibilium (quam ob cauſam veteres Philoſophi Sapientiam in abſtinendo & ſuſtinendo ſitam eſſe putabant) ſi autem per tui victoriam maximè expugnentur, rectè concluditur, tantum quemque proficere, quantùm ſibiipſi vim intulerit. Quem in finem practicis exemplis oſtendi poteſt, quomodo ſanctiſſimi quique viri vim ſibi intulerint, & eorum exemplum Auditores imitari poſſint.

Luc. 2. v. 52.

lib. 1. de imit. Chriſti c. 25. ſ. ult.

Apoc. 2. & 3.

§. XIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. COgnitio ſui & bonitas Divina ſunt quaſi ſcala Jacob, cujus pars una terræ affixa erat (& hæc eſt ſui cognitio) altera cælum attingebat, ſcilicet Divinæ miſericordiæ thronum, per quam proinde Angelorum more aſcendere & deſcendere debemus, ita ut ad puſillanimitatem ob defectus noſtros incitati, aſcendamus ad Divinam miſericordiam; ſublati verò encomiis ad noſtri cognitionem deſcendamus.

Rodrig. p. 2. tr. 3. c. 6.

Neceſſitas.

II. Interrogatus quidam Senex à Fratre, quæ eſſet

Vit. Patrũ lib. 5. c. 10.

Digitized by Google

cauſa eſſet, cur ita Fratres ſuos ſemper judicaret? reſpondit; Quia necdum teipſum cognoviſti; nam qui ſeipſum novit, Fratrum vitia non reſpicit.

Sen. epiſt. 28. III. Deprehendas te oportet antè, quàm emendes, rectè jam olim dixit Seneca.

Idem ep. 88. IV. Idem alibi clamat: O egregiam artem! ſcis rotunda metiri, in quadratum redigis, quamcunque formam acceperis: intervalla ſiderum dicis: nihil eſt, quod in menſuram tuam non cadat. Si Artifex es, metire hominis animum, dic, quàm magnus ſit, quàm puſillus ſit. Scis, quæ ſit recta linea; quid tibi prodeſt, ſi, quid in vita rectum ſit, ignoras.

Idem ep. 89. V. Et iterum alibi: Hoc nos peſſimos facit, quòd nemo vitam ſuam reſpicit.

Plato in Philebo & Amatoribus. VI. Plato, ignorantiam ſui vocabat genus improbitatis univerſæ: nôſſe autem ſeipſum, eſſe abſolutè ſapere, ab eo omnem vitæ ſapientiam, Juſtitiámque pendere nec prudentem, bonum, aut felicem eſſe poſſe, qui ſeipſum non probè nôrit.

Xenoph. l. 4. VII. Xenophon dicebat, eum, qui ſeipſum ignorat, neque ad regimen ſui, neque ad familiæ & Reipublicæ gubernationem idoneum eſſe.

Utilitas.

VIII. Ad tertium cælum aſcendendum eſt per primum & ſecundum. Primum autem cælum eſt cognitio ſui, ſecundum cognitio DEI. *S. Bern.* Hinc S. Bernardus, gradus, inquit, ad notitiam DEI eſt cognitio tui, & ex imagine ſua, quæ in te renovabitur, ipſe videbitur.

Langius in Polyanth. IX. Demonax interrogatus, quando Philoſophari inciperet? quando meipſum cognoſco, reſpondit.

Ibid. X. Philemon dicere ſolebat: Homo cùm ſis, id fac ſemper intelligas, & ſemper eris homo.

IX. Breviter & ſapienter Juvenalis, cecinit.

Juvenal ſat. 11.
E cælo deſcendit γνῶθι σεαυτόν.
Figendum, & memori tractandum pectore.

Jucunditas.

Surius in vita. XII. Chriſtus S. Catharinæ Senenſi dixit: Filia, ſi noveris, quis ego ſim, & quæ tu ſis, beata eris. Ego ſum, qui ſum: tu es, quæ non es. Hàc cogitatione freta facilè conteres omnes laqueos inimicis. Et verò quomodo quis perſuadeat, nihilum aliquid laudis promereri?

XIII. Thales dicere ſolebat, difficile eſſe, noſcere ſeipſum, ſed beatum. Et hanc eſſe vitam ſecùndum naturam. *Langius in Polyanth. v. eod.*

XIV. Ariſtoteles affirmabat, difficillimum eſſe ſeipſum cognoſcere, ſed ſuaviſſimum. *Ariſt. l. 1. magn. mor.*

§. XIV.

AXIOMATA.

I. CHriſte, ſciant quæcunque alii, mihi ſufficit una. *Anonym.*

Cognitióque tui, cognitióque mei.

II. Tecum habita, & nôris, quàm ſit tibi curta ſupellex. *Perſius l. 4.*

Aus.

III. Nemo minùs notus, quàm quiſque ſibi. *S. Chryſ.*

IV. Is maximè ſe novit, qui ſe nihil putat, quia hoc veritati maximè congruum eſt.

V. Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere nemo, *Perſius.*
Sed præcedenti ſpectatur Mantica tergo.

VI. Qui multùm foris, rarò domi eſt.
Wer vil und offt iſt auß /
Weiß nit was gſchicht im Hauß.

§. XV.

AUTHORES.

I. ALphonſus Rodriquez. p. 2. tr. 3. c. 6. 7. 8. 9.

II. Jacobus Alvarez To. 2. l. 4. p. 2.

III. Joannes Pelecius de offic. Hominis Religioſi. l. 2. c. 10.

IV. Joannes Buſæus in viridico v. cognitio ſui.

V. Joſephus Langius. in Polyanthæa Verbo cognitio, & Notitia tui.

VI. Henricus Engelgrave, Embl. 4. in Dom. 3. Adventus.

VII. Ludovicus Granatenſis in Locis communibus. fol. 616.

TITULUS VI.

CONFESSIO

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Trid. ſ. 14. c. 1.

ESt Sacramentum, in quo peccata ſua deteſtanti, & legitimè confitenti, vera à Sacerdote abſolutio, remiſſióque conceditur. Vel brevius, eſt legitima corâ Sacerdote peccatorum ſuorum declaratio, ut Hoſtienſis definit, qui etiam addit, eam dici confeſſionem quaſi ſimul faſſionem omnium peccatorum, quæ quis confiteri tenetur, aut ſponte confitetur.

Diviſio.

II. Dividitur in *Materialiter* & *Formaliter integram.* Illa eſt, quâ quis omnia peccata gravia, quæ occurrunt, explicat: Iſta eſt, quâ quis, ſuppreſſo uno vel altero peccato, tantum confitetur, quantùm moraliter loquendo hîc & nunc fieri poteſt.

III. Dividi etiam poteſt in *Publicam* & *Auricularem*: Illa eſt, quâ quis audientibus aliis ſe apud Sacerdotem accuſat; iſta eſt, quâ quis ſoli Sacerdoti ſua peccata explicat.

Partes.

IV. Tres præcipuè partes requiruntur ad Confeſſionem. Prima eſt *Contritio* ſeu animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito, non peccandi de cætero. Quam partem S. David indicavit dicens: Sacrificium DEO Spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum DEUS non deſpicies. Ut verò hæc contritio ſit legitima, requiritur inprimis, ut ex motivo ſupernaturali concipiatur. Deinde ut propoſitum non peccandi conjunctum habeat; nam, ut S. Gregorius ait, perfectè convertitur, qui, cùm ſemel, quod pravè egerat, plangit; quod rurſum plangat, ultra non repetit. Eſt tandem etiam *occaſionis* ad peccatum allicientis evitatio, aut certè propoſitum evitandi; quemadmodum S. Bernardus monet dicens: ſit veræ compunctionis indicium, opportunitatis fuga, ſubtractio occaſionis.

Pſ. 50. v. 19.

S. Greg. l. 5. in 1. Reg. c. 3.

S. Bern. ſ. 3. de ref. Dom.

V. Altera pars eſt ipſa *narratio peccatorum*; de qua ſic loquitur Concilium Tridentinum; Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicatâ, univerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam eſſe à Dominó integram Peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam eſſe; quia Dominus noſter JESUS Chriſtus, è terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit, tanquam Præſides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti Fideles ceciderint, quo pro poteſtate clavium remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient. Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc incognitâ cauſâ exercere non potuiſſe, nec æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non in ſpecie potiùs, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaráſſent. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri; nam, ut S. Auguſtinus ait, DEUS noſter, quia pius eſt, & miſericors, vult, ut ea confiteamur in hoc ſæculo, ne pro illis confundamur poſtmodum in futuro juxta ſapientem, qui ait: Pro animâ tuâ non confundaris dicere verum; eſt enim confuſio adducens peccatum; & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.

Trid. ſ. 14. c. 5.

S. Aug. l. 10. de. 20.

Eccl. 4. v. 19.

VI. Tertia pars, eáque integralis duntaxat (nam priores ſunt de eſſentia hujus Sacramenti) eſt ipſa *Satisfactio*; nam ut S. Ambroſius advertit, qui agit Pœnitentiam, non ſolùm diluere lacrymis debet peccatum ſuum, ſed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta ſuperiora, ut non imputetur ei peccatum. Unde & Sapiens monuit: De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. Et Chriſtus: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus, inquit S. Chryſoſtomus? Si utique peccatis adverſa faciamus. Aliena rapuiſti? incipe donare jam propria. Longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque tibi conjugii ſuſpendere. Injuriam vel opere cuiquam, vel ſermone feciſti? refer benedictionis verba conviciis, & percutientes te nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende. Neque enim vulnerato ſufficit ad ſalutem, tantummodo ſpicula de corpore evellere, ſed etiam remedia adhibere vulneribus. Cur autem hanc ſatisfactionem requirat DEUS, & non omnem etiam pœnam cum culpa remittat, quatuor affert cauſas Marchantius, nempe 1. quia ſic Divinæ Juſtitiæ ratio exigit, ut, quemadmodum in Baptiſmo remittitur peccatum aliena voluntate commiſſum, ideóque etiam pœna relaxatur; ita poſt baptiſmum peccata propriâ voluntate commiſſa, etiam propriâ ſatisfactione caſtigentur, & deleantur. 2. Quia alioqui liberiùs peccarent homines, cùm impunitas juxta S. Bernardum, ſit incuriæ ſoboles, inſolentiæ Mater, radix im-

S. Ambr. l. 2. de pœn. c. 5.

Eccli. 5. v. 5.

Matth. 3. v. 8.

March. tr. 5. candelab. myſt. 5.

pru-

Conc. Trid. ſ. 14. c. 8. prudentiæ, tranſgreſſionum nutrix. Hinc Concilium Tridentinum ait: Procul dubio à peccato revocant, & quaſi freno quodam coërcent ſatisfactoriæ hæ pœnæ, cautioréſque & vigilantiores in futurum Pœnitentes efficiunt. 3. Quia peccatorum reliquiis medetur, dum vitioſos habitus contrariis virtutibus tollit ſatiſfactio. 4. Quia ad augmentum meriti conducit, quod tum ex obedientia, ex qua aſſumitur; tum ex ipſa Sacramenti efficaciâ & meritis Chriſti, cui per ejuſmodi ſatisfactionem conformamur, provenit.

Proprietates.

VII. Exprimuntur à nonnemine ſequentibus verſibus:

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, munda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſe punire parata.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Exod. 19. v. 10. I. SAnctifica eos hodie, & cras, ut lavent veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium.

Levit. 13. v. 9. II. Leproſus adducetur ad Sacerdotem, vel ad unum quemlibet Filiorum ejus.

Num. 5. v. 7. III. Vir ſive Mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, peccatum ſuum confitebuntur.

Joſ. 7. v. 19. IV. Fili mi, da gloriam DEO Iſraël, & confitere, ac indica mihi, quid feceris, ne abſcondas, & dixit: Verè ego peccavi.

4. Reg. 5. v. 10. V. Vade, lavare ſepties in Jordane, & recipiet caro tua ſanitatem, & mundaberis.

Pſ. 37. v. 19. VI. Iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.

Pſ. 94. v. 2. VII. Præocupemus faciem ejus in confeſſione.

Eccl. 7. v. 34. VIII. De negligentia tua purga te cum paucis.

Iſ. 38. v. 15. IX. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Matth. 8. v. 4. X. Reduc me in memoriam, ut judicemur ſimul; narra, ſi quid habes, ut juſtificeris.

Luc. 5. v. 14. XI. Vade, & oſtende te Sacerdoti, & offer munus tuum.

Jacob. 5. v. 16. XII. Confitemini alterutrum peccata veſtra.

Job. 31. v. 33. XIII. Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celavi in ſinu meo iniquitatem meam.

Neceſſitas.

Prov. 28. v. 13. XIV. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur; qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.

Eccl. 17. v. 26. XV. Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quaſi nihil perit confeſſio; confiteberis vivens, vivus & ſanus confiteberis, & laudabis DEUM, & glorificaberis in miſerationibus illius.

Utilitas.

XVI. Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. *Pſ. 31. v. 5.*

XVII. Pro anima tua non confundaris dicere verum; eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam. *Eccl. 4. v. 24.*

XVIII. Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. *Matth. 16. v. 19.*

XIX. Si confiteamur peccata noſtra, DEUS fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. *1. Joann. 1. v. 9.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. PLerumque gravioris certaminis eſt, commiſſa peccata prodere, quàm non admiſſa vitare. *S. Greg. l. 22 mor.*

II. Mirentur in bono Job, qui volunt caſtitatis continentiam: mirentur integritatem Juſtitiæ: mirentur viſcera pietatis; ego in eo non minùs admiror confeſſionem humilitatem peccatorum, quàm tot ſublimia virtutum. *Idem l. 12 moral.*

Neceſſitas.

III. Qui promereri vult, quod expetit, debet malum confiteri, quòd fecit; valde enim facile eſt, ut peccatorem ſe quiſque fateatur, cùm nihil pro peccato ſuo patiatur. *Idem l. 8 mor.*

IV. Abſque confeſſione juſtus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. Confeſſio igitur peccatoris eſt vita, juſti gloria: Et neceſſaria eſt peccatori, & juſtum nihilominus decet. *S. Bern. ep. 113.*

V. Quis peccatorem mortuum in peccatis ſuſcitabit, niſi qui remoto lapide clamavit dicens: Lazare, prodi foras? quid eſt autem foras prodire, niſi, quod occultum erat, foras prodere? qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non poſſet, niſi qui viveret. Vivere non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet. Ergo in Confeſſione ſui accuſatio, laudatio DEI. Dicit ergo aliquis: quid prodeſt Eccleſia, ſi jam Confeſſor voce Dominica reſuſcitatus prodit? quid prodeſt Eccleſia confitenti, cui Dominus ait: quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cælo? ipſum Lazarum attende. Cum vinculis prodit, jam vivebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Eccleſia, cui dictum eſt: quæ ſolveritis, ſoluta erunt: niſi quòd ait Dominus continuò ad Diſcipulos; ſolvite illum, & ſinite abire. *S. Aug. ſ. 8. de verbis Dom.*

VI. Si quem ſerpens Diabolus occultè momordent, & nullo conſcio eum peccati veneno ... *S. Hier. in c. 10 Eccleſ.*

infecerit: ſi tacuerit, qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum Fratri & Magiſtro voluerit confiteri: Magiſter, qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus Medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.

Æquitas.

Pacianus in epiſt. 1. VII. Pigeat ſanè peccare, ſed non pigeat pœnitere: pudeat periclitari, ſed non pudeat liberari: quis naufrago tabulam, ne evadat, eripiet? quis ſanandis vulneribus invidebit?

Utilitas.

S. Aug. in lib. de pœn. VIII. Confeſſio eſt ſalus Animarum, diſſipatrix vitiorum, oppugnatrix Dæmonum. Quid plura? obſtruit os inferni, portas aperit Paradiſi.

S. Ambr. ſup. Beati immac. IX. Qui ſe accuſat, etiamſi peccator ſit, juſtus eſſe incipit, quia nec ſibi parcit, & DEI juſtitias confitetur. Ceſſat enim vindicta Divina, ſi confeſſio præcurrat humana.

Caſſiod. ſup. pſalm. X. O ingenioſa ſimplicitas, & mille tergiverſationibus cautior puritas, manifeſtare delictum! illis non Judex, ſed Advocatus eſt Chriſtus, qui ſe propria confeſſione damnârunt.

Idem. XI. Mira compenſatio, ſtupenda viciſſitudo, Domino ſuo propria mala dicere, & ab eodem præmia ſalutis accipere. Quis non incitetur illi ad præmium confiteri, cui non poſſis negare, quod feceris.

S. Hier. in c. 3. Iſaiæ. XII. Pœnitentia, quaſi ſecunda poſt naufragium tabula ſit miſeris.

Iſid. l. 2. ſ. 12. XIII. Confeſſio ſanat, confeſſio juſtificat, confeſſio peccatis veniam donat. Omnis ſpes in confeſſione conſiſtit. In confeſſione locus miſericordiæ eſt. Nulla tam gravis eſt culpa, quæ per confeſſionem non habet veniam.

S. Aug. ſup. pſalm. XIV. Non operui, ſed aperui, ut operires: non celavi, ut tegeres; nam quando homo detegit, DEUS tegit. Cùm homo celat, DEUS nudat. Cùm homo agnoſcit, DEUS ignoſcit.

Facilitas.

S. Chryſ. ho. 10 in c. 4. Gen. XV. Num opes aliquæ ſunt hîc expendendæ? num via prolixa eunda eſt? num dolorem & cruciatus affert hæc Medicina? abſque ſumptu & cruciatu eſt præſens pharmacum, in priſtinæ firmitatis valetudinem reſtituens.

Jucunditas.

S. Laur. Juſt. de diſc. mon. c. 19. XVI. Confeſſionis Sacramentum velut ſinus pacatiſſimus eſt, in quo hominum conſcientiæ religantur, ne à procellis abſorbeantur.

Tertull. de pœn. c. 8. XVII. Tantùm relevat confeſſio delictum, quantùm diſſimulatio aggravat.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

L. 4. c. 6. I. SCito, quòd antiquus hoſtis omnino nititur impedire deſiderium tuum in bono, & ab omni devoto exercitio evacuare. Diſplicet illi humilis confeſſio, & ſi poſſet, à communione ceſſare faceret.

II. Diligenter examina conſcientiam tuam, & pro poſſe tuo vera contritione, & humili confeſſione eam munda & clarifica, ita ut nihil grave habeas aut ſcias, quod te remordeat, & liberum acceſſum impediat. *L. 4. c. 7.*

III. Propter aliquam parvam tribulationem vel gravitatem, Sacram ne dimittas communionem, ſed citiùs vade confiteri, & omnes offenſiones aliis libenter indulge. *L. 4. c. 10.*

IV. Quid prodeſt diu tardare confeſſionem, aut Sacram differre communionem? Expurga te cumprimis, expue velociter venenum, feſtina accipere remedium, & ſenties meliùs, quàm ſi diu diſtuleris. *Ibid.*

§. V.

EXEMPLA.

Qualitas.

I. FIlii Iſraël afflicti per ignitas ſerpentes confitentes peccatum ſuum venerunt ad Moyſen atque dixerunt: peccavimus. *Num. 21.*

II. Chriſtus leproſo à ſe ſanato dixit: vade, oſtende te Sacerdoti. *Matth. 8. v. 4.*

III. Prædicante S. Paulo. Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos. *Act. 19.*

IV. Dæmon quidam ex obſeſſo exire juſſus, dixit, tres eſſe in obſeſſo Dæmones, quorum primus vocaretur claudens cor, ne poſſit peccator contritionem elicere. Secundus claudens os, ne confeſſionem faciat. Tertius claudens burſam, impediendo reſtitutionem, & hunc plurimùm efficere. *Spec. ex. diſt. 9. ex. 18.*

V. Quidam Vir Sanctus multos mortales ad Confeſſionis Sacramentum confluentes cùm vidiſſet, inter illos etiam Dæmonem conſpicatus, quæſivit, cur tam ſollicitè inter eos circumcurſitaret? cui reſpondit Dæmon, ſe hominibus, quod abſtuliſſet, pudorem nempe, reſtituere. *Caſſian. coll. 2. c. 11.*

Neceſsitas.

VI. Quidam Princeps cùm fruſtra ab uxore ad confeſſionem ſollicitatus, ſemper reſpondiſſet, non credere ſe, quòd alia vita aut pœna poſt hanc vitam ſupereſſet, denique noctu à Dæmonibus abreptus, & in infernum deportatus eſt. Uxor verò cùm DEUM rogaſſet, ut ſtatum viri ſui manifeſtare dignaretur, manè corpus ejuſdem quaſi titionem denigratum reperit, ac in manu chartam, in qua ſcriptum erat: Jam certifactus ſum, quia infernus eſt, & timor, quem habui ad agendam pœnitentiam, me illuc deportavit. *Spec. Ex. v. confeſ. ex. 21.*

VII. Mulier quædam cùm graviſſima peccata adulterii & fornicationis commiſiſſet, erubeſcens illa confiteri, largas eleemoſynas pauperibus diſtribuit, ſperans ſe illarum merito ſalvatum iri; ſed fruſtra, nam paulò poſt mortua Filio Monacho apparuit terribili aſpe-

ctu, & à duobus Draconibus, qui illi in pœnam duorum Filiorum occiſorum aſsignati fuerant, crudeliter dilacerata, dixitque, ſe ob verecundiam ſuam, quâ peccatum ſuppreſsit, æternùm damnatam eſſe.

VIII. Alia quædam Mulier cùm ſemper in corde retinuiſſet peccatum, quod præ verecundia confiteri non audebat, quotidie tamen *Ibid. ex. 30.* templum adiviſſet, DEUMque pro remiſſione illius peccati oráſſet, conſpecta eſt à Dæmone ſuper caput ejus triumphante mirum in modum irrideri, qui cùm cauſam riſus interrogaretur, reſpondit: cur non meritò riderem, videns, iſtam Mulierem ſine confeſſione ſalvari velle, ſicque ejulantem ad inferos deſcendere.

Ibid. ex. 22. IX. Cùm duo Patres Prædicatores per caſtrum quoddam tranſeuntes confeſſionem cujuſdam Mulieris audiviſſent, illius ex ore, quoties peccatum aliquod confeſſa eſt, bufonem per os exire Socius vidit, ſed tamen ſingulos poſtea cum longè majori bufone redire, quia ſcilicet peccatum, quod undecim annis nunquam confeſſa erat iterum ſuppreſſerat. Qua de cauſa paulò pòſt ſuffocata, petentibus à DEO Prædicatoribus, ut ſtatum hujus mulieris aperire dignaretur, terribili Draconi inſidens, & lacertas in capite, canes in manibus, bufones in oculis, ſagittas igneas in auribus, & ignem ſulphureum in ore crudeliſſimo cum cruciatu patiens, poſtquam omnium horum tormentorum cauſas, varietatem ſcilicet peccatorum explicâſſet, ex eorum oculis evanuit.

Ibid. ex. 5. X. Confeſſionem imperfectam faciens Femina ad vitam redire permittitur, ut perfectè confiteatur, quia quotidie B. Virgini occultum ſuum, & nulli Sacerdoti manifeſtatum peccatum aperuit.

XI. In Indicæ Orientalis urbe Itata circa *In literis annuis Soc. JESU anno 1590.* Annum 1590. Puella quædam Catharina nomine, clandeſtinis libidinibus aſſueta, de illis nullum verbum in confeſſione dixit. Igitur cùm in periculoſum morbum incidiſſet, & à Societatis JESU Sacerdote viſitata, deque accurata confeſſione inſtituenda commonita fuiſſet, novies quidem illam, ſed ſemper ſacrilegè peregit, id agente (ut uni Ancillarum ipſa retulit) Diabolo, ut libidines ſuas, tanquam nullius momenti res occultaret, de vulgaribus ſe accuſaret, licet eodem tempore S. Maria Magdalena ex dextro latere contrarium ſuaderet. Qua de re monitus Pater, cùm ad moribundam rediſſet, & graviter admonuiſſet, nihil tamen ageret, extincta eſt Puella, quæ paulò poſt uni ex domo, horribili aſpectu, & flammis undique circumdantibus, conſpecta, narravit, ſe ob celata peccata æternis aliis addictam ſuppliciis, & juſſu DEI miſſam, ut ejus exemplo ſaperent alii. Quod idem confirmavit DEI Angelus, juſſitque ad aliorum exemplum evulgari. De cujus vita interrogati Parentes, hoc unum edixerunt, vivacioris eam fuiſſe ingenii, cum Pueris libenter ac frequenter egiſſe, nec unquam confeſſionis Sacramento expiatam fuiſſe.

Utilitas.

XII. David reprehenſus à Nathan Propheta ſuper peccatum Adulterii & homicidii dixit: peccavi; & audire meruit, Dominus tranſtulit peccatum tuum. *2. Reg. 12.*

XIII. Nehemias dixit: Confiteor pro peccatis Filiorum Iſraël, quibus peccaverunt tibi, & ego, & domus Patris mei peccavimus. Vanitate ſeducti ſumus. Et exaudivit Dominus orationem ejus. *Nehem. c. 1.*

XIV. Miles quidam, cùm noctu à latere Uxoris recedens, cum alia adulterium commiſiſſet, tam fœdo aſpectu rediit, ut & uxor & ancillæ monſtrum ratæ, aufugerent. Quare ad ſe rediens ſummo mane confiteri ſtatuit, ſed & tunc beſtiæ ac Paſtores earum occurrentes, ob fœdum aſpectum fugerunt, donec ipſe ad fores Eccleſiæ, quas Parochus horas tum fortè recitans, & eo conſpecto fugiens, poſt ſe clauſerat, ſe proſternens, dixit: Miſerere, Pater Sancte, Miſerere miſerrimi Peccatoris; non enim ſum ille, qui videor, ſed hoc mihi peccatis meis exigentibus accidit, ut in me quaſi larvalis facies videatur, ſed pœnitenti injunge, quod vis, & hîc de me, quod voluerit DEUS, exſpectabo. Nec mora, ubi audiit Sacerdos confeſsionem, magna cum contritione, multíſque lacrymis peractam, larvalis illa confuſio deterſa eſt, & propriam faciem cum integritate recepit. *Spec. Ex verb. Adult. ex 5.*

XV. Magiſter Thomas Theologus cum in lecto decumbens jamjam moriturus eſſet, vidit Diabolum in angulo ſtantem, quem proinde verbis à S. Martino olim uſurpatis (quid adſtas cruenta beſtia? dic mihi, quid eſt, quod maximè vobis noceat?) alloquens, cùm nihil ab initio reſponderet, per DEUM, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, reſpondere coëgit, & ſic loquentem audivit: Nihil eſt in Eccleſia, quòd tantùm nobis noceat, quod ſic vires noſtras enervet, quàm frequens confeſsio, quia per hanc vincula peccatorum mortalium, quibus nos illum conſtrictum tenemus, rumpuntur. *Ibid. v. confeſſ. ex. 15.*

XVI. Cùm Novitius quidam ex Ordine S. Dominici, factâ confeſsione, poſt matutinum ante altare paululùm obdormiviſſet, vocem ſibi dicentem audivit: Vade, & iterum rade caput tuum. Qui evigilans interpretatus eſt, repetitionem confeſsionis ſibi imperari, S. Dominicum adiit, meliúſque circumſtantias omnes explicavit. Quo facto cùm ad quietem ſe recepiſſet, Angelum de cælo deſcendentem, qui auream coronam in capite illius poſuit, conſpexit, miréque ob hoc gaviſus eſt. *Ibid. v. circumſtantia.*

XVII. Cùm aliquando Sacerdos quidam tempore Quadrageſimali confeſsiones audiret, inter alios Juvenis quidam robuſtus noviſsimus ad tribunal acceſſit, & enormia criminâ confeſſus eſt. Quæſitus ergo à Sacerdote obſtupeſcente gravitatem delictorum, quis eſſet? reſpondit Dæmonem ſe eſſe, & quoniam vidiſſet, alios homines, licet ſordibus pleni confeſsionis ſedem intrâſſent, nive tamẽ candidiores *Ibid. ex. 13.*

exire,

exire, concepiſſe deſiderium pariter confitendi, ſi fortè ſpes eſſet, ſimilem effectum conſequendi, cui Sacerdos, polliceor tibi hoc; inquit, ſi pœnitentiam à me impoſitam ſuſcipere volueris, & ter in die dicere: Domine DEUS, Creator meus, ignoſce mihi, quia peccavi tibi. Sed ille hoc ſibi non eſſe poſſibile dicens, ex oculis evanuit.

Ibid. ex 20.

XVIII. Mulier quædam ob iracundiæ ſuæ intemperiem omnibus intolerabilis, cùm ad S. Malachiam adducta, ejúſque ſuaſu confeſſa fuiſſet, adeò manſueta effecta eſt, ut omnes manifeſtam eſſe hanc DEI virtutem dixerint, eámque propterea vehementer laudârint.

Cæſarius apud Daurolt. c. 5. tit. 38. ex 12.

XIX. Cùm quidam Adoleſcens Pariſijs peccata ſua exprimere erubeſceret, ideóque legenda daret, affluentibus tamen interea rivulis lacrymarum, Confeſſarius priùs ea legens, & poſtea, ad Superiorem conſilij petendi gratiâ accedens, dum ea iterum legere parat, omnia deleta invenit.

Surius in vita S. Birg. 23. Jul.

Lud. Bloſ. in monil. c. 5.

XX. Birgerus S. Birgittæ Pater ſingulis Ferijs ſextis ſolebat peccata ſua confiteri; dicens: Ita me parabo erga DEUM, ut, quidquid cæteris diebus ille mihi præſtiterit, æquo animo ferre queam. Unde idem etiam poſtea S. Birgitta, & Maritus illius Ulpho fecit, cujus animam cum ipſa in Purgatorio vidiſſet, & quæſiſſet, quid maximè illi profuiſſet ad ſalutem? reſpondit ille: Confeſſio mea, ſingulis Ferijs ſextis peracta.

Dom. Soto. 4. dist. 18. q. 1. a. 1.

XXI. Norinbergenſes quondam à Carolo V. Imperatore poſtulârunt, ut confeſſionem auricularem Imperatoria poteſtate introduceret iterum; nam experientiâ ſe comperiſſe, ab eo tempore, quo ea abolita eſt, Rempublicam ſuam vitijs contra Juſtitiam aliáſque virtutes abundâſſe.

Faber conc. 3. in dom. 4. quadr.

XXII. S. Aſtion Martyr per confeſſionem liberatus fuit à turpi cogitatione, & Diabolus ab eo in ſpecie nigri Pueri cum igneâ face diſcedens dixit: Confeſſio tua, O Aſtion, magnas meas vires contrivit, & inermem me reddidit.

Jucunditas.

Jo. Grombec l. 2. de perf. c. 2.

XXIII. Quidam vir locuples cùm Antuerpiæ audiviſſet, neminem teneri ea peccata confiteri, quæ factâ debitâ diſcuſſione memoriæ non occurrerent, omnia media adhibuit, ut grave aliquod peccatum, quod manifeſtare, ipsâ morte & damnatione gravius illi acciderat, obliviſceretur. Sed cùm fruſtra omnia tentâſſet, & tandem in Patrem Societatis JESU incidens, ab eodem piô ſtrategemate ad confeſſionem adductus eſſet, in has demum voces erupit: Quantum bonum eſt, mi Pater, peccatorum confeſſio? quàm ſecurum me lætúmque reddidit? quàm multa triſtia ſum paſſus, confeſſionem fugiens, quæ facilè evadere potuiſſem, ſi conſcientiæ parere voluiſſem?

Confeſſio Audita.

Spec. Ex. V. confeſſ. ex 16.

XXIV. Quidam Frater, bonus Prædicator, habens multos Filios & Filias confeſſionis, hanc virtutem habuit, quòd pauperculárum & devotarum Perſonarum confeſſiones libenter audiebat. Quo jacente in extremis, quædam devota mulier vidit in exceſſu mentis, quòd idem Frater erat Filius perditionis, uſque dum Spiritum exhalare debuit, & tunc Dominus miſertus ſalvavit ipſum. Nam ejus anima egreſſa deſcendit in graviſſimas incendij pœnas, ſed ipſa die mortis ſuæ vidit lacrymas & orationes devotarum Filiarum ſuarum magnam partem incendij ejus extinguere. Horâ autem liberationis ejuſdem Fratris de Purgatorio, venit vox ad eandem Sororem dicens: Propera ante altare S. Catharinæ, quia ibi hodie dedicatio erit (in iſto enim altari idem Frater ſolitus erat celebrare,) quæ juſſa complens vidit fratrem illum duci è purgatorio, & venire ſuper idem altare; & protinus multi Filij & Filiæ ejus, qui antè obierant, & ad Patriam diſceſſerant, deſcenderunt de cœlo, cúmque ſecum in cæleſtem Jeroſolymam adduxerunt.

March. tr. 5. in hort. Paſt. lect. 6.

XXV. Franciſcus Brixienſis in conventu S. Bartholomæi propè Fulginium, ſi alicujus Pœnitentis, quem exiguum dolorem de peccatis oſtendere adverterat, confeſſionem exciperet, adeò obruebatur lachrymis, ut ipſum ad perfectam compunctionem adigeret. Cúmque à quodam Familiari Fratre ſemel importunius interrogaretur, cur ita aliorum peccata deploraret? reſpondit, eſſe cujuſque Fidelis, commiſſa in DEUM peccata deflere, & cuique à Domino (maximè verò Minoritæ, qui peccata Populi comedit,) de proximo ſuo mandatum eſſe.

Ibid. ex ſpec. Ex. V. Deſperatio.

XXVI. Cùm quidam Sacerdos ad Pœnitentem infirmitate lethali oppreſſum vocatus, eundem ob gravitatem ſcelerum deſperantem reperiſſet, eundem ſic allocutus eſt: Ego ſpoliabo me omnibus bonis, & meritis totius vitæ meæ, & illa in te transferre volo: tu verò ſpolia te omnibus peccatis tuis; & in me transferas, ego pro illis DEO reſpondebo, & pœnitentiam agam; ſicque noli deſperare. Cúmque illi placuiſſet permutatio, ulteriùs dixit: Ecce nunc teneris mihi aperire, quæ malè feceris, ut ſciam, de quibus tenear pœnitentiam agere. Tunc ille liberè ordinem vitæ ſuæ cum omnibus flagitijs, quæ mihi in ſe ſunt, aperuit. Cui Sacerdos: Numquid & de his tu mecum doles? & ſi abſolvere ab illis te poſſim, idipſum optas? cúmque ille omnino ſe id optare affirmaret, abſolutionem ei impendit, cum qua paulò pòſt mortuus eſt. Poſt menſem autem apparuit huic Confeſſario, & dixit, in via ſalutis ſe eſſe, quærentique, quomodo res circa merita, quibus ſe ſpoliaverat, haberet, reſpondit: DEUS tibi duplicata reſervat ob eximiam caritatem, quâ meam deſperationem viciſti.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA

Confeſſio audita.

En Ind. monaſt.

I. S. Ignatius anno 1553. 22. Julij pro totâ Societate ſtatuit, ut Sacerdotes, qui audiunt Confeſſiones, præcipuè Feminarum ac Juvenum, ſemper ad unum ſe convertant latus, nunquam gerendo vultum adverſus faciem Pœnitentis, quin potiùs aures illi abvertendo, &, ubi craticula non eſt intermedia, ponendo manum inter ſuam & pœnitentis faciem, nec eum reſpiciendo niſi in fine, vel ab initio, ſi volet. Hujus rei Sacriſtanum conſtituit Syndicum, ut is etiam inadvertenter tranſgredienti pœnitentiam imponat, unius diei abſtinentiam à carne & vino.

Vita l. 4. c. 29.

II. S. Franciſcus Xaverius ſequentia monita Confeſſarijs dabat. 1. Ut in confeſſionibus audiendis, animorum ſanandorum cupiditate accenſi, comiter benignéque confitentes exciperent, quò Spiritualium Medicorum lenitas eos pelliciat ad omnia Conſcientiæ vulnera haud cunctanter aperienda. Proinde ne initio ſaltem confeſſionis, gravitatem, ſeveritatémque præſeferrent, ſed facilitatem potiùs ac lenitatem. 2. Ut pecunia neque reſtitutionis, neque eleemoſinæ nomine pauperibus dividenda acciperetur, ſed vel arbitrio erogantium, certis piis operibus nominatim, vel generatim Sodalitati Miſericordiæ, vel alteri attribuendam curet. Quòd ſi qui ad confeſſionem accederent, non tam peccatis, animorúmque ſuorum incommodis, quàm paupertati ac difficultatibus rei familiaris remedium petituri, hos de uſu Sacræ confeſſionis admonitos ad curam traduci volebat animorum, demonſtrando, quantò graviora animorum ſint incommoda, quàm corporum. 3. Ut confitentibus non feſtinatam, ſed diligentem navent operam, ac præoptent confeſſiones paucas ritè factas audire, quàm multas temerè properatas. 4. Ut ſumpto ſpatio in auditas à ſe confeſſiones inquirant, videántque, ecquid in delictis aliorum expiandis ipſi deliquiſſent, & quæcunque in alienis expiâſſent confeſſionibus, expiarent ſuis, eáque delicta in poſterum ſumma vi corrigere niterentur; hoc quippe ſtudium ad rectè atque utiliter obeundum munus Confeſſarij maximo adjumento futurum.

Vita l. 1. c. 14.

III. P. Petrus Faber confeſſiones audiens, cogitabat ſe Scoparum inſtar eſſe, quæ cùm cætera verrendo purgârint, ipſæ ſordidæ relinquuntur. Ad hanc ergo operam Famuli iſtar ſuum ſtudium Chriſto obtulit, precatúsque eſt hominibus Societatis, ut ſcopæ illius fieri & appellari poſſent; habere enim DEUM in domo ſua, multa nobilia inſtrumenta, ſibi autem & alijs Socijs abunde fore, ſi ſcoparum loco eſſe concederetur, cuius rei gratia aliquando Sacrificium obtulit, ut ipſe & Socij dici poſſent ſplendidæ Chriſti & glorioſæ ſcopæ.

Annal. Sicul. coll. Meſſ. 1604.

IV. P. Vincentius Caſſagnola cùm in confeſſionali quotidie per multas horas ſederet, ſæpe autem nemo in templo eſſet rogatus cauſam, cur nihilominus tam conſtanter ſederet? egregium hoc reſponſum dedit, Mercatores & opifices ſæpiſſimè cùm nihil vendunt, ſpe tamen lucri in ſuis tabernis otioſos conſidere.

Annal. Tolet. Coll. Madr. 1615.

V. P. Joannes de Cetina quatuor votorum profeſſus annos quadraginta quatuor, quamdiu ſcilicet in Societate vixit, audiendis dabat confeſſionibus. Sedebat verò in ſacro tribunali horas omnino ſex manè, à prandio paululùm pauciores.

Annua Arrag. Coll. Balear. 1602.

VI. P. Bernardinus Crepſin etiam non vocatus deſcendebat ad confeſſionale, itàque ſuos perficiebat, ut, qui ei confiteretur, vulgò apud omnes Sanctus haberetur.

Annua Tolet. 1596.

VII. P. Sebaſtianus Molineus parùm doctus, ſed valdè Sanctus ad corrigendos Pœnitentes, ſuos ſæpe diſciplinam per ſeptem Pſalmos Pœnitentiales fecit. Semel ad lucrandam Monialem DEO & Regulis reſiſtentem, mille ictus ſibi inflixit, & eam lucratus eſt.

Prov. Mediol. 1601.

VIII. P. Guido Bellinus nonaginta quatuor annorum Senex, ad ultimum uſque Spiritum confeſsionibus audiendis operam dedit.

Ibid. 1584. Coll. Taurin.

IX. Quidam in Collegio Taurinenſi dum in confeſsionibus audiendis tenuiſsimo cuique dat operam, tantâ Divinæ dulcedinis ubertate completus eſt, ut nunquam meminerit, ſe majorem expertum fuiſſe.

Hiſt. Soc. p. 1. l. 8. n. 32.

X. P. Silveſter Landinus ab horis antelucanis uſque ad ſecundam noctis horam nullo tædio, nullâ fatigatione confitentes audiebat.

Hiſt. Soc. p. 1. l. 12. n. 66.

XI. P. Conſalvus Mederius poſt Sacrum manè factum toto matutino tempore pedem è confeſsionali non efferebat, niſi obedientia vel caritas avocaret. Severiſsimè autem ab hoc judicio ſacro alienas ſermocinationes arcebat.

Lancic. opuſc. 10. c. 6. n. 56.

XII. P. Valerianus Rendux ad cæcitatem redactus, quoad vixit, ſtudioſorum externorum Confeſſarius fuit. Primus ſine ductore accedere ſolitus ad confeſsionale, quamvis per varios anfractus incedendum foret, & in remotiſsima templi parte ſitum.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Chryſ. ho. 20. in epiſt. ad Rom.

I. Sicut in ædibus facimus, inveteratas perpetuò reſtituentes, ita & in teipſo facias. Peccâſti hodie? inveterâſti mentem tuam: ne deſperes, ne recidas, ſed renova ipſam reſipiſcentiâ, lacrymis, confeſsione bonorúmque operum ſtudio.

II. Sicut

II. Sicut homines vitia corporis nequaquam temerè aperiunt, ſed ijs tantummodo, qui rationem ea curandi tenent; ſic confeſſio peccatorum fieri debet apud eos, qui curare poſſunt.

Æquitas.

III. Sicut in triſtibus & adverſis rebus humanis expletur lacrymis, egeritúrque dolor, &c, quod in amici ſinum effundimus, eò proponendum liberari videmur; ſimiliter facit confeſſio. Unde Cyprianus ait: Exhomologeſin faciunt conſcientiæ, animi ſui pondus exponunt. Et uberiùs S. Auguſtinus: Non confitentis conſcientia ſaniem collegerat; apoſtema tumebat. Cruciabat te, requieſcere non ſinebat. Adhibet Medicus fomenta verborum: tu agnoſce Medici manum. Confitere. Exeat in confeſſione, & defluat ſanies.

S. Cyprian. ſer. de lapſ.

IV. Sicut Rex, cui multi Cives multa deberent, omnibus afferret remiſſionem debitorum, qui ad eum accederent, chirographum remiſſionis petituri, quamdiu in illa civitate ageret, poſt diſceſſum verò nulli ampliùs debitum condonare vellet, nemo eſſet, qui non ſtatim ad impetrandum gratis chirographum accurreret, & toties quidem, quoties debitum contraxiſſet, ita multò magis ad confeſſionem properandum, ubi talia chirographa ſpiritualiter dantur.

Anonym.

V. Sicut Induſia, Mappæ, & ſimilia ab iis, qui paulò honeſtioris conditionis ſunt, ſingulis ferè hebdomadis mutantur, ſed & domus eorum frequenter purgatur; ita multò magis hæc cura animæ per confeſſionem exhibenda eſt, ne eandem corpore viliorem æſtimare putemur.

Anonym.

VI. Sicut Barbitonſor jubet tondendum ſibimet pectere capillos, ne, ſi ipſe id faciat, capillos ei evellat; ita nunc homo per confeſſionem ſeipſum pectere & punire debet, ne ipſe DEUS id facere olim cogatur.

Neceſſitas.

VII. Sicut poſt morbum remanent ejus reliquiæ, & pravæ in membris diſpoſitiones, quæ niſi contrarijs evacuentur medicamentis, ægritudinem facilè revocant; ita in peccatore remanent habitus multis actibus generati, qui, niſi per confeſſionem & ſimilia media curentur, facilè ad antiqua peccata retrahent.

VIII. Sicut is, qui pedes lavit, niſi ſedulò eos extergat, ſtatim iterum inquinat, quia aqua pedi adhærens, pulveri commixta, illico lutum efficit; ita confeſſio parùm proderit, ſi ipſa etiam peccati radix, occaſio, & inclinatio non tollatur.

IX. Sicut templum Salomonis prima vice ſpatio ſeptem annorum extructum eſt; poſtquam verò ab Hoſtibus deſtructum eſt, non niſi quadraginta ſex annis reparatum fuit; ita in Baptiſmo renati, ſine labore per gratiam DEI, civitas & domus ejus efficimur; ſi autem ſuadente Diabolo ad peccata relabimur, & virtutum mœnia victor hoſtis vitiorum igne deijcit; neceſſe eſt graviori ſtudio afflictionis, & vigiliarum, & arctioris vitæ, bonorum operum ædificia reparare; nam expertis vitiorum illecebris difficiliùs caremus, quàm incognitis; minoriſque laboris eſt, incognitam cavere carnis voluptatem, quàm reijcere cognitam.

X. Sicut coma, quæ non frequenter pectitur, uſque adeò implicatur, ut vix aut certè non ſine ingenti labore & dolore extricari poſſit; ita & conſcientia, quæ non frequenter per confeſſionem pectitur, intricata valde efficitur, nec ſine magno labore purgari & ordinari poteſt.

XI. Sicut navis ſentina quotidie exhauritur, ne navem ſubmergat, ſi nimium excreſcat; ita & animæ ſentina ſæpius per confeſſionem exhaurienda eſt; ne demum ſuâ multitudine peccata licet levia navem demergant, id eſt, damnationi obnoxios efficiant.

Utilitas.

XII. Sicut Araneis vitat cubicula divitum, quæ ſæpe purgari conſueverunt; eò quòd in illis ſuæ telæ mox detergantur; ita & Diabolus, dum videt ſuas tentationes frequenti confeſſione diſſipari, fugit eos homines, qui frequenter confitentur.

XIII. Sicut canum lingua, dum vulnus lingit, curat, ita Doctores Sancti, dum in confeſſione nos inſtruunt, quaſi vulnus mentis per linguam noſtram curant.

XIV. Sicut ſi quis liquefacto auro manum vel linguam injiciat, quamprimum deauratur; ita anima immerſa ſanguine Chriſti, aurea redditur.

S. Chryſ. ho. 45. in Ioan.

XV. Sicut ſtamina, quò ſæpius tinguntur, eò candidiora fiunt, ſemel autem duntaxat tincta, parùm candoris imbibunt; ita conſcientia fit tantò purior, quantò crebriùs per confeſſionem lavatur.

XVI. Sicut ſcarificatio menſtrua vel hebdomadaria plurimùm conducit ad ſervandam ſanitatem corporis; ita non minùs confeſſio menſtrua vel hebdomodaria ad animæ ſalutem conducit.

XVII. Sicut Adultera ſi tota pudore ſuffuſa proſternat ſe ante maritum, & reatum agnoſcat, in gratiam recipitur; ita anima peccatrix, quæ Chriſtum Sponſum deſeruit, & Satanæ ſe proſtituit, meritò cum rubore accedit, ſi gratiam iterum vult inire.

XVIII. Sicut Sampſon per virtutem Spiritûs in eum irruentis, omnia vincula, quibus ligabatur, diſrupit; ita licet peccator ſeptem peccatorum capitalium vinculis ligatus ſit, virtute tamen abſolutionis, quæ à Spiritu Sancto eſt, facilè illa diſſolvit.

Jejun-

Jucunditas.

Anonym. XIX. Sicut is, qui gravi onere, quod humeris ſuſtinebat, deoneratus eſt, expeditus & lætus incedit; ita & ij, qui per crebram confeſſionem ab onere peccatorum liberati ſunt, expediti & alacres viam mandatorum decurrunt.

Anon. XX. Sicut ij, qui ad convivium pingue ac delicatum invitati ſunt, magna cum voluptate deſiderióque ad illud accedunt; ita non minori alacritate ad Confeſſionis Sacramentum accedendum eſt, cùm in eo juge convivium ſecuræ mentis ac conſcientiæ offeratur.

XXI. Sicut aviculæ in laqueos Aucupis lapſi, ſi laquei caſu rumpantur, magnâ cum lætitia avolat; ita non minùs lætari debet poſt confeſſionem Peccator, canetque cum Davide: *Pſ. 123. v. 7.* Anima mea ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.

§. VIII.

M O T I V A.

Pſ. 50. v. 19. I. HOnor DEI: quia ſacrificium DEO gratiſſimum, Spiritus contribulatus, & cor contritum. Unde meritò Confeſſarius erga Pœnitentem utitur illis Joſue verbis: *Joſ. 7. v. 19.* Da gloriam Domino DEO Iſraël, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas.

S. Aug. in Pſ. II. *Laus Christi*; nam ut S. Auguſtinus rectè advertit, tantò plus laudatur Medicus, quantò plus deſperatur ægrotus. Confitere igitur peccata tua, quò magis deſperabas de te propter iniquitates tuas. Tantò enim major laus eſt ignoſcentis, quantò major exaggeratio eſt peccata confitentis.

Luc. 15. v. 7. III. *Gaudium Sanctorum*: cum ipſo teſte Chriſto, majus gaudium ſit Angelorum (atque ob paritatem rationis, etiam aliorum Sanctorum) ſuper uno Peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis.

Luc. 13. v. 3. IV. *Salus propria cujusque*: nam hîc etiam verè locum habet illud Chriſti: ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimul peribitis, & illud S. Auguſtini: *S. Aug. in Pſalm.* ſi non confeſſus lateas, inconfeſſus damnaberis.

V. *Amicitia DEI*: ſi enim hominem Amicum, diu nobis offenſum ſuſtinere non poſſumus; quantò magis amicitiæ cum DEO redintegratio diu differenda non erit?

VI. *Gratiæ augmentum & recuperatio*: ſi enim, ubi ſingulis Pœnitentibus ritè confitentibus reſtitutio bonorum ademptorum, & præterea centum aurei nummi promiſſi fuiſſent, quoties quis confeſſus eſſet, nemo non frequentiſſimè illam perageret; quantò magis eandem frequentabit, qui tantum gratiæ augmentum ſibi promiſſum credit?

VII. *Robur animæ*: quod eidem oritur tum propter confirmatum erga peccata (quæ per contritionem deteſtatur) odium, ac illa devitandi propoſitum (de quo teſte pius Aſcetadixit: Secundùm propoſitum noſtrum curſus profectûs noſtri) tum propter crebram de hoſte victoriam, quæ per confeſſionem obtinetur, & ipſum quidem Pœnitentem audacem, hoſtem verò timidum & viribus ſuis diffidentem efficit. *Th. Kemp. lib. 1. c. 19.*

VIII. *Gaudium Spirituale*: quod enim majus gaudium eſſe poteſt, quàm liberari à tam gravibus animæ morbis, tam grande debitum remitti, à morte æterna abſolvi, graviſſimum onus à pectore auferri, cum DEO ſummè dilecto in amicitiam redire?

§. IX.

M E D I A.

I. COnſideratio *Bonitatis & Miſericordiæ Divinæ*: quam quidem S. Chryſoſtomus ſequentibus verbis eximiè demonſtrat: *S. Chryſ. ho. 7. ad pop.* Judices, cùm Latrones ceperint, & ſacrilegos, non, quomodo ipſos reddant meliores, conſiderant, ſed, quomodo ab ipſis peccatorum pœnas exigant. DEUS autem contrà cùm aliquem ceperit Peccatorem, non conſiderat, quomodo ſumat ſupplicium, ſed quomodo ipſum corrigat, & meliorem faciat, & in futurum inexpugnabilem. Itaque & Judex pariter, & Medicus, ac Magiſter eſt. Et iterum alibi: *Hom. 5. de Pœn.* In mundanis quidem ac forenſibus judicijs poſt accuſationem & criminum confeſſionem reſtat mors; at apud Divinum tribunal poſt utrumque corona. Si tu te inutilem dixeris, ego te ut utilem coronabo. Hinc meritò Pſalmiſta ait: Confitemini Domino, *Pſ. 117. v. 1.* quoniam bonus; quoniam in æternum miſericordia ejus.

II. Conſideratio *Sapientiæ & Caritatis*, quâ Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit; ſi enim media dubia quantumcunque amara, à medicis corporalibus pro ſanitate corporis conſervandâ vel recuperandâ tam avidè arripimus; quantò ardentius hoc pharmacum à Chriſto ſapientiſſimo & peritiſſimo Medico pro ſalute animæ certò obtinendâ arripere debebimus?

III. Conſideratio *Solatij*, quod ex confeſſione factâ percipitur, tum ob reconciliationem cum DEO, velut ſupremo Domino, Judice, Patre, Amico; tum ob debiti tam grandis remiſſionem; tum ob laqueos peccati, quibus à Diabolo captiva tenebatur, contritos.

IV. Conſideratio *Confuſionis*, quam in univerſali judicio pati quiſque debebit ob peccata per confeſſionem non expiata; in cujus conſideratione rectè S. Auguſtinus dixit, melius eſt. *S. Auguſt. l. 5. de viſit. infirm. c. 5.* Coram uno aliquantulùm ruboris tolerare, quàm in die judicij coram tot millibus hominum gravi compulsâ denotarum tabeſcere. Cogita ergo Confeſſarium fore ex illis, qui judicio illi intererunt: nec erubeſcas illi nunc magno tuo commodo manifeſtare, quod tunc apertè cognoſcet, cum inſigni adeò pudore ac contemptu tuo.

V. Con-

Tertullian. l. de pœn.

V. Conſideratio *Gehennæ*, quæ parata eſt illis, qui hoc tam neceſſario medio, & ſecundâ poſt naufragium tabulâ ſalutem ſuam ſervare negligunt. Ita Tertullianus ſuaſit his verbis: Si de Exomologeſi retractas, gehennam in corde conſidera, quam tibi Exomologeſis extinguit: & pœnæ priùs magnitudinem imaginare, ut de remedij adeptione non dubites.

§. X.

ASCETICA.

Eccl. 4. v. 31.

I. QUatuor præcipuè ſunt capita, quæ circa Confeſſionem ab Aſcera ſtudioſè ſunt obſervanda. Primùm eſt, ut ante omnia Electionem legitimi Confeſſarij ſuadeat, ideóque illud Eccleſiaſtici monitum in memoriam revocet: Ne ſubijcias te omni homini pro peccato. Et illud Ludovici Regis Filio darum præceptum: Fac idoneus tibi ſit Conſcientiæ Arbiter, cujus prudentiâ doctrináque ſemper tutus ſis. Quam in rem Joannes Avila, Confeſſarium, inquit, elige unum ex millibus, imò ut S. Franciſcus Saleſius ait, inter decem millia; dici enim non poteſt, (addit idem,) quanta ſit ad excipiendas confeſſiones idoneorum inopia; ſi ex his tribus, caritate ſcilicet, doctrinâ, & prudentiâ vel unicum in aliquo deſideretur, eſt periculoſæ plenum opus aleæ.

S. Aug. in Pſ.

II. Alterum eſt, ut integritatam confeſſionis omni modo procuret, ideóque ſedulò duos errores caveri faciat, ſcilicet *Erubeſcentiam*, quæ facit, ut peccata quoad ſubſtantiam non integrè aperiantur: & *negligentiam*, quæ facit, ut in genere duntaxat, & non quoad debitas circumſtantias eadem peccata manifeſtentur. Et ad priorem quidem errorem cavendum proderit memorabilem S. Auguſtini ſententiam proferre: O homo, quid times confiteri? illud, quod per confeſſionem ſcio, minùs ſcio, quàm illud, quod neſcio. Cur confiteri erubeſcis peccata tua? peccator ſum, ſicut & tu, homo ſum, humani nihil à me alienum puto. Confitere homo homini, homo peccator homini peccatori. Elige, quod vis; ſi non confeſſus lates, inconfeſſus damnaberis. Ad hoc DEUS exigit confeſſionem, ut liberet hominem humilem; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat ſuperbum.

Bellarm. conc. 9.

Ad alterum autem errorem cavendum proderit Cardinalis Bellarmini verba referra: Quæſo te, inquit, ſi reum aliquem ante tribunal Judicis conſtitueres, & nihil diceres aliud, quàm: Iſte egit contra legem: peto, ut velis ferre ſententiam. Quid Judex iſte reſponderet? an non putaret, ſe irrideri? Iſta egit, inquis, contra legem? contra quam legem? ſtulte, quam ſententiam feram, ſi quod ejus ſit peccatum, ignorem? Pari ratione ſi Medicum adeas, & dicas: Mihi aliquid dolet, adhibe, quæſo, medicamentum. Quid ille? non dicet: ſtupide, quid eſt, quod tibi dolet? Caput, oculi, dentes, renes, pedes? an putas omnia medicamenta omnibus malis convenire? Quid ſi tu podagrâ labores, & ego medicamentum dentibus adhibeam?

L. 1. c. 19. §. 2.

III. Tertium eſt, ut ſciat utilem & efficacem modum, confeſſionem fructuoſam efficiendi, quod fiet, ſi efficiat, ut cum ſincero dolore, & ſerio propoſito emendationis peragatur; in quo quidem dolore & propoſito potiſſimum hujus Sacramenti fructum conſiſtere, non immeritò dicunt Aſceræ; ita ut Thomas Kempenſis dicere auſus ſit: Secundùm propoſitum noſtrum curſus profectûs noſtri. Unde rectè ſibi quiſque dictum illud S. Macarij applicabit:

In Vit. Patr l. 3. de compunct.

Ploremus Fratres, & producant oculi noſtri lacrymas, antequam illuc hinc eamus, ubi noſtræ igneæ lacrymæ corpora noſtra comburent.

In Offic. die funct.

IV. Quartum eſt, ut non frequentiam duntaxat Confeſſionis, ſed generalis etiam Confeſſionis uſum ſedulum vehementer commendet: illam quidem, quia, ut Catechiſmus Pij V. ſapienter & rectà dixit, quidquid hoc tempore Sanctitatis, pietatis, & Religionis in Eccleſia ſummo DEI beneficio conſervatum eſt, id magna ex parte Confeſſioni tribuendum eſt. Iſtam verò, ſcilicet generalem Confeſſionem, quia & Confeſſario, & Pœnitenti majorem tribuit ſtatûs notitiam, pro directione ipſius cumprimis neceſſariam: Majorem item parit confuſionem & dolorem, dum Pœnitens omnia peccata ſua in cumulo conſpiciens in illas Eccleſiæ voces prorumpit: Heu mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea, quid faciam miſer, quò fugiam, niſi ad te DEUS meus? Et tandem majorem etiam ſecuritatem & quietem animæ generat, dum ſupplet ea, quæ in alijs Confeſſionibus defuerunt.

S. Aug. ſ. 10 ad Fr. in erem.

Ut meritò in conſideratione horum fructuum exclamet S. Auguſtinus: O felix conſcientiæ puritas, quæ vermem interiorem excludis, quæ à carcere doloris liberas rationem, quæ ab omni immunditia purgas mentem. O mens ſancta! O Paradiſus deliciarum, varij bonorum operum virgultis conſitus, variíſque virtutum floribus purpuratus, & ſuaviter cæleſti gratia irrigatus. Hæc eſt, Fratres mei, Paradiſus, in quo plantatur lignum vitæ, & cæleſtis ſapientiæ; hæc eſt thalamus DEI, palatium Chriſti, habitaculum Spiritûs Sancti.

§. XI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Io. 5. v. 2.

I. EX occaſione thematis: *Eſt autem Jeroſolymis probatica piſcina*: poteſt Confeſſio Piſcinæ huic comparari. 1. Quia in Confeſſione, perinde ac Piſcina illa, virtus reſidet omnis generis morbos curandi. 2. Quia ſicut aqua illa non ſanabat, niſi Angeli aquam turbantis ſubſidio; ita Confeſsio nihil prodeſt, niſi Confeſſarius abſolutionem impertiendo

concurrat. Si ergo tam avidè olim adventus Angeli aquam moventis exſpectabatur; quantò magis ad Confeſſionem accurrendum eſt, ubi tam facilis copia Confeſſarij eſt, nec unus duntaxat, ſed omnes curantur, non à corporali, ſed ſpirituali, longéque graviore morbo.

Gen. 14. v. 16. II. Ex occaſione thematis: *Reduxit, quoque Loth, & omnia, quæ illius erant:* poteſt confeſſio exercitui comparari, illi maximè, quem Abraham ad fratrem ſuum reducendum congregavit. Et 1. dici, quòd debeant peccata per examen, ſicut milites congregari. 2. Armis, id eſt, ſincerâ contritione inſtrui. 3. Delectus fieri, & nominatim recenſeri. 4. Sacramentum fidelitatis præſtari, id eſt, nullum peccatum omitti. 5. Ductorem ſequi, eíque in omnibus obedire, id eſt, Confeſſario per omnia parere. 6. Suam, non aliam Perſonam repræſentare; quæ omnia fuſiùs diducta, & varijs hiſtorijs illuſtrata, apud Fabrum conc. 7. in Dom. 3. Quadrag. videri poſſunt.

Eccleſ. 4. v. 12. III. Ex occaſione thematis: *Funiculus triplex difficilè rumpitur*: poteſt Confeſſio funiculo triplici comparari. 1. Quia ex tribus partibus, veluti tribus filis componitur, ſcilicet contritione, confeſſione, ſatisfactione. 2. Quia per hunc funiculum DEUS attrahit animas, ſibique denuo unit, & in amicitiam recipit, qui eſt ingens fructus Confeſſionis, cùm in tali unione & conjunctione tota felicitas hominis conſiſtat. 3. Quia funiculus iſte difficilè rumpitur; cùm frequens confeſſio faciat, ut homo ob ſerium propoſitum & dolorem toties repetitum, non facilè labatur, uti teſtatur ille Religioſus, qui de ſeipſo faſſus eſt, non meminiſſe, quòd bis in idem peccatum inciderit. Quæ omnia facilè fuſiùs ex ſupradictis deduci & amplificari poſſunt.

Pſ. 28. v. 3. IV. Ex occaſione thematis: *Vox Domini ſuper aquas multas:* poteſt vis & efficatia Abſolutionis ſacerdotalis explicari. Et 1. quidè oſtendi, quomodo ſit *vox Domini ſuper aquas*, id eſt, homines multos, de quibus dictum: Omnes *2. Reg. 14. v. 14.* morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram. Maximè verò peccatores labiles, qui per ſe ad abyſſum labuntur, ſed virtute hujus vocis retrorſum, inſtar Jordani, ad DEUM velut originem ſuam, convertuntur. 2. Quomodo ſit *vox Domini in virtute & magnificentia:* quia ſcilicet conterit vincula peccati, ac Sathanæ poteſtatem, & in libertatem Filiorum DEI aſſerit, cælum aperit, infernum claudit, hominem mortuum reſuſcitat, & vivificat. 3. Quomodo ſit *vox Domini confringentis cedros*: quia etiam Magnatum & ſuperborum æſtimatio & ſuperbia hîc flectitur, & ad Sacerdotis pedes proſternitur. 4. Quomodo ſit *vox Domini intercidentis flammam ignis*: partim quia ignem infernalem extinguit: partim quia flammas libidinis cohibet, contra quas vix eſt potentius remedium, quàm confeſſio. 5. Quomodo ſit *vox Domini deſertum concutientis*: id eſt, corda peccatorum, quæ inſtar deſerti ſpinoſa ſunt, & veptibus conſita, ad dolorem movet, ipſáſque peccatorum ſpinas eradicat. 6. Quomodo ſit *vox Domini præparantis cervos*: id eſt, virtutem conferens ad viam mandatorum & perfectionis velociùs currendam, ita ut dicere poſſit, qui confitetur: Perfecit pedes meos tanquam cervorum, ſuper excelſa ſtatuens me. Quæ omnia fuſiùs explicata videri poſſunt apud Marchantium l. c. *Marchant. in hort. paſt. tr. 5. lect. 4.*

V. Ex occaſione thematis: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*: poteſt peccatum lepræ comparari, ob ſimilitudinem maculæ, doloris, & ſeparationis à DEO & Angelis. Deinde oſtendi poteſt, quomodo hæc lepra per Sacerdotem curari poſſit, adeoque Peccator cum magno deſiderio ſalutis eidem ſe ſiſtere debeat. Vel ſi placet, poteſt Peccator Naamano, Confeſſarius Eliſæo, (qui idem ſignificat, ac DEI ſalus, vel DEUS ſalvans,) comparari, & inde inferri, quàm meritò illa Pœnitenti verba repeti poſſint: Pater, ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras, quantò magis, quia nunc dixit ſibi: Lavare (per contritionem & confeſſionem,) & mundaberis. *Luc. 17. v. 14.* *4. Reg. 5. v. 13.*

VI. Ex occaſione thematis: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis:* poteſt confeſſio ſecundæ poſt naufragium tabulæ comparari. Et in 1. quidem parte oſtendi, Mundum eſſe mari periculoſo ſimilem; ſimúlque pericula breviter enarrari. In 2. parte oſtendi poteſt, quàm metuendum ſit naufragium animæ per peccatum factum, utpote quod in abyſſum æternæ infelicitatis præcipitat. In 3. tandem demonſtrari poteſt, quanta celeritate ac gaudio Confeſſionis tabula ſit arripienda, utpote quæ ſola, ſi fieri poteſt, ab hoc naufragio liberet. Quem in finem varia exempla afferri poſſunt, tum eorum, qui ſine confeſſione perierunt: tum eorum, qui per eam ſalvati ſunt. *Luc. 13. v. 3.*

VII. Ex occaſione thematis: *Dixi: confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino:* poſſunt varij errores in confeſſione committi ſoliti demonſtrari, & corrigi. Et 1. quidem in *Confeſſario* eligendo, dum vel ſtabilis, ſi fieri poteſt, non eligitur; vel non conſulitur; vel nimis eidem adhæretur, ita ut propter ipſius abſentiam confeſſio negligatur. 2. *In æſtimanda confeſſione*: dum ſcilicet confeſſio, eò quòd profectus & emendatio non advertatur. 3. *In facienda confeſſione*: dum vel breviter nimis, omittendo neceſſaria; vel nimis diu, miſcendo impertinentia, quidam confitentur. 4. *In turbatione mentis*: dum vel timetur, quòd confeſſio non rectè fiat; vel ſcandalum concipitur ex eo, quòd aliqui tamdiu confiteantur. Qui omnes proin errores, quomodo corrigendi ſint facilè ex ijs, quæ hactenus de Confeſſione dicta ſunt, oſtendi poteſt. *Pſ. 31. v. 5.*

***

§. XII.

Google

§. XII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Maxim. ſ. de confeſſ. I. PYthagoras dicebat, non eſſe peccata verbis tegenda, ſed tentandum, ut reprehenſionibus curentur.

Primaſius in Apocal. II. Sicut fumus præcedit incendium; ſic flammam fidei & caritatis præcedit confeſſio peccatorum.

Sen. ep. 54. III. Somnium narrare, vigilantis eſt: & vitia ſua confiteri, ſanitatis eſt indicium, ait Seneca.

Boirl. text. 6. in Feſt. SS. Apoſt. Petri & Paul. IV. Diogenes conſpicatus Adoleſcentem erubeſcentem, & ob id animo turbatum, macte, inquit, animo, Fili, iſthæc eſt virtutis tinctura.

Neceſſitas.

Gen. 3. V. In omni lege confeſſio fuit à DEO exacta. 1. In Lege naturæ ab Adamo, dum ei dicit: Adam, ubi es? ab Eva: quare hoc feciſti? à Caino, ubi eſt Abel Frater tuus? ubi S. Ambroſius ait: interrogat Dominus Cain de Fratre, ut moveret eum ad confeſſionem. *Gen. 4.* 2. In lege ſcriptâ, dum DEUS præcipit: *Num. 5. v. 6.* Vir ſive Mulier cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam transgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum. *Ioſeph l. 3. antiq c. 10.* Sed & Joſephus ait: Qui ſciens peccavit nemine conſcio, arietem offert, lege ita jubente, & is, qui peccat, jubetur adire Sacerdotem, & peccatum illi detegere, ut pro ejus arbitrio aries eligatur, & ipſe pro peccatore oret.

Ven. Beda in c. 8. Luc. VI. Ven. Beda aſſerit, experientiâ ſui temporis conſtare, quòd Energumeni aliter non curentur, niſi (in quantùm ſapere poſſunt,) omne, quod ab immundis Spiritibus viſu, auditu, guſtu, & tactu, & alio quolibet corporis vel animi ſenſu vigilantes, dormientéſque pertulerint, confitendo pariter exponant.

March. tr. 5. Hort. Paſt. lect. 8. VII. Illis, qui confeſſionem diu nimis protrahunt, evenit frequenter id, quod Echino contingere ſolet, qui, quia ob prolium egredientum aculeos partum differt, creſcente fœtu majores dolores pati cogitur, & ſæpe omnino rumpitur.

Utilitas.

Caſſ. coll. 2. c. 11. VIII. Serapion adhuc Puer, cùm furtis aſſuetus, tandem ſe viciſſet, & Theonæ Abbati peccatum ſuum faſſus eſſet, lampas accenſa de ſinu ejus proceſſit, tantóque fœtore cellam replevit, ut præ vehementiâ fœtoris vix in eâ reſidere potuerint.

Sen. l. de morib. IX. Rectè Seneca, ubi confeſſio eſt, ibi remiſſio eſt.

Ovid. l. 10. metam. X. Sed & Ovidius: Numen confeſſis aliquod patet.

XI. Omnia vitia in aperto leviora ſunt, inquit Seneca; morbi quoque ad ſanitatem tunc inclinant, cùm ex abdito erumpunt; ac vim ſuam proferunt. Et avaritiam itaque, & ambitionem, & cætera mala mentis humanæ tunc pernicioſa eſſe ſcias, cùm ſimulatâ ſanitate ſubſidunt. *Seneca ep. 57.*

XII. Sicut ij, qui eſcam habent indigeſtam, perpetuò ad vomitum urgentur; ita & ijs, qui peccata in confeſſione nondum explicata in pectore habent, nulla quies erit, donec illud aperiant. *Orig. in pſ. 37.*

XIII. Poſtquam Joſeph Patriarcha indignationem ſuam adverſus Fratres indicavit, Judas (qui idem ſignificat, ac, confeſſio,) primus ingreſſus eſt ad eum, ut illius iram leniret, & ad miſericordiam provocaret. Sed & quærentibus Filijs Iſraël, quis poſt mortem Joſue eſſet gubernaturus, dictum eſt: Judas aſcendet, ecce tradidi terram in manus ejus. Sed & multò antea (ut quidam tradunt,) Judas primus ingreſſus eſt mare rubrum, propter quod Principatum obtinuit. *Iac. Alv. de humil. c. 5. §. 4.*

XIV. Initium ſalutis, ait Seneca, eſt notitia peccati. Qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas, te oportet, antè, quàm emendes. Inquire in te, Accuſatoris primùm partibus fungere, deinde Judicis, noviſſimè deprecatoris. *Senec. ep. 28.*

Æquitas.

XV. Ipſa etiam bruta medicinam vulneribus ſuis & morbis quærunt. Cervus telum inhærens corpori, dictamno; & venenum, quod Phalangius (araneorum genus) affudit mordens eſu cancrorum expellit. Hippopotamus excuto arundinis fragmine venam mittendo ſanguini aperit. Apri paſtu hederæ, aut cancrorum, ingluviem ſanant, Canes ac Feles herbis. Anguillæ & ſerpentes vetuſtam pellem guſtato fœniculi ſucco exuunt Palumbes, corvus, graculus, merula, perdix, lauro ſe purgant. *Plin. l. 20. 27.*

§. XIII.

AUTHORES.

I. JAcobus Marchantius in horto Paſtorum tract. 5.

II. Philippus D'outreman p. 2. c. 15.

III. Matthias Faber in Dom. 3. Adv. conc. 6. & 7. Item Dom. 3. poſt Epih. conc. 3. item Dom. 3. Quadr. conc. 6. & 7. Et Dom. 4. c. 3. & 4. Item Dom. 13. poſt Pent. conc. 9.

IV. Fulvius Androtius lib. integro.

V. Bernardinus Roſignolius l. 1. c. 9. & 10.

VI. Paulus Parry in Solitudine Hagiophilæ Diſſert. 1. & 2. diei ſecundæ, & diſſ. 1. diei tertiæ.

VII. Ludovicus Granat. in locis comm. f. 699.

VIII. Thomas Stapletonus text. 4. in Dom. 1. poſt Pacha.

IX. Laurentius Beirlinck textu 6. in feſto SS. Apoſt. Petri & Pauli.

X. Nicolaus Lancizius opuſc. 12. f. 146. & 285. Item opuſc. 13. c. 12.

XI. Joſephus Langius in Polyanthæa V. eodem.

XII. Antonius Daurolcius in Catech. Hiſtoriali. à tit. 35. cap. 5.

TITVLVS VII.

CONSCIENTIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Buſemb. l. 1. tr. 1. c. 1. — *S. Chryſ. in pſ.*

ESt dictamen rationis, ſive actus intellectûs, quo judicamus, aliquid hîc & nunc agendum vel omittendum eſſe, vel fuiſſe. Hinc à S. Chryſoſtomo vocatur Codex, in quo quotidiana hominum peccata ſcribuntur. Hugo verò ait eſſe idem ac *Cordis ſcientiam*; cor enim & ſe, & alia novit: Et quando ſe novit, vocatur conſcientia; quando verò alia novit, ſcientia appellatur.

Diviſio.

II. Quintuplex à Theologis aſſignatur: 1. *Recta*, quæ verè docet, quid agendum vel omittendum ſit. 2. *Erronea*, quæ falsò docet, quid agendum vel omittendum ſit, & iterum in culpabiliter, & inculpabiliter erroneam ſubdividitur. 3. *Probabilis*, quæ ex duobus contradictorijs utrumque licitè fieri poſſe dictat. 4. *Dubia*, quæ, quid hîc & nunc agendum ſit, reſolvere ſe non poteſt. 5. *Scrupuloſa*, quæ vanè apprehendit periculum peccati, ubi non eſt. Sed rectè monent ijdem Theologi, nec hanc, nec erroneam, ac dubiam conſcientiam propriè poſſe hoc nomine appellari, ſed umbras potiùs eſſe conſcientiæ, cùm Conſcientia detur ad voluntatem dirigendam, nulla autem earum id propriè præſtet.

III. Rectiùs ergo ab Aſcetis in *Bonam* & *Malam* dividitur. Quarum prior eſt, quæ bene aliquid actum eſſe dictat; poſterior, quæ
Gen. 4. v. 7. malè factorum arguit. De quibus DEUS Caino dixit: Nónne ſi bene egeris, recipies? ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit: cor ſcilicet fodicans?

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. ESto conſentiens Adverſario tuo citò, *Matth. 5.*
dum es in via; ne fortè tradat te Ad- *v. 26.*
verſarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro,
& in carcerem mittaris.

II. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, *Pſ. 4. v. 7.*
Domine.

III. Gentes oſtendunt opus legis ſcriptum *Rom. 2. v.*
in cordibus ſuis. *15.*

IV. In omni opere tuo crede ex fide animæ *Eccl. 32. v.*
tuæ, hoc enim eſt conſervatio mandatorum. *27.*

Conſcientia bona.

V. Beatus, qui non eſt lapſus verbo ex ore *Eccl. 14. v.*
ſuo; & non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti. *1.*

VI. Cariſſimi, ſi cor noſtrum non repre- *1. Io. 3. v.*
henderit nos, fiduciam habemus ad DEUM, *21.*
&, quidquid petierimus, accipiemus ab eo.

VII. Omnes dies Pauperis mali: ſecura *Prov. 15.*
mens quaſi juge convivium. *v. 15.*

VIII. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium *2. Cor. 1. v.*
conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cor- *12.*
dis, & ſinceritate DEI, & non in Sapientia
carnali, ſed in gratia DEI converſati ſumus in
hoc mundo.

IX. Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt pecca- *Eccl. 13. v.*
tum in conſcientia. *30.*

X. Non eſt oblectamentum ſuper cordis *Ib. 30. v. 17.*
gaudium.

Conſcientia mala.

XI. Die ac nocte gravata eſt ſuper me ma- *Pſ. 31. v. 4.*
nus tua: converſus ſum in ærumna mea, dum
configitur ſpina.

XII. Cùm ſit timida nequitia, dat teſtimo- *Sap. 17. v.*
nium condemnationis; ſemper enim præſumit *11.*
ſæva, perturbata conſcientia.

XIII. Quid faciam tibi, ô Cuſtos hominum? *Iob. 7. v.*
quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus *20.*
ſum mihimetipſi gravis?

XIV. Sonitus terroris ſemper in auribus il- *Iob. 15. v.*
lius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſu- *21.*
ſpicatur.

XV. Fugit impius nemine perſequente: ju- *Prov. 28.*
ſtus autē quaſi Leo confidens abſq; terrore erit. *v. 1.*

XVI. Quoniam iniquitatem meam ego co- *Pſ. 50. v. 4.*
gnoſco, & peccatū meum contra me eſt ſemper.

XVII. Dabit tibi Dominus cor pavidum, & *Deut. 28.*
deficientes oculos, & animam conſumptam *v. 65.*
mœrore: & erit vita tua quaſi pendens ante te.

XVIII. Vermis eorum non moritur. *Marc. 9. v. 44.*

§. III.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Chryſ. ho. 5. in poſt. epiſt. ad Tim. I. QUantumlibet quis ad vitiorum profunda corruerit, animi judicium nunquam corrumpitur, atque inviolabile perſtat, nullúſque eſt, qui, dum operatur malum, bonum id eſſe putet, ſed occaſiones fingit, & omnia facit: cæterùm ille, etſi verbis fortaſſis crimen diluat, conſcientiam tamen ipſe ſuam effugere nequaquam poterit.

Idem hom. 54. in Gen. II. Nullus prætexat, quod ignorans virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem viæ Ducem & demonſtratorem. Sufficientem enim Magiſtrum habemus conſcientiam. Et fieri non poteſt, ut quis illo adjumento privetur. Nam ſimul cum formatione hominis, implantata eſt ſcientia faciendorum & non faciendorum.

S. Greg. Naz. III. Conſcientia domeſticum & verum tribunal eſt.

S. Greg. magn. l. 27. mor. c. 17. IV. Humana judicia poteſt ſubterfugere malè agens, ſed non judicium conſcientiæ.

Neceſſitas.

S. Ambr. in epiſt. ad Conſtantia. V. Duo tibi ſunt neceſſaria, conſcientia, & fama: conſcientia propter DEUM, fama propter proximum.

Utilitas.

S. Hier. l. 11. comm. VI. Felix conſcientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur. Beati enim mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbunt.

Hugo l. 2. de anim. c. 9. VII. Tranquilla conſcientia eſt, quæ eſt omnibus dulcis, nulli gravis: utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam: cunctis ad benevolentiam: quibus poteſt ad beneficentiam: cui DEUS nec ſua peccata imputat, quia non fecit: nec aliena, quia non approbavit: nec negligentiam, quia non tacuit: nec ſuperbiam, quia in unitate permanſit.

Ibid. VIII. Conſcientia bona titulus eſt Religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, theſaurus Regis, aula DEI, habitaculum Spiritus Sancti, liber ſignatus & clauſus, & in die judicii aperiendus.

Jucunditas.

S. Bern. ſ. 12. ad FF. in erem. IX. O felix conſcientiæ puritas! ô felix Sanctæ conſcientiæ jucunditas, quæ vermem interiorem excludis, quæ à carcere doloris liberas rationem, quæ ab omni immunditia purgas mentem. O mens Sancta, ô Paradiſus deliciarum, variis bonorum operum virgultis conſita, variiſque virtutum floribus purpurata, & ſuaviter cæleſti gratia irrigata. Hæc eſt, Fratres mei, Paradiſus, in quo plantatur lignum vitæ, & cæleſtis Sapientiæ; hæc eſt thalamus DEI, palatium Chriſti, habitaculum Sancti Spiritus. Hæc eſt thronus Salomonis, lectulus Sponſi cæleſtis, in quo ipſa conſcientia bona optimè delectatur, & requieſcit cum Sponſo ſuo.

X. Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius eſt & ſecurius, bonâ conſcientiâ? damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ & ipſâ morte magis erigitur quàm deprimitur? *Idem in l. de conſol.*

XI. Tu, qui veram requiem quæris, etiam hîc eam inter amariſſimas vitæ hujus moleſtias ſuavem guſtabis, ſi ejus, quiea promiſit, præcepta dilexeris. Citò enim ſenties dulciores fructus eſſe juſtitiæ, quàm iniquitatis: & veriùs ac jucundius gaudebis de bona conſcientia inter moleſtias, quàm de mala inter delicias. *S. Aug. de catechiz. rud.*

Conſcientia mala.

XII. Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla eſt major tribulatio, quàm conſcientia delictorum. Námque ſi ibi vulnus non ſit, ſanúmque ſit intus hominis, quod conſcientia vocatur, ubicunque aliquid paſſus fuerit tribulationis, illuc confugiet, & ibi inveniet DEUM. Si autem ibi requies non eſt, propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi DEUS non eſt, quid facturus eſt homo? quò confugiet, cùm cœperit pati tribulationes? *S. Aug. in Pſ. 45.*

XIII. Quiſquis malus eſt, malè ſecum eſt, torqueatur, neceſſe eſt, ſibi ipſi tormentum eſt; ipſe eſt enim pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua. Fugit ab Inimico, quò potuerit; à ſe quò fugiet? *Idem in Pſ. 36.*

XIV. Juſſiſti, Domine, & verè ſic eſt, ut pœna ſibi ipſi ſit omnis inordinatus animus. *Idem l. 1. confeſſ.*

XV. Quæ pœna gravior, quàm interioris vulnus conſcientiæ? nónne hoc magis fugiendum, quàm mors, diſpendium, exilium, debilitas, dolor? *S. Ambroſ. de offic.*

XVI. Infernus quidam & carcer animæ, rea conſcientia eſt. *S. Bern. ſ. 23. in cant.*

XVII. Explica mihi iſtius conſcientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempeſtatem, turbationem: videbis velut in curia mentem ad thronum conſcientiæ conſcendiſſe regalem & tanquam Judicem quempiam ſedentem & cogitationes loco Carnificum adhibentem, in equuleo ſuſpendentem, lateráque conſcientiæ radentem ungulis &c. *S. Chryſoſt. conc. 1. de Laz.*

XVIII. Ampliùs ſuis ſuſpicionibus affligitur impius, quàm alienis plerique verberibus, majoreſque vibices vulnerum in ejus animo ſunt, quàm in eorum corpore, qui ab aliis verberantur. *S. Ambr. de Iacob. & vit. beat. l. 2. c. 6.*

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Lib.1.c.21. §.2. I. NOo eſt vera libertas, nec bona lætitia, niſi in timore DEI cum bona conſcientia.

Ibid. II. Felix, qui ſe abdicat, quidquid conſcientiam maculare poteſt.

Lib.2.c.4. §.1. III. Duabus alis homo ſublevatur à terrenis, ſimplicitate ſcilicet, & puritate. Simplicitas debet eſſe in intentione puritas in affectiooe.

Ibid. §.2. IV. Cor purum penetrat cælum & infernum.

Ibid. V. Si eſt gaudium in Mundo, hoc utique poſſidet puri cordis homo. Et ſi eſt alicubi tribulatio & anguſtia, hoc meliùs novit mala conſcientia.

Lib.2.c.6.§.1. VI. Gloria boni hominis, teſtimonium bonæ conſcientiæ.

Ibid. VII. Habe bonam conſcientiam, & ſemper habebis lætitiam.

Ibid. VIII. Bona conſcientia valde multa poteſt portare, & valde læta eſt inter adverſa. Mala conſcientia ſemper timida eſt, & inquieta.

Ib.§.2. IX. Bonorum gloria in conſcientiis eorum, & non in ore hominum.

Lib.2.c.8. §.5. X. Oportet te eſſe mundum, & purum cor ad DEUM gerere, ſi vis vacare, & videre, quàm ſuavis ſit Dominus.

§. V.

EXEMPLA.

Conſcientia bona.

S. Aug. c.2. cont. Secundin. Haret. I. S. Auguſtinus dicere ſolebat: Senti de Auguſtino, quod libet: ſola me conſcieotia in oculi DEI oon accuſet.

S.Hier. in vit. II. S. Hilarion interrogatus à Latronibus, quid faceret, ſi Latrones ad ipſum venirent? reſpondit: Nudus Latrones non timet. Cúmque illi dicerent, atqui occidi potes. Subjecit ille: Poſſum, ſed ideo Latrones non timeo, quia mori paratus ſum. Moriens verò ſie animam allocutus eſt: Egredere, quid times? egredere anima mea. Septuaginta annis ſerviiſti DEO, & mori times?

Fab conc. 6. in Dom. 4. poſt. Epi. III. S. Ægidius Comes S. Franciſci dicere ſolebat: Licet lapides & ſaxa de cælo plueret Dominus, non nocebunt nobis, ſi tales fuerimus, quales nos ille requirit.

Ibid. IV. S. Tiburtius à Fabiano Chriſtum abnegare, aut gravia tormenta exſpectare juſſus, intrepidè reſpondit: Decerne, quod lubet. Omnis nobis vilis eſt pœna, ubi pura eſt comes conſcientia.

Sulpitius in vita. V. S. Martinus in agone Dæmonem conſpicatus dixit, qnid hîc adſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſti reperies.

4. Reg 20. VI. Ezechias Rex acceptâ mortis ſententiâ, ad Dominum dicebat: Memento, quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate & corde perfecto, &, quod placitum eſt coram te, fecerim.

1. Reg. 12. VII. Samuel regnum Sauli cedens, ad Populum dixit: Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto ejus, utrum bovem cujuſquam tulerim, aut aſioum: ſi quempiam calumniatus ſum: ſi oppreſſi aliquem: ſi de manu cujuſquam munus accepi.

Conſcientia mala.

Gen. 3. v. 8. VIII. Adam ubi audiit vocem Domini deambulantis in Paradiſo, mox conſcientiâ urgente timere cœpit, & abſcondere ſeſe.

Gen 4. v. 13. IX. Cain occiſo Fratre, agnovit ſcelus, dixitque: Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear: Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra; omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.

Gen 42. v. 21. X. Fratres Joſephi in anguſtiis conſtituti, ad ſe invicem dixerunt: Meritò hæc patimur, quia peccavimus in Fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & noo audivimus; idcirco venit ſuper nos hæc tribulatio.

Catech. hiſtor. Dauroit. c. 5. tit. 36. ex. 1. XI. Miles quidam oſtenſo ſibi à duobus Angelis libello booorum operum, & poſtea ingenti libro ſcelerum à Dæmonibus propoſito, cùm à Rege Angliæ ad pœnitentiam incitaretur, negavit id fieri poſſe, quia peſſimam conſcieotiam præ oculis certus haberet.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Lancic. opuſc. 3. n. 47. I. S. Franciſcus Xaverius tam teneræ erat conſcientiæ, ut per totam hyemem confeſſus, materiam peccati venialis oon afferret.

Vit. l. 2. c. 10. II. Aloyſius adeò ſtudebat mundam ſervare conſcientiam, ut non modò alii, ſed nec ipſe quidem reperire quid poſſet, quod peccati venialis ſpeciem haberet.

Lancic. l. c. III. C. Bellarminus tantopere cuſtodiebat puritatem mentis, ut ipſe faſſus ſit, ſe per totos ſeptuaginta novem annos, quibus vixit, deliberatè non peccâſſe.

Ibid. IV. P. Ludovicus de Ponte, & P. Jacobus Rhem voto ſe obſtrinxerunt, quòd nunquam Conſcientiam ſuam deliberatè admiſſo peccato maculatam eſſent.

Ibid. V. P. Bernardinus Realinus ordinariè antiqua duntaxat peccata in confeſſione enarrabat.

Idem opuſc. 10. n. 92. VI. Cicottus Coadjutor dicebat ſuo Patri Spirituali, confeſſiooem ſuam annuam ab hebdomodaria non differre, nec plura ſe peccata committere.

§. VII.

EXEMPLA PROFANA.

Marc. 6. I. HErodes conſcientiâ ſcelerum urgente, S. Joannem Baptiſtam & vivum, & mortuum timebat, velut reprehenſorem criminum.

Plutarch. in Lacon. in apopht. II. Agis ab Ephoro interrogatus, num etiam pœniteret eorum, quæ geſſiſſet? impavidè reſpondit: nequaquam pœnitet, cùm ſciam, me prudentiam cum honeſtate ſemper conjunxiſſe; nullam enim aliam ob cauſam nunc ad ſupplicium ducor.

Idem l. 6. apoph. III. Druſus, cùm Faber murarius promitteret, ſe quinque talentorum mercede effecturum, ne domus illius ullius proſpectui pateret, reſpondit, quia imò decem tibi talenta dabo, ſi, talem facias, ut omnium proſpectui pateat.

Herod. l. 2. IV. Pertinax Imperator admonitus, ut à conjuratis ſibi caveret, reſpondit, nequaquam ſibi ullius mali conſcium eſſe, atque adeò opus non eſſe, ut contra Imperatoriam Majeſtatem, & anteactam vitam, latebris aut fugâ vitæ ſuæ conſulat.

V. Theodoricus Rex Gothorum, cùm Symmachum innocentem occidiſſet, & paulò pòſt caput magni piſcis appoſitum in menſa fuiſſet, viſum ei eſt caput dicti Sancti apparere, ideòque concito gradu in cubiculum ſecedens decubuit, & paulò pòſt mortuus eſt.

2. Mach. 6. VI. Antiochus morbo perculſus dixit: nunc reminiſcor malorum, quæ feci in Jeruſalem: Cognovi ergo, quia propterea me invenerunt mala iſta: & ecce pereo triſtitiâ magnâ in terra aliena.

Sueton. c. 46. in Neron. VII. Nero ob cædem Matris crebrò dicebat, ſe ſpecie materna exagitari, verberibus Furiarum & tædis ardentibus; & ab Octavia Matre in arctiſſimas tenebras trahi.

Val. Max. l. 9. c. 14. VIII. Dionyſius Syracuſanus Rex metu patratorum ſcelerum adeò omnibus diffidebat, ut barbam non ferro, ſed ardentibus nucum putaminibus per Filias ſibi imminui curaret. In lectum verò latâ foſſâ cinctum per ligneum pontem ſe recepit, appoſitis nihilominus foris Cuſtodibus.

Sueton. c. 50. & 51. IX. Caligula ob innumera flagitia ſua tanto metu fuerat occupatus, ut noctu vix tribus horis, & his ipſis inquietè dormiret, ad minimum tonitru caput obvolveret, ad majora verò ſe omnino ſub lecto abſconderet.

§. VIII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Langius in polyanth. V. cod. I. SIcut umbræ corpora, ſic peccata ſequuntur animas, & manifeſtas facinorum repræſentant imagines.

S. Chryſ. ho. 27. in c. 3. Gen. II. Sicut bonus Medicus non ceſſat ſua medicamenta apponere; & ſi ſemel depellatur, neque ſic deſiſtat, ſed continuam curam gerit; ſic hoc etiam conſcientiæ opus eſt, ut jugiter memoriam ingerat, nec permittat unquam in factorum oblivionem nos venire, ſed ob oculos proponat, uti vel hac ratione nos tardiores faciat, ne in eadem peccata prolabamur.

Utilitas.

III. Sicut ſcintilla in magnum dejecta profundum ſtatim extinguitur; ſic omnis triſtitiæ ſuperabundantia in bonam miſſa conſcientiam facilè extinguitur. *S. Chryſ. ho. 25. de via rect.*

IV. Sicut Ericius in globum convolutus, in medio canum ſecurus eſt; ſic conſcientia in omnibus adverſitatibus quieta ac tranquilla eſt. *Fab. conc. 6. in Dom. 4. poſt. epiph.*

Jucunditas.

V. Sicut Nepenthes herba addita poculis, omnem diſcutit triſtitiam; ita mens bona. *Plutarch. in mor.*

VI. Sicut arborem, quam florere vides, colligis ſubterraneo ſucco animari, ſicque reddere in ſuperficie, quod in radice continetur; ſic hominum vultus magna hilaritate decoratur, ſi viſceribus ſanis nullius gravamen ſentiat læſionis. *Caſſ. l. 2. epiſt.*

Conſcientia mala.

VII. Sicut Rivus, quocunque fluit, terram cavat; ita conſcientia mala rodere occultè mentem non ceſſat. *S. Bern. l. 4. de conſid.*

VIII. Sicut cruciarii crucem ferre cogebantur, antequam in ea pendebant, ita impii hîc & ibi à conſcientia torquentur. *Dreſſ. rol. Dan. c. 25. §. 1.*

IX. Sicut graviùs ægrotare cenſentur, qui occultâ tabe lentè contabeſcunt, quàm qui febri aut alio morbo extinguuntur; ita in graviore pœna ſunt improbi, qui tardo gradu ad æterna ſupplicia præparantur. *Ibid.*

X. Sicut Damocli Famulo Regis Dionyſii ad regale convivium ſedenti gladius è ſeta equina ſuper caput pendens omnem appetitum extinxit; ita timor vindictæ Divinæ imminentis omnes delicias impiis faſtidire facit. *Ibid.*

XI. Sicut Navis pondus non tam ſentitur, dum in aquis trahitur, quàm cùm in litus deducitur; ita pondus peccatorum in horâ mortis vehementiùs, quàm reliquo vitæ tempore cognoſcitur. *Fab. conc. 7. in Dom. 2. Ad.*

XII. Sicut ebrius, quando multùm vini ingurgitat, nullum ſentit à vino damnum, poſtea autem ſentit, quale ſit damnum; ita peccatum, donec conſummetur, obtenebrat mentem, deinde verò conſcientia exurgit, & quovis accuſatore mentem graviùs arrodit, monſtrans abſurditatem facti. *S. Chryſ. in c. 42. Gen.*

XIII. Sicut Nauarchus acum nauticâ non obſervans, ilicò deviat; ita qui in actionibus conſcientiam non attendit, graviter errat. *Fab. l. c.*

§. IX.

MOTIVA.

Ad conſcientiam rectificandum.

I. QUia eſt *Dux noſter optimus* Conſcientia; ſi ergo Duces itinerum non adeò neceſſariorum aut utilium, tam promptè & fideliter ſequimur; quantò fidelius in itinere vitæ, à quo ſalus noſtra pendet, conſcientiam, velut à DEO datum Ducem, ſequi convenit.

II. Quia *Conſiliarius noſter optimus* eſt, quem ſi ſequamur, peccare non poſſumus; *Eccl. 6. v. 6.* an non ergo de hoc dictum nobis credamus: *Ib. 32. v. 24* ſit tibi Conſiliarius unus de mille. Et iterum: Fili, ſine conſilio (hujus Conſiliarii) nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.

Seneca l. de morib. III. Quia eſt *optimus Pædagogus noſter:* de quo rectè Seneca dixit: nullum conſcium ſcelerum tuorum magis timueris, quàm temetipſum (id eſt, conſcientiam tuam) alienum enim fugere potes, te nunquam.

IV. Quia eſt *Judex noſter ſeveriſſimus:* qui, ut ſupra ex S. Chryſoſtomo vidimus, ſtatim tribunal aſcendit poſt factum, & accuſatoris, Judicis, & Carnificis munere fungitur.

V. Quia eſt *optimus noſter Conſolator:* cùm non ſit oblectamentum ſuper cordis gaudium, quod bona conſcientia parit.

VI. Quia etiam *Advocatus noſter optimus* *1. Joan. 3.* *eſt:* juxta illud S. Joannis: Cariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.

§. X.

MEDIA.

Ad Conſcientiam purificandam.

Prov. 4. v. 23. I. A*Ccurata ſenſuum cuſtodia:* uti Salomon ſuaſit dicens: omni cuſtodiâ ſerva cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit.

II *Frequens Diſcuſſio conſcientiæ:* ut enim Aranei telas ſuas non ſuſpendunt in locis, in quibus frequenter eas diſſipari advertunt; ita nec Diabolus retia ſua facilè expandit iis, à quibus ea ſtatim notari & diſſipari comperit.

III. *Creber Confeſſionis uſus:* hæc enim ſcopæ ſimilis eſt, per quam omnes immunditiæ conſcientiam maculantes auferuntur.

IV. Conſiderare ſeipſum *ut Templum* & habitationem DEI: quis enim ex hac conſideratione non incitabitur ad omnes ab eo ſordes arcendas?

V. *Amor ſincerus B. Virginis:* cùm enim hæc ſit Mater puriſſima, minimè ſanè patietur, ut ij, qui ſe dilectos illius Filios profitentur, non pariter etiam puriſſimi evadant.

VI. *Prompta acceptatio correctionis:* ſi enim maculas in vultu oſtenſas tam citò corrigimus; quantò magis animæ maculas cavebimus, ſi à fideli Monitore fuerint demonſtratæ?

§. XI.

ASCETICA.

I. TRia ferè ſunt, quæ de Conſcientia ſpecialiter ſcire, alióſque docere debet Aſceta. Primum eſt, ut ritè cognoſcat indicia Variarum Conſcientiarum, maximè verò bonarum & ſcrupuloſarum. Et bonæ quidem conſcientiæ tria præcipua ſunt indicia. Agnoſcere culpam, ubi non eſt, uti S. Gregorius dixit. 2. Erubeſcere ad publicationem ſui peccati; *S. Ambr. in Pſ. 38.* nam, ut S. Ambroſius ait, ſicut lapis ſi ad lapidem teratur, ignem excutit, ita etiam bona conſcientia pudore ſuccenditur, ſi renovetur illi ſuorum recordatio delictorum & in ipſa meditatione exardeſcit ignis. 3. Non ſubterfu- *Seneca ep. 97.* gere lucem; bona enim conſcientia, teſte Seneca, prodire vult & conſpici, turbam advocat. Scrupuloſæ verò indicia ſunt ſequentia, timere in omnibus peccatum; perpetuò hærere, quid ſit agendum: aſſiduò & ſine juſta cauſa reflectere ſe ſuper actiones & cogitationes; nolle acquieſcere aliorum conſiliis: ex levi apparentia mutare conſilia.

II. Alterum eſt, ut ſciat utilem praxin ſeipſum dirigendi juxta ductum ſuæ conſcientiæ, quam quidem S. Gregorius ſequentibus verbis *S. Greg. ho. ſup. Ezech.* breviter declaravit: In omni, quod dicitur, ſemper tacitè recurrere debemus ad mentem & interiorem teſtem ac Judicem requirere; quid enim prodeſt, ſi omnes laudent, & conſcientia accuſet? aut poterit obeſſe, ſi omnes derogent, & ſola conſcientia defendat?

III. Tertium eſt, ut utilem etiam praxin ſciat, alienas conſcientias dirigendi, ita ut cuique ſe aptè accomodet, & laxas quidem dextrè cohibeat & reſtringat; anxias verò & ſcrupuloſas aptis mediis ſuaviter & prudenter relaxet.

§. XII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Et erat ipſe in* *Marc. 4. v. 38.* *puppi ſuper cervical dormiens;* poteſt conſcientia bona huic cervicali comparari; & imprimis narrari ex Macrobio, quòd Auguſtus Cæſar, *Macrob. l. 2. Saturn. c. 4.* cùm multas noctes inſomnes duxiſſet, audiens poſtea cujuſdam Equitis Romani, qui licet grandibus debitis obæratus, securè tamen dormiebat, ſupellectilem vendi, culcitram ejus ſibi emi præceperit, dicens, miram illi vim ad conciliandum ſomnum ineſſe debere, cùm homo tot debitis gravatus, tam ſuaviter tamen in ea dormiſſet. Subinferatur poſtea, Auguſtum fortè non inveniſſe, quod quærebat; ſi quis tamen hoc cervical, in quo Chriſtus dormiebat, ſibi compararet, certò ſuaviter & ſecurè dormiturum & victurum; hoc enim cervical nil aliud eſſe quàm bonam conſcientiam, quæ eſt molliſſimis plumis, id eſt optimis operibus impleta, & candidiſſimo linteo puritatis involuta;

&

& ad ſecuritatem ac ſuavitatem ſomni Spiritualis, id eſt, quietæ ac tranquillæ vitæ conciliandam aptiſſima. Uti probari poteſt tum ex S. Scriptura dicente: Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit: tum ex SS. Patribus id ipſum confirmantibus, ut ſupra §. 3. videre eſt: tum ratione (quòd ſcilicet iſte totum ſe voluntati divinæ committat, ſine quâ novit nihil ſibi accidere poſſe; quidquid autem ipſa permittat, optimum ſibi, ſumméque proficuum eſſe. Præterea etiam bono tali fruatur, quod nemo invito auferre queat) tum denique variis exemplis, tum Sacris, tum profanis eorum, qui tam ſuaviter in hoc cervicali bonæ conſcientiæ dormierunt. Vide Fabrum conc. 6. in Dom. 4. poſt Epiph. fuſiùs de hac materia differentem.

Prov. 12. v. 21.

II. Ex occaſione thematis: *Liberat animas teſtis fidelis*: poteſt conſcientia teſti fideli comparari, ut quæ non modò de actibus omnibus hominis teſtetur, ſed etiam, an boni vel mali ſint, indicet, & propterea laudet vel reprehendat, nec ullo medio ſe corrumpi aut perverti, aut expelli ſinat; id quod variis exemplis oſtendi poteſt. Unde meritò hic teſtis dicitur liberare animas, quia, qui eum debito modo colunt & obſervant, in nullum actum pravum conſentient, aut certè illius correptione caſtigati mox reſipiſcent, ut adeò huic præcipuè conveniat, quod Seneca dixit: Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat. Videatur Faber conc. 7. in Dom. 2. Adv.

Prov. 14. v. 25.

III. Ex occaſione thematis: *Secura mens quaſi juge convivium*: poteſt bona conſcientia Convivio jucundiſſimo comparari, tum quia ut Convivium nutrit & conſervat vitam gratiæ: tum quia facit pingueſcere in meritis: tum quia ſatiat appetitum animæ, miram illi tranquillitatem concilians: tum quia ſupra modum Convivas jucundos efficit: tum quia magnopere etiam roborat, tam quoad ordinarias functiones cum alacritate obeundas, quàm ad adverſitates quaſcunque fortiter ſuperandas. Sed & ob Convivas, Chriſtum nempe & juſtos, hoc Convivium meritò valde commendandum eſt. Quæ omnia facilè fuſiùs diduci poſſunt, & illud etiam præcipuè demonſtrari, quòd juge ſit convivium, utpote quo quiſque ſemper pro hbitu frui poſſit. Videatur Faber cit. conc. 6. in Dom. 4. poſt Epiph.

Prov. 15. v. 15.

IV. Ex occaſione thematis: *Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium*: poteſt oſtendi, quàm verè dicatur gaudium ex conſcientia bona oriri ſolitum omnia alia gaudia excedere. 1. quia illa omnia ſunt falſa gaudia, utpote quæ in falſo bono, puta voluptatibus, divitiis, honoribus quæruntur; hoc autem *Verum* eſt gaudium, quia ex vero bono, ſcilicet finis ultimi poſſeſſione, hauritur. 2. Quia alia gaudia vana ſunt, nihil præter momentaneam delectationem relinquentia; hoc autem *Solidum* eſt gaudium, quia ad æternitatem felicem jus tribuit, & præparat. 3. Quia alia gaudia valde impura ſunt, id eſt, variis malis triſtitiam conciliantibus permixta; hoc autem puriſſimum eſt, cùm nihil juſtum contriſtare ſoleat, ſed omnia ei in bonum cooperentur. 4. Quia alia gaudia inſtar puncti brevia ſunt; hoc autem juge & perenne eſt, utpote de quo Chriſtus dixit: Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Ut adeò meritò cum pio Aſceta dicatur: Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare DEUM, & illi ſoli ſervire.

Eccl. 30. v. 17. — *Jo. 16. v. 22.* — *Th. Kemp. l. 1. c. 1. n. 3.*

V. Ex occaſione thematis: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*: oſtendi poſſunt bona, quæ ex conſcientia bona oriuntur. 1. *Summa utilitas*, tum ad benedictionem in temporalibus bonis obtinendam (cum benedictio Domini ſit ſuper caput juſti: & quærentibus regnum DEI & juſtitiam ejus omnia temporalia adjiciantur) tum ad æternam felicitatem acquirendam, juxta teſtimonium S. Davidis: quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? innocens manibus, & mundo corde. 2. *Summa jucunditas*: cùm ſecura mens ſit juge convivium. Et juxta Thomam Kempenſem, ſi gaudium eſt in hoc mundo, hoc utique poſſideat puri cordis homo; ut adeò meritò ſuo modo dicere poſſit, qui bonam conſcientiam habet: Et lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me hæc bona conſcientia. 3. *Summa dignitas*: qui enim diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum Regem, teſte Salomone; quæ autem major hâc dignitas obtingere poteſt? meritò ſanè de ea dicitur: venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.

Sap. 7. v. 11. — *Prov. 10. v. 6.* — *Pſ. 23. v. 4.* — *Sap. 7. v. 14.* — *Prov 22. v. 11.*

VI. Ex occaſione thematis: *Pax DEI, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda & intelligentias veſtras*: poteſt explicari magnitudo pacis, quæ per conſcientiam bonam obtinetur. Et 1. quidem oſtendi poteſt, quòd ſit ſummè neceſſaria pax, quia ſine illa interitus, omniúmque bonorum jactura incurritur. 2. Quòd ſit ſummè optanda pax, ut quæ omnem ſenſum, id eſt ſenſualem delectationem, quæ ex rebus ſenſibilibus percipitur, longè exuperat, cùm in conjunctione cum DEO, atque adeò fruitione ultimi finis fundetur. 3. Quòd ſit ſummè conſtans & ſtabilis pax, ut, quæ ex parte DEI nunquam reſcinditur, niſi priùs ex parte hominis fuerit reſciſſa. Si ergo tantum gaudium ex facta pace ad conſervationem bonorum temporalium conducente percipitur, quantum ſperari debet ex hac pace omnium nobiliſſima, cum DEO facta & ſtabilita?

Phil. 4. v. 7.

VII. Ex occaſione thematis: *Vermis eorum non morietur*: poteſt mala conſcientia vermi comparari. 1. Quia, uti vermis carnem, ex qua naſcitur, conſumit; ita vermis conſcientiæ cor, ex quo originem ſumpſit, cruciat & corrodit. 2. Quia uti vermis

Iſ. 66. v. 24.

mis aſſiduò rodit ; ita nec mala conſcientia mentem vellicare ceſſat. 3. Quia uti vermis non niſi per res amaras perimitur ; ita nec mala conſcientia aliter , quàm per pœnitentiæ amaritudinem tollitur; quæ proin meritò ad tam noxium & moleſtum vermem perimendum aſſumitur.

Pſ. 5. v. 4. VIII. Ex occaſione thematis : *Peccatum meum contra me eſt ſemper* : poteſt conſcientia mala Epiſtolæ Uriæ comparari , & ab initio quidem hiſtoria de Uria narrari. Deinde verò oſtendi , quomodo mala conſcientia verè ſit talis Epiſtola , quæ illum ipſum , qui eam ſecum fert, morti adjudicandum eſſe teſtabitur.

§. XIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. REctè ad conſcientiam curandam adhortans Poëta canit.

Hor. 1. Epiſt. *Hic murus aheneus eſto.*
Nil conſcire ſibi : nullâ palleſcere culpâ.

II. Sicut corvi S. Medardi occiſores ubique perſecuti ſunt , donec Judex eoſdem apprehendit , & punivit ; ita ſua quemque conſcientia ad ipſum uſque Judicem comitatur, nec unquam deſerit.

III. Pœdagogo Pueros nos tradiderunt Parentes , qui ubique obſervaret , ne quid læderemur : DEUS autem jam viros inſitæ conſcientiæ cuſtodiendos tradit ; quæ quidem cuſtodia & conſecratio nequaquam contemnenda eſt, quoniam & DEO diſpliceret , & conſcientiæ ipſi noſtræ hoſtes eſſemus. *Epiſtol. apud Buſ. V. eod. §. 2.*

Cic. l. 3. off. IV. Honeſta bonis viris , non occulta quæruntur , inquit rectè Cicero.

Utilitas.

Horat. in odis, V. Bene iterum Horatius canit :

Integer vitæ , ſceleriſque purus ,
Non eget Mauri jaculis , nec arcu ,
Nec venenatis gravidâ ſagittis ,
Fuſce , Pharetrâ.
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruina.

Seneca de morib. VI. Conſcientiam magis , quam famam attende. Falli namque ſæpe poterit fama, conſcientia nunquam.

Dignitas.

Stob. ſ. 1. de prud. VII. Periander interrogatus , quid in minimo eſſet maximum , bona mens , reſpondit , in corpore humano. Aliàs rogatus , quid eſſet libertas ? recta conſcientia dixit.

Cicero 2. Tuſc. VIII. Nullum theatrum virtuti conſcientiâ majus eſt , ut ſapienter Cicero dixit.

Apud Fab. cent. 7. in Dom. 2. Adv. IX. Mortalibus cunctis conſcientia eſt DEUS , teſte Menandro.

Jucunditas.

X. Sola virtus præſtat gaudium perpetuum, ſecurum ; etiamſi quid obſtat , nubium modo intervenit , quæ infra feruntur , nec unquam diem vincunt. *Sen. ep. 27.*

XI. Bias interrogatus : quid in vita metu careret ? bona conſcientia reſpondit. *Granat. in loc. com. f. 224.*

XII. Socrates quæſitus , qui ſine perturbatione viverent ? qui nihil ſibi conſcii ſunt , dixit. *Ibid.*

XIII. Conſcientia bene actæ vitæ , multorúmque benefactorum recordatio jucundiſſima eſt. *Cicero in caton. major.*

XIV. Acta ætas honeſtè atque ſplendidè tantam affert conſolationem , ut eos , qui ita vixerint , aut non tangat ægritudo , aut leviter pungat animi dolor. *Idem 3. Tuſc.*

Conſcientia mala.

XV. Pulchrè de hac Juvenalis : *Iuvenal. Satyr. 13.*

Exemplo quodcunque malo committitur , ipſi
Diſplicet Authori , prima eſt hæc ultio , quod ſe
Judice nemo nocens abſolvitur , improba quamvis
Gratia fallaci Prætoris vicerit urnâ.

XVI. Nullus neque teſtis tam formidabilis , neque Judex tam gravis , quàm conſcientia , quæ mentibus cujuſque inſidet , & inhabitat. *Polybius in fragmentis.*

XVII. *Diſtrictus enſis , cui ſuper impiâ* *Horat. l. 3. od. 1.*
Cervice pendet , non Siculæ dapes,
Dulcem elaborarunt ſaporem ;
Non avium , Cytharæq; Cantus
Somnum reducent.

XVIII. Facinoroſa conſcientia inſtar ulceris in corpore , pœnitentiam relinquit in anima lancinantem jugiter ac pervellentem. *Plut. l. de anim. tranquill.*

§. XIV.

AXIOMATA.

I. Conſcientia , mille teſtes. *Langius in*
II. Secura mens , quaſi juge convivium. *Polyant.*
III. Ein Gwiſſen pur vnnd rein / *Prov. 15. v.*
Iſt über Gold vnd Edelgſtein. *15.*
IV. Böß Gwiſſen iſt ein böſer Gaſt / *Floril. p. 5.*
Vor dem man hat weder Ruhe/noch Raſt. *Ibid.*
V. Gut Gwiſſen iſt der ſanfftiſte Polſter.
VI. Bona eſt ſubſtantia , *Eccl. 13. v.*
Quando non eſt peccatum in conſcientia. *30.*
VII. Omne malum aut timore , aut rubore *Tertull. in*
Natura perfudit. *apolog.*

§. XV.

AUTHORES.

I. Jeremias Drexelius in Daniele c. 25. & 26.

II. Joan-

Google

II. Joannes Buſæus in Viridario V. Conſcientia bona.

III. Ludovicus Granatenſis in locis communibus fol. 224.

IV. Joſephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.

V. Matthias Faber conc. 7. in Dom. 2. Adv. & conc. 6. in Dom. 4. poſt Epiph.

TITULUS VIII.

CONFIRMATIO.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Buſemb. l. 6. Tr. 2. c. 2.

EST unctio Chriſmatis, ſub præſcripta forma verborum, in fronte baptizati, ab Epiſcopo facta, quâ is ex inſtitutione Chriſti, gratiæ augmentum & robur accipit.

Cauſa.

Idem ex comm.

II. Materia remota eſſentialis eſt Chriſma, ex oleo & balſamo confectum, & ab Epiſcopo benedictum. Materia proxima eſt unctio in fronte per manum Epiſcopi in formam Crucis facta.

III. Forma hujus Sacramenti eſt: ſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

IV. Cauſa efficiens ſeu Miniſter eſt ſolus & omnis Epiſcopus; ex delegatione Pontificis etiam ſimplex Sacerdos.

S. Aug. l. 13. de Trin. c. 26.

V. Cauſa Finalis eſt robur & gratiæ augmentum; unde, teſte S. Auguſtino, unguentum hoc viſibile, quo Eccleſia baptizatos inungit, ſignificat inviſibilis gratiæ donum, quo Spiritus Sanctus Chriſtum inprimis, qui & à Chriſmate nomen trahit, & deinde Chriſtianos omnes interna unctione imbuit atque confirmat.

Cæremonia.

Caniſius p. 2. de confir. §. 5.

VI. Hos ceu Chriſtianæ Militiæ Tyrones Epiſcopus admonet in unctione, ut adverſus tot hoſtes, & quotidiana pericula Spiritualia confirmentur.

VII. Conſignat Cruce frontem, quæ pudoris eſt ſedes, ut non erubeſcat Chriſtum & fidem Catholicam coram hominibus confiteri.

VIII. Alapam impingit, ut militiam Chriſtianam invictâ patientiâ exercendam & ornandam eſſe, perpetuâ memoriâ retineant.

IX. Obligatur frons faſciola, tum ne temerè tangatur & abſtergatur Chriſma, tum ut intelligat confirmatus gratiam confirmationis ſedulò, ſibi conſervandam eſſe.

X. Datur Patrinus, ut ſe adhuc Ductore indigere ſciat; ſicut ob eandem cauſam Tyroni Militi veteranus adjungitur.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. REdde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me. *Pſ. 50. v. 14.*

II. Sicut modò geniti Infantes Rationabiles ſine dolo lac concupiſcite, ut in eò creſcatis (per confirmationem) in ſalutem. *1. Petr. 2. v. 2.*

III. Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos DEUS: qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus noſtris. *2. Cor. 1. v. 21.*

IV. Manda DEUS virtuti tuæ (per Spiritum S. conferri ſolitæ) confirma hoc, DEUS, quod operatus es in nobis. *Pſ. 67. v. 29.*

V. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. *Act. 8. v. 17.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. BAptiſmi gratiam omni homini vel omni ſexui tradidit authoritas antiquorum: Confirmationis autem inſigne, ſola Pontificalis Perſona ſuæ vendicat dignitati. *S. Petrus Dam. ſ. 2. de dedic. Eccl.*

II. Poſtquam Dominus noſter verus Rex & Sacerdos æternus, à DEO Patre cæleſti myſtico unguento eſt delibutus, jam non ſoli Pontifices & Reges, ſed omnis Eccleſia unctione Chriſmatis conſecratur, pro eo, quòd eſt membrum æterni Sacerdotis & Regis. Ergo quia genus regale & Sacerdotale ſumus, ideo poſt lavacrum ungimur, ut Chriſti nomine cenſeamur. *S. Iſidor. Hiſp. l. 2. de Eccl. off. c. 25.*

III. An neſcis, etiam Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis manus imponatur, & ita invocetur Spiritus Sanctus?. Exigis, ubi ſcriptum ſit? in actibus Apoſtolorum. Etiamſi ſcripturæ Authoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur, authoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpant. *S. Hier. contra Lucifer.*

IV. Ideo omnis Chriſtianus ſanctificatur, ut intelligat, ſe non ſolùm Sacerdotalis & regiæ dignitatis eſſe conſortem, ſed etiam contra Diabolum fieri luctatorem. *S. Aug in ſerm. n. 140.*

Neceſſitas.

S Cypr. l. 1. ep. 12. ad Ian.

V. Nigi quoque neceſſe eſt enim, qui baptizatus ſit, ut accepto Chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus DEI, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.

S Clem. ep. 4. ad Iuliũ & Iulian.

VI. Cùm regeneratus quis fuerit per aquam, poſtmodum ſeptiformis Spiritûs gratiâ ab Epiſcopo confirmetur, quia aliter perfectus Chriſtianus eſſe nequaquam poterit.

S. Melchiades Pont. in ep. ad Hiſp. Epiſc.

VII. Quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter inviſibiles hoſtes & pericula gradiendum eſt, in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam: in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur.

S Petrus Dam. ſ. 1. de dedic. Eccl.

VIII. Decretales paginæ & Sanctorum Patrum inſtituta decernunt, non eſſe differendam poſt Baptiſmum Sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor, à quo nemo unquam nocendi inducias extorſit.

Utilitas.

Ibid.

IX. Secundum eſt Sacramentum Confirmationis. In baptiſmate Spiritus datur ad veniam, hîc ad pugnam: ibi mundamur ab iniquitate, hîc virtutibus præmuniamur.

Raban. Archiep. Mogunt. l. 1. de inſt. Cler. c. 30.

X. Signatur baptizatus cum chriſmate per Sacerdotem in capitis ſummitate: per Pontificem verò in fronte, ut priori unctione ſignificetur Spiritûs Sancti ſuper ipſum deſcenſio, ad habitationem DEO conſecrandam; in ſecunda quoque, ut ejuſdem Spiritus Sancti ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis, & ſcientiæ, & virtutis venire in hominem declaretur.

Tertull. l. de carn. reſurr

XI. Caro ungitur, ut anima conſecretur: caro ſignatur, ut & anima muniatur: caro manuum impoſitione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.

§. IV.

EXEMPLA.

Qualitas.

Act. c. 8. v. 14.

I. Cùm audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum DEI, miſerunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini JESU. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.

Act. 19.

II. Cùm S. Paulus Epheſi aliquos Diſcipulos repetiſſet, quæſivit ab eis, an Spiritum Sanctum accepiſſent? cúmque illi reſpondiſſent, ſe, nec ſi Spiritus Sanctus eſſet, audiviſſe, juſſit eos in Chriſti nomine Baptizari, cúmque poſt Baptiſmum manus illis impoſuiſſet, venit Spiritus S. ſuper eos & loquebantur linguis & prophetabant.

Surius. to. 4. 2. Aug.

III. Cùm Clericus S. Ethelvvoldi Wintonienſis Epiſcopi ampullam tantùm mediâ parte plenam oleo accepiſſet pro confirmationis Sacramento adminiſtrando, eámque ipſam in itinere amiſiſſet, poſtea cum anxietate iter repetens, reperit eam in via jacentem, & penitus impletam.

Io. Haius in lit. Iap. 1603.

IV. Japonii tanto cum ſenſu pietatis hoc Sacramentum ſuſceperunt, ut Epiſcopus Japoniæ dixerit, ſe nuſquam reperiſſe Gentem, quæ tantam erga hoc Sacramentum Religionem præſeferret, ac in Japonibus competerat.

Neceſſitas.

Euſeb. l. 6. hiſt. Eccl. c. 35.

V. Quòd Novatus ab Exorciſtis Catholicis ad veram fidem perductus, & baptizatus, poſtea tormentorum metu iterum defecerit, potiſſimam Scriptores cauſam ajunt fuiſſe, quòd Confirmationis Sacramentum, cùm potuiſſet, non ſuſceperit.

Edinerus in vita l. 7. c. 32.

VI. S. Anſelmus, cùm poſt multos alios hoc Sacramento initiatos, Puellam idem beneficium petentem, inungere ſuorum importunitate perſuaſus omiſiſſet, tantum ex hoc facto dolorem concepit, ut nunquam ampliùs per totam vitam ab ejus corde receſſerit.

Surius to. 5. 13. Sept.

VII. S. Mauritius Epiſcopus Gandavenſis cùm ad Puerum moribundum inungendum vocatus, paululùm tardâſſet, Puérque interea mortuus eſſet, multis Annis hanc negligentiam deflevit, & tandem indignum ſe Epiſcopatu ratus aufugit, & clavibus in mare conjectis votum fecit non redeundi ad Epiſcopatum, donec claves iterum fuiſſent inventæ. Servivítque tamdiu in Hortulani officio, donec à ſuis inventus, clavibúſque, quas piſcis ultro in navem inſiliens in ſe concluſerat, oblatis ad ſedem ſuam reverſus eſt.

Utilitas.

Lact. Firmian. l. 4. de vera ſap.

VIII. Lactantius Firmianus refert multos Chriſtianos propterea à Tyrannis graviter excruciatos eſſe, quòd illis præſentibus, utpote qui uncti erant, Dæmones ex Idolis reſponſa non darent.

Cantipr. l. 2. apum. c. 17.

IX. Cùm quidam cæcus Paſtor ope dæmonis & vaccas totius Pagi cognoſceret, & cuſtodiret, quam primum confirmatus eſt, nihil ſimile ampliùs potuit.

Daurolt. in Catech. hiſt. c. 5. tit. 4.

X. Cùm Paſchali tempore Faro Meldenſis Epiſcopus ſubditos ſuos hoc Sacramento initiaret, cæcus quidam Puer inter alios accedens, mox oculorum uſum recepit. S. Malchus verò uſum rationis per idem Sacramentum Puero cuipiam reſtituit.

§. V. SI-

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Ambroſius l. 1. de Spir. S. c. 6.

I. SIcut in Chriſto morimur, ut renaſcamur; ita etiam Spiritu ſignamur, ut ſplendorem atque imaginem ejus & gratiam tenere poſſimus, quod eſt utique ſpitituale ſignaculum; nam etſi ſignemur in corpore, veritate tamen in corde ſignamur, ut Spiritus Sanctus exprimat in nobis cæleſtis imaginis effigiem.

Cyrill. Hier. Catecheſ. 3.

II. Sicut Salvator per Baptiſmum, & Spiritûs S. deſcenſum, aggreſſum Adverſarium devicit; ſic & vos per ſacrum Baptiſma induti myſticum Chriſma (quæ eſt Spiritûs S. armatura) ſtate adverſus hoſtes, eóſque debellate dicentes: Omnia poſſum in eo, qui me confortat Chriſtus, à cujus Chriſmate Chriſtiani appellamini, perducentes ad veritatem nomen Chriſtianum, quod à Baptiſmo cœpit nominari, ſi quidem non eratis propriè digni eo nomine, ſed potiùs eò progredientes tendebatis, ut Chriſtiani eſſetis.

D. Thom. 3. p. q. 72. a. 11.

III. Sicut in ædificijs materialibus Fabri inferiores calcem, cæmentum, ligna & reliquam materiam ſubminiſtrant; abſolutio verò operis, & ultimæ manus impoſitio, ad Architectum ſpectat; ita Baptiſmus per communes Sacerdotes conferri ſolet; confirmatio verò, quæ ſpiritale Hominis ædificium perficit, manum Epiſcopi requirit.

Fab. concion. 6. in Fer. 3. Pent.

IV. Sicut trium votorum Religioſorum editio hominem in ſtatu perfectionis conſtituit, non quòd is jam perfectus ſit, ſed quòd illa profeſſio eum addicat ſtudio perfectionis, & peculiaria adjumenta ad id habeat; ita idem etiam de Confirmationis Sacramento dicendum.

S. Thom. q. 6. a. 8.

V. Sicut de intentione naturæ eſt, ut homo creſcat in ſtatura; ita de intentione DEI eſt, ut idem creſcat in vitæ perfectione, quod fit per hoc Sacramentum.

VI. Sicut inferiores & leviores artes docent alij Magiſtri, Doctorem verò Theologiæ creat, & ſic ultimam quaſi manum Cancellarius aut Doctor alius Theologiæ imponit; ita Baptiſmum multi alij, confirmationem verò ſolus Epiſcopus adminiſtrat.

Neceſſitas.

S. Melchiades diſt. 5. c. de his.

VII. Sicut exigit militaris ordo, ut, cùm Imperator quemcunque receperit, in militum numerum, non ſolùm ſignet receptum, ſed etiam armis competentibus inſtruat pugnaturum; ita in Baptiſmo recipitur homo in militiam, & in confirmatione coarmatur ad pugnam.

S. Hyppolitus. in l. de conſummat. mundi.

VIII. Sicut Anti-Chriſtus olim jubebit, ne quis in fronte crucem portet; ita Dœmon & Hæretici cavent, ne quis in fronte inunctus Chriſtum fortiter profiteatur.

IX. Sicut Parentes magnam conferre facultatem volentes, non ſatis provident, niſi etiam Tutorem conſtituant; ita Chriſtus non ſatis putabat proviſum ſuis, niſi regeneratis in Baptiſmo Paracletum pro Cuſtode, Conſolatore, & Tutore daret.

S. Melch. l. c.

§. VI.

M O T I V A.

Ad confirmationem recipiendam.

I. N*Eceſſitas*: ſi enim is, qui militiam adire debet, ante omnia opus habet, ut bene armetur; quantò magis ſpiritualem militiam (à cujus felici exitu ſalus cujuſque pendet,) auſpicaturus; curare debet, ut per hoc Sacramentum ſpiritualem armaturam accipiat.

II. *Utilitas*: ſi enim ideo quiſque cibum & alia ſimilia media adhibet, quia ad augmentum corporis ſunt proficua; quidni magna alacritate hoc Sacramentum quis ſuſcipiat, ut quoad animam perfici & creſcere queat.

III. *Dignitas*: quis enim non gauderet, ſi admodum Saulis vel Davidis, ſubitò ab aliquo in Regem juſſu DEI inungeretur? quantò magis autem felicem ſe reputare debet, ſi per hoc Sacramentum inunctus titulum & jus Regis cæleſtis accipiat?

IV. *Jucunditas*: ſi enim meritò jucundiſſimum accidit Pupillo, ſi bonum & fidelem Tutorem ſe nactum fuiſſe intelligat; quantò magis gaudere debebit, qui per Confirmationis Sacramentum ſe Spiritum Sanctum in Tutorem & Protectorem accepiſſe meminerit?

§. VII.

M E D I A.

I. C*Ognitio ſui*: hæc enim efficiet, ut fragilitatem ac infirmitatem ſuam cognoſcens, ultro deſideret hoc Sacramentum, utpote per quod vires ſuas non modicè roborari novit.

II. *Æſtimatio hujus Sacramenti*: quam concipiet, ſi meminerit, quemadmodum Sauli olim cum unctione cor immutatum eſt, ita ſibi quoque per Spiritûs S. unctionem in hoc Sacramento peragendam, cor aliud datum iri: Nam, ut Urbanus Papa loquitur, cùm Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & conſtantiam dilatatur.

Urbanus de conſ. diſt. 5. c. omnes.

III. *Ardens deſiderium Chriſtianæ perfectionis*: ſi enim Religioſi ſimili deſiderio accenſi, ſtatum Religioſum tam ardenter eligunt, & amplectuntur; cur non & Chriſtianus, ſi Religionem ingredi non poſſit, ſaltem hoc Sacramentum, velut ſtatum perfectionis, cupidè amplectatur?

IV. *Odium Dæmonis*: per hoc enim inſtigabitur quis ad fortiter ei reſiſtendum, atque adeò etiam ad hoc Sacramentum, velut armaturam ſpiritualem arripiendum.

§. VIII.

ASCETICA.

I. TRia ſunt, quæ præcipuè Aſceta circa hoc Sacramentum obſervare debet. Primum eſt, ut bene cognoſcat naturam & inſtitutionem hujus Sacramenti, nempe quòd ſit eo fine à Chriſto inſtitutum, ut Chriſtianus non ſolùm regiæ & ſacerdotalis dignitatis fiat conſors, ſed inſignis etiam contra Diabolum, alióſque animæ hoſtes luctator, quemadmodum S. Auguſtinus loquitur.

S. Aug. in ſententijs n. 342.

II. Alterum eſt, ut ad illud maturè dignéque ſuſcipiendum hortetur; cùm enim id contra graviores lapſus confirmet ac protegat, quibus juvenilis ætas magis, quàm alia ſubjecta eſt, meritò in hac etiam ætate magis hoc remedium arripitur, quàm in poſteriorem ætatem differtur.

III. Tertium eſt, ut ad dignè cooperandum huic Sacramento, hortetur illis S. Pauli verbis: Labora ſicut bonus miles Chriſti; eúmque in finem ſibi gratiam Sacramentalem Confirmationis à Spiritu Sancto dari imaginetur, illáque olim ad Judam Machabæum dicta verba repeti: Accipe Sanctum gladium, munus à DEO, in quo deijcies Adverſarios Populi mei Iſraël.

2. Tim. 2. v. 5.

2. Mach. ult. v. 16.

§. IX.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Oleo Sancto unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum*: poteſt effectus confirmationis per comparationem cum oleo explicari. Et 1. quidem oſtendi, quòd ſicut oleum nutrit & augmentat corpus, ita hoc ipſum etiam hoc Sacramentum reſpectu animæ faciat. 2. Quòd, ſicut oleum ea, quibus infunditur, nitida & ſplendida efficit; ita & hoc Sacramentum fidei lumen & ſplendorem in anima augeat. 3. Quòd, ſicut oleum corroborat corpus, quod inungitur, (unde olim Athletæ oleo ſe ungebant, ita & anima per hoc Sacramentum ad pugnam ſpiritualem roboretur. 4. Quòd, ſicut oleo unguntur & creantur Reges; ita per oleum hujus Sacramenti Reges cæleſtes, id eſt, veri ac perfecti Chriſtiani efficiantur. Vide Marchant. in Horto Paſtorum tr. 3. Lect. 2.

Pſ. 88. v. 21.

II. Ex occaſione thematis: *Sicut Balſamum aromatizans odorem dedi*: poteſt natura & effectus Chriſmatis in hoc Sacramento adhiberi ſoliti oſtendi. Et 1. quidem dici, quòd Chriſma nihil aliud ſit, quàm oleum balſamo mixtum, & ideo à Chriſto pro materia hujus Sacramenti aſſumptum ſit, ut intelligerent Fideles, quemadmodum ipſi per oleum nunc inunguntur in veros & perfectos Chriſtianos, & ad hoc gratiam copioſam accipiunt; ita ex ſua parte ipſos cooperari debere, & vitæ ac bonorum exemplorum odorem alijs relinquere. 2. Oſtendatur, quàm meritò hîc odor odori balſami comparetur, quia eſt odor valde *ſuavis* gratúſque DEO & hominibus: *Sanus*, id eſt, à putredine peccati conſervans: *penetrativus*, cùm exempla magis quàm verba penetrent, moveántque, ut adeò meritò tales Chriſtiani cum Apoſtolo dicere queant: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco.

Eccl. 24. v. 20.

1. Cor. 2. v. 15.

III. Ex occaſione thematis: *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*: explicari poſſunt effectus hujus Sacramenti per manûs impoſitionem, dicíque 1. Quòd manus imponatur, ut ſignificetur, eos à Spiritu Sancto tanquam manu adverſus hoſtes protegi. 2. Quòd, ſicut olim ſupra victimas manus imponebantur, ita etiam per hanc manuum impoſitionem DEO velut victimæ gratiſſimæ immolentur. 3. Quòd à DEO quaſi manducantur, & ſpecialiter nunc regantur, velut veri ipſius ſervi. 4. Quòd per hanc impoſitionem iterum reconcilientur DEO.

Act. 8. v. 17.

IV. Ex occaſione thematis: *Accipe Sanctum gladium, munus à DEO, in quo deijcies Adverſarios Populi mei Iſrael*: poteſt primarius effectus hujus Sacramenti explicari, qui eſt, robur contra Hoſtes Fidei conferre. In prima ergo parte oſtendatur, quàm verè à Jobo dictum ſit, militiam eſſe vitam hominis ſuper terram; & quàm periculoſa ſit hæc militia, utpote in qua pro animæ ſalute certatur; quem in finem poteſt Dæmon Nicanori Judæorum Hoſti comparari, qui ſummâ ſuperbiâ erectus, cogitaverat commune trophæum ſtatuere de Juda. In ſecunda parte oſtendatur, ab Eccleſia contra talem hoſtem, perinde ac olim Judæ ab Jeremia, gladium offerri per Sacramentum Confirmationis, gladium verè *Sanctum* (cùm non ſit alius, quàm ipſe Spiritus Sanctus & gratia illius) verè *munus à DEO* præclariſſimum (cùm ſit donum optimum & perfectum de ſurſum deſcendens) *in quo omnes Adverſarij deijciuntur*, (cùm ſit ille ipſe, quo olim S. Michaël Luciferum ſuperavit dicens, quis ut DEUS?) ut adeò verè quivis Chriſtianus ad DEUM & Eccleſiam accedens dicat cum Davide: Non eſt alter huic ſimilis, da mihi eum.

2. Mach. ult. v. 16.

Ibid. v. 6.

1. Reg. 21. v. 10.

V. Ex occaſione thematis: *Ecce unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem*: poteſt alius effectus Confirmationis explicari ſcilicet Character impreſſus, per quem deputatur confirmatus in verum DEI ſervum, atque adeò Regem cæli juxta commune illud dictum Aſcetarum: ſervire DEO, regnare eſt. In prima itaque parte oſtendatur, quale ſit hoc regnum, pro quo confirmatus inungitur, quàm longè excedens omnia regna mundi, ſive dignitas, ſive abundantia, ſive potentia ſpectetur. In ſecunda oſtendatur, quomodo hoc regnum per hujus Sacramenti unctionem conferatur. In tertia parte demonſtretur, quanti hanc gratiam facere debeat quivis Chriſtianus, quòd perinde ut olim Saul, è tot millibus

1. Reg. 10. v. 1.

bus

bus hominum vera fide carentium electus ſit, ut in Regem, & quidem talem ungeretur. Quantopere adeò ſtudere debeat, ut Perſonam ſuam dignè ſuſtineat.

Pſ. 67. v. 29. VI. Ex occaſione thematis: *Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc, quod operatus es in nobis*: explicari poteſt, quidquid de hoc Sacramento cuivis Chriſtiano ſciendum eſt. Et in prima quidem parte oſtendatur, quando, à quo, & quem ob finem hoc Sacramentum inſtitutum ſit. In ſecunda oſtendatur, quàm convenienter hunc in finem omnes actiones & cæremoniæ in ejus adminiſtratione adhiberi ſolitæ, ſint electæ, utpote quæ omnes robur animæ conferri ſolitum ſignificant, nam *oleum* indicat eum perinde ut pugilem inungi, & ad certamen præparari: *Signatio in fronte* per modum crucis facta, ſignificat illum hâc cruce contra Hoſtes armari, illáque Eccleſiæ verba Hoſtibus dici: Ecce crucem Domini, fugite partes adverſæ: *Alapa* indicat actualem patientiam, quâ confirmatus omnes adverſitates pari alacritate ac tranquillitate accipere debet, quà nunc alapam ab Epiſcopo accipit. Excitentur proin Auditores, ut beneficium hoc agnoſcant, magni faciant, ardenter deſiderent & animo gratiſſimo amplectantur.

§. X.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Cant. 1. v. 3. I. QUod Sponſa de Sponſo dixit: Oleum effuſum nomen tuum: hoc pariter de nomine Chriſtiani dici poteſt, cùm verè talis à Chriſmate, quod eſt oleum balſamo mixtum, dictus ſit, atque adeò conari debeat, ut odorem bonæ vitæ & exempli undique à ſe effundat.

Neceſſitas.

Fab. conc. 6. in Feſto SS. Simon. & Juda. n. 1. II. Themiſtocles de Cretenſium Duce Theutide Orontho dicebat Athenienſibus: Non timete Theutidem, quia licet habeat gladium ad jugulandum, non tamen habet cor ad evaginandum. Idem de Chriſtianis baptizatis quidem, ſed nondum confirmatis dici poteſt.

Utilitas.

2. Cor. 1. v. 21. III. Triplicem Confirmationis effectum pulchrè S. Apoſtolus his verbis indicavit: Qui autem confirmat nos nobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos, (quâ unctione robur animæ denotatur,) qui & ſignavit nos, (charactere ſcilicet hujus Sacramenti) & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris (per gratiæ habitualis, *Fab. l. c. n. 4.* aliorúmque habituum ſupernaturalium infuſionem.

IV. Sicut S. Petrus Juveni, quem Simon Magus à morte excitare præſumpſerat, dixit: Si vivit, ſurgat, loquatur, ambulet; ita omnibus confirmatis dici poteſt: ſi vivitis gratiâ Spiritûs Sancti confirmati, ſurgite à tepore fidei ad fervorem: loquimini, fidem veſtram publicè prædicando & defendendo: ambulate ut Catholici per viam mandatorum, & vocationem veſtram dignis operibus certam facite.

§. XI.

AUTHORES.

I. Petrus Caniſius part. 2. c. 3.

II. Jacobus Marchantius in Horto Paſtorum tract. 3.

III. Philippus D'outreman in Pœdagogo Chriſtiano. p. 1. c. 1. §. 1.

IV. Antonius Dauroltius in Catechiſmo Hiſtoriali c. 5.

V. Matthias Faber conc. 6. in Feſto SS. Simonis & Judæ. & conc. 6. in Fer. 3. Pent. Item in Auctario them. 3. in Feſto Pent. & them. 4. in Fer. 2. Pent.

TITVLVS

TITVLVS IX.

CONSUETUDO.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Aug. de Muſ. EST habitus ſeu qualitas reddens facilitatem operandi. Hinc à S. Auguſtino quaſi ſecunda & quaſi affabricata natura dicitur.

Diviſio.

II. Dividitur in *Bonam* & *Malam*; illa eſt, quæ ex actibus virtutis generatur; hæc, quæ à vitioſis actibus progignitur.

Gradus.

Pſ. 1. v. 1. III. Indicantur à Davide, dum ait: Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum (acquirendo conſuetudinem) & in via Peccatorum non ſtetit (perſeverando in conſuetudine) & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, (etiam alios ad ſimilem conſuetudinem inducendo.

IV. Paulò aliter hos gradus aſſignavit S.
S. Aug. l. 8. conf. c. 5. Auguſtinus, dum dixit: Ligatus eram non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat Inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me: quippe ex voluntate perverſa facta eſt *Libido*: Et dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Ier. 13. v. 23. I. SI mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut Pardus varietates ſuas, & vos poteritis facere bene, tum didieeritis malum.

Pſ. 68. v. 15. II. Eripe me, de luto, ut non infigar: libera me ab ijs, qui oderunt me, & de profundis aquarum.

Prov. 22. v. 6. III. Adoleſeens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.

Eccl. 21. v. 17. IV. Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.

Ier. 8. v. 6. V. Attendi, & auſcultavi: nemo, quod bonum eſt, loquitur; nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dieens: quid feci? Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.

Utilitas.

Thren. 3. v. 27. VI. Bonum eſt viro, cùm portaverit jugum ab Aoleſcentia ſua.

Damnum.

VII. Languor prolixior gravat medicum: brevem languorem præcidit Medicus. *Eccl. 10. v. 11.*

VIII. Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum. *Iſ. 5. v. 18.*

IX. Lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra conſumitur: & homines ergo ſimiliter perdes. *Iob. 14. v. 19.*

§. III

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. DIfficulter eraditur, quod rudes animi perbibierunt. Recens teſta diu & ſaporem retinet & odorem, quo primùm imbuta eſt. *S. Hier. Ep. 7.*

II. Permoleſtum eſt, & vix toleratu poſſibile vel ipſis brutis, amoveri à conſuetudine. *S. Baſil. ho. 5.*

III. Vincere conſuetudinem, dura eſt pugna. *S. Aug. in Pſ. 30.*

IV. Moles impoſita ſepulchro, ipſa vis eſt dura conſuetudinis, quâ premitur anima, nec reſurgere, nec reſpirare permittitur. *Idem ſup. Matt. ho. 45.*

V. Nihil tam firmum eſt in rebus humanis, quàm veteris conſuetudinis Tyrannis. Ethici conſuetudinem alteram naturam dixerunt. *S. Chryſ. apud Langium in Pol. V. edit.*

Damnum.

VI. Peecata, quamvis magna & horrenda, cùm in conſuetudinem venerint, aut parva eſſe, aut nulla ereduntur, uſque adeò, ut non ſolùm non occultanda, verùm etiam prædicanda, diffamandáque videantur. *S. Aug. in Ench. c. 80.*

VII. Cùm culpa in uſum venerit, ei jam animus, etiam ſi appetat, debiliùs reſiſtit, quia quot vicibus pravæ frequentationis adſtringitur, quaſi tot vinculis ad mentem ligatur. *S. Greg. l. 4. mor.*

VIII. Uſitata culpa obligat mentem, ut nequaquam ſurgere poſſit ad rectitudinem: conatur, & labitur: quia ubi diu ſponte perſtitit, & ibi, cùm noluerit, coacta eedit. *Idem hom. 31. ſuper Evang.*

IX. Tenent pravæ conſuetudines, quem ſemel ceperunt, atque quotidie duriores exiſtunt: & non niſi eum peccatoris vita finiuntur. *Idem l. 15. mor.*

X. Quædam anguſtia eſt, à mala conſuetudine exurgere velle, nec poſſe: jam deſiderio ad ſuperna tendere, ſed adhuc actu in infimis remanere: præire corde, nec ſequi opere: atque à ſemetipſo contradictionem perpeti. *S. Greg. l. 26. mor. c. 31.*

Jucunditas.

XI. In dolore paries Filios. Verum, eſt Sacramentum hujus ſententiæ, quòd nulla abſtinen- *S. Aug. de Gen. contr. Manich.*

ſtinentia ſit à voluptate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem conſuetudo flectatur; quò cùm pervenerit, quaſi natus eſt Filius, id eſt, ad bonum opus paratus affectus per conſuetudinem bonam.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

L. 1. c. 11. §. 4. I. GRave eſt aſueta dimittere, ſed gravius eſt contra propriam voluntatem ire.

Ibid. II. Reſiſte in principio inclinationi tuæ, & malam dediſce conſuetudinem, ne forte paulatim ad majorem te ducat difficultatem.

L. 1. c. 13. §. 5. III. Quantò diutiùs ad reſiſtendum quis torpuerit, tantò in ſe quotidie debilior fit, & hoſtis contra eum potentior.

L. 1. c. 14. §. 3. IV. Antiqua conſuetudo difficulter relinquitur, & ultra proprium videre nemo libenter ducitur.

L. 1. c. 25. §. 4. V. Duo ſpecialiter juvant ad magnam emendationem: videlicet ſubtrahere ſe violenter, ad quod natura vitioſè inclinatur: & ferventer inſtare pro bono, quo ampliùs quis indiget.

L. 3. c. 5. VI. Obſiſtet inolita conſuetudo, ſed meliori conſuetudine devincetur. Remurmurabit caro, ſed fervore Spiritûs frenabitur. Inſtigabit, & exacerbabit te ſerpens antiquus, ſed oratione fugabitur.

L. 3. c. 35. §. 3. VII. Hinc accidit, quòd viam perfectionis agnoſco, & clarè ſatis video, qualiter agere debeam: ſed propriæ corruptionis pondere preſſus, ad perfectiora non aſſurgo.

§. V.

EXEMPLA.

Granat. in loc. com. f. 796. I. FIlij Iſraël, cùm captivi & inviti Babylonem ducti eſſent, poſtea conſuetudine vitæ exilium in Patriam, & captivitatem in voluntariam ſervitutem commutaverunt.

Matt. 26. II. S. Petrus in prima negatione tantùm negavit ſimpliciter Chriſtum dicens: neſcio, quid dicis. In ſecunda negavit cum juramento. In tertia verò cœpit deteſtari & jurare, quia non noviſſet hominem.

S. Aug. l. 8. conf. c. 12. III. S. Auguſtinus de ſeipſo fatetur: Plùs valebat in me deterius inolitum, quàm melius inſolitum. Et alibi: Ecce vobiſcum vivimus. Quis nos audivit aliquando jurantes? numquid non conſueveram quotidie jurare? *ſ. de Sanct.* at ubi legi, timui; luctatus ſum contra conſuetudinem meam, in ipſa luctatione invocavi Dominum Adjutorem. Præſtitit mihi Dominus adjutorium non jurandi. Nihil mihi facilius, quàm non jurare. Hoc ideo admonui caritatem veſtram, ne dicatis: quis poteſt?

Abdias l. 3. hiſt. Apoſt. IV. Nicolaus Senex cùm ſeptuaginta annis libidini vacâſſet, tandem ad S. Andream acceſſit, & ſanari petijt; S. Andreas igitur orans pro eo, & quinque diebus jejunans impetravit quidem eidem veniam & emendationem, ſed non aliâ conditione, quàm ut ipſe quoque jejunijs ſe affligeret; quare cùm ſex menſibus in pane & aqua jejunâſſet, poſtmodum plenus bonis operibus deceſſit, & vox S. Andreæ dixit: Per orationem tuam Nicolaum, quem perdideram, acquiſivi.

V. Diſcipulus quidam S. Dorothei cùm furari eſculenta cepiſſet tempore, quo non ſatis dabantur, furatus eſt etiam tunc, quando abundanter dabantur, & ſub lecto abſcondens, ac computreſcere ſinens, aſino tandem ea porrigebat. *S. Doroth. ſ. 11. ad Monachos.*

§. VI.

EXEMPLA PROFANA.

I. GRæca narrat hiſtoria, Alexandrum in moribus & in inceſſu, Leonidis Pædagogi ſui non potuiſſe carere vitijs, quibus adhuc parvulus fuit imbutus. *S. Hier. ep. 7. ad Lætam.*

II. Diogenes, dum improbum inveteratæ conſuetudinis hominem admoneret, interrogatus, quid ageret? Æthiopem lavo, reſpondit, addiditque, ſenem admonere, & mortuum lavare, idem eſſe. *Engelgr. Dom. 3. Quad. p. 2. Luca Evang.*

III. Mithridates Rex tam frequenter biberat venenum, ut denique ſine noxa biberet, & cùm etiam vellet, veneno occidere ſe, non poſſet. Unde Martialis: *Mart. l. 5. epigr. 77.*

Profecit poto Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

§. VII.

SIMILITUDINES.

I. SIcut morbi corporis inveterati nōn niſi longa & acri curatione ſanantur; ſic peccata inveterata, diuturnâ patientiâ, aſſiduâ oratione, & acerrimâ animi contentione curari oportet. *S. Baſil. in reg. fuſ. 55.*

II. Sicut gravi ſomno ſopiti, ſi excitentur, ſurgere quidem volunt, ſed ſuperati ſoporis altitudine remerguntur; ita ij, qui gravi conſuetudini ſunt immerſi, audito DEI verbo emendare quidem ſe ſtatuunt, ſed à conſuetudine victi iterum relabuntur. *S. Aug. l. 8. conf. c. 5.*

III. Sicut id, quod repetitis vicibus ac multo labore tinctum eſt, tincturam accipit preſſiùs inhærentem, & quæ vix elui queat; ſic anima ſanie peccatorum ſuperatâ, & in habitu conſtituta malitiæ, vix ac multo negotio elui poteſt. *S. Baſil. in cap. 2. Iſaiæ.*

IV. Sicut cadente pluvia lapides quidem madeſcunt, intùs verò ſuam ſiccitatem cum duritie ſervant; ſic dura corda imbrem eloquij divini foris accipiunt, & aliquo modo compluuntur, quia cum gaudio ſuſcipiunt verbum, ſed intus ſicca & arida manent, mala conſuetudine aditum gratiæ violenter prohibente. *Stapl. t. ſ. in Dom. Sexag.*

V. Sicut ad loca Nili, Catadupas appellata, habitantes prorſus nihil audiunt, *Ibid.*

Digitized by Google

quia nimio fluvij fragore ab altiſſimis montibus labentis, ſurditatem nativam cootrahunt; ſic qui cupiditatum ſuarum tumultibus diu aſueverunt, ſurditatem ſpiritualem contraxerunt, ut ſonum quidem confuſum verbi Divini audiant, clarum autem & intus penetrantem non admittant.

Ibid. VI. Sicut Puer avis pedem filo annexum tenens, aliquando longiùs avolare permittit, ſed mox retrahit captivam, eóque ludo mirè delectatur; ita Diabolus homines peccati conſuetudine irretitos tenens, aliquando ceſſare à peccato permittit, ſed mox per vinculum conſuetudinis ad ſe retrahit, non ſine grandi voluptate.

Idem them. 2. in Dom. 21. poſt Pent. VII. Sicut qui ceraſa manducat, ab initio duo vel tria duntaxat comedere ſtatuit, ſed poſtea eorum dulcedine allectus viginti aut centum ſumit, & valetudinem graviter lædit; ita peccatum unum contractum in aliud ſuâ dulcedine trahit.

Ibid. VIII. Sicut is, qui iter facit, & rivulum, quem facilè tranſcendere poſſet, oegligit, poſtea tam magnum reperit, ut omnino tranſvadere non queat; ſic qui peccata prima negligit, ea in conſuetudinem tracta vix ampliùs emendare poterit.

Idem. th. 7. in Dom. 15. poſt Pent. IX. Sicut ij, qui hecticâ febri laborant, ſi acuta ſuperveniat, hanc facilè curant, non autem illam, quia tenaciùs inhæret; ſic actus peccati unicus facilè emendatur, non item ſi in conſuetudinem evaſerit.

Ibid. X. Sicut maximum ſaxum in montis cacumine nullo negotio ſiſtitur; ubi autem in vallem præcipitatur, nullâ arte retineri poteſt; ita maxima Juſtorum peccata facilè ſanantur, impiorum autem in ſcelera ruentium etiam mediocria oon niſi difficillimè curari poſſunt.

Plin. l. 18. c. 5. XI. Sicut ij, qui aſueverunt, etiam in loco peſtilenti durant; ita incommoda parùm lædunt aſſuetos.

Idem l. 25. c. 2. XII. Sicut callus ſucceſſu temporis factus adimit ſenſum; ita conſuetudo facit ut diutina mala leviùs feramos.

Plutarch. in moral. XIII. Sicut qui diu in vinculis fuerunt, cùm ex illis ſolvuntur, tamen adhuc claudicant, nec gradi poſſunt; ita diu vitijs aſſueti, etiam cùm ea deſerunt, quædam eorum retinent veſtigia.

Stapl. te 2. in Dom. 11. poſt Pent. XIV. Sicut viridia ligna ſubjecto etiam igne uſque adeò oon accenduntur, ut ſæpius ipſum ignem extinguant; ſic humore vitiorum occupata pectora, non admittunt Spiritum Sanctum, ſed potiùs à ſe repelluot.

Ibid. XV. Sicut ij, qui naturâ ſurdi ſunt, ij pleúmque etiam muti ſunt, quia inſtrumentum, quo loqui diſcimus, auditus eſt; ſic qui ſpiritualiter ſurdi ſunt, nec audiunt, quid loquatur Dominus, etiam de DEO & divinis loqui non poſſunt.

§. VIII.

MOTIVA.

Ad conſuetudinem malam tollendam.

I. QUia conſuetudo mala eſt contitinuatum *Odium & inimicitia cum DEO:* ſi ergo Regem aut Principem ſuum nemo diu offenſum habere cupit; quantò magis odium & inimicitia cum DEO diu & ſponte ſovenda non erit, ſed illud Chriſti potiùs ob oculos habendum: Eſto conſentiens Adverſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne forte tradat te Adverſarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro, & in carcerem mittaris *Matth. 5. v. 26.*

II. Quia conſuetudo mala eſt *gladius anceps*, quo duplicantur & renovantur vulnera Chriſti Servatoris noſtri, ut adeò is meritò illis S. Bernardi verbis queratur: Nónne ſatis propter te vulneratus ſum? numquid ſatis pro iniquitate tua áfflictus ſum? magis aggravant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei. *S. Bern. in quod. ſerm.*

III. Quia conſuetudo mala eſt *catena*, per quam quis in captivitate Dæmonis detinetur; ſi ergo captivi Hominum tantopere laborant, ut vincula & catenas rumpaot, ſicque è captivitate corporali ſe liberent, cùm tamen ad hoc tantus labor & conatus, & pœnæ gravioris periculum requiratur; quantò magis rumpenda erit conſuetudinis pravæ catena, ut ab ipſius Diaboli captivitate liberemur, & morti æternæ eripiamur, maximè cùm hoc in noſtra ſit poteſtate, & id faciendo tantorum bonorum participes efficiamur.

IV. Quia conſuetudo mala eſt gravis *lethargus* animæ in manifeſtum ſalutis periculum eam conijciens; quis ergo non maturè ſalubribus hunc morbum remedijs depellere ſtatuat.

V. Quia conſuetudo mala eſt continuata *afflictio & inquietudo* animæ, utpote à fine ſuo recedentis, atque adeò ita Jeremiæ verba audire merentis: Scito, & vide, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum DEUM tuum, & non eſſe timorem DEI apud te, dicit Dominus Exercituum. *Jer. 2. v. 19.*

VI. Quia conſuetudo mala, omnia illa damna creat, quæ præcedente §. per ſimilitudines ſunt oſtenſa.

§. IX.

MEDIA.

I. ORatio: uti S. Auguſtinus exemplo ſuo docuit, qui, ubi amariſſima contritione cordis ſtatum ſuum deflevit, & à DEO auxilium expetijt, vocem audivit dicentem: tolle, lege, eáque lectione finitâ, quaſi luce ſecuritatis infusâ cordi, omnes dubitationis tenebras diffugere ſenſit. *S. Aug. l. 8. conf. c. 12.*

II. *Contraria conſuetudinis procuratio:* ita DEUS ipſe per Prophetam Baruch ſuaſit: *Baruch 4. v. 28.*

Sicut

Sicut fuit ſenſus veſter, ut erraretis à DEO, decies tantùm iterum convertentes requiretis eum. Sed & S. Hieronymus hoc ipſum medium Celantiæ ſuaſit his verbis: Aſperam nobis & inſuavem virtutum viam facit nimia vitiorum conſuetudo, quæ, ſi in alteram partem transferatur, invenitur ſemita juſtitiæ levis. Rationem verò hujus medij tam neceſſarij ulteriorem reddens Chæremon Abbas apud Caſſianum ſic loquitur: Non poſſunt deſideria præſentium rerum reprimi vel avelli, niſi pro iſtis affectibus noxijs, quos cupimus amputari, alij ſalutares fuerint intromiſſi. Nullatenus enim valet vivacitas mentis abſque alicujus deſiderij, vel timoris, vel gaudij, vel mœroris affectione ſubſiſtere, niſi hæc eadem in partem bonam fuerint immutata. Idcirco ſi carnales cupimus concupiſcentias de cordibus noſtris extrudere, ſpirituales, earum locis protinus plantemus voluptates, ut his ſemper animus noſter innexus habeat, quibus jugiter immoretur, ac illecebras præſentium ac temporalium reſpuat gaudiorum.

S. Hier. in ep. ad Celantiam.

Caſſian. Coll. 12. c. 5.

III. *Generoſa victoria ſui:* Sicut enim Agricola, cùm evellit ſilveſtre germen valido impacto ligone ſubvertit radicem, ſic peccata inveterata rudiùs exagitari, & fortiùs eradicari convenit. Unde meritò hîc locum habet illud pij Aſcetæ: Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris.

Stapl. to. 5. in ſeptuag.

Lib. 1. c. 25. de imit.

IV. *Amor DEI*; cujus efficatiam S. Auguſtinus exclamavit: Quam ſuave mihi ſubitò factum eſt, carere ſuavitatibus nugarum: & quas dimittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me vera tu, & ſumma ſuavitas: eijciebas eas, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini: omni luce clarior, ſed homini ſecreto & inferiori: omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe.

S. Aug. l. 9. conf. c. 1.

V. *Sincera confeſſio*: ſicut enim cibum noxium ac peſtilentem jam bili permixtum non aliter, quàm per violentum vomitum eijcere poſſumus; ita inveteratum peccatum, ſi ab eo interfici non volumus, non niſi per confeſſionem ſinceram eijci poteſt.

VI. *Conſilium & auxilium viri prudentis:* uti S. Bernardus his verbis ſuaſit: Eſt conſuetudo hæc gravis & pernicioſa quædam catena, ſolvenda utique faciliùs, quàm rumpenda: ut hîc maximè vulgare illud videatur uſurpandum proverbium, induſtriam violentiâ potiorem: ut, quemadmodum vis vi repellitur, & fervore Spiritûs fervor extinguatur deſideriorum, ut maligni artem arte deludas, & conſuetudini conſilium opponas. Neceſſarium itaque eſt conſilium, vel ab ipſo magni conſilij Angelo miniſtratum, vel ab homine aliquo Spirituali, qui cogitationes Sathanæ, Spiritualiáque remedia non ignoret.

S. Bern. in ſ. de 7. don.

VII. *Recta opinio de falſitate objecti tantopere concupiti:* nam, ut S. Auguſtinus dixit: ſolet recta opinio pravam corrigere conſuetudinem, & prava conſuetudo rectam depravare naturam.

S. Aug. l. de doct. Chriſt.

§. X.

ASCETICA.

I. TRia præcipuè circa conſuetudinem ab Aſceta ſpecialiter ſunt ſcienda & obſervanda. Primum eſt, ut bene cognoſcat aſtum Dœmonis, quo homines in conſuetudinem ſolet inducere, quem quidem aſtum S. Gregorius ſequentibus verbis indicat: Antiquus hoſtis priùs quaſi conſulens, blanda ad animum loquitur: Sed eùm ſemel dentem delectationis infixerit, violentiâ poſt conſuetudinem penè inſolubiliter innodatur.

S. Greg. l. 15. mor.

II. Alterum eſt, ut ſolidum ſciat modum, ejuſmodi pravas conſuetudines curandi, qui quidem in duabus præcipuè induſtrijs conſiſtit. Prior eſt, ut difficultatis opinionem tollat, eúmque in finem doctrinam S. Chryſoſtomi proponat dicentis: Quamdiu in fornace voluptatum conſiſtit, etiamſi exemplis abundet infinitis, ipſi res eſſe ſupra vires apparet: cæterum ſi vel leviter illinc cœperit egredi, itentidem procedens vim ignis à tergo relinquit, vidétque ante ſe, & ad pedes propemodum viam roſcidam, atque eximiæ facilitatis. Poſterior eſt, ut S. Auguſtini monitum obſervet ſic ad Aurelium ſcribentis de ebrietatis conſuetudine tollenda: Non aſperè, quantùm exiſtimo, non duriter, non modo impetuoſo iſta tollantur: magis docendo, quàm jubendo: magis monendo, quàm minando: ſic enim agendum eſt cum multitudine peccantium. Severitas autem exercenda eſt in peccata paucorum. Sic S. Bernardus grandi peccatori ſuadens, ut primùm ad honorem SS. Trinitatis per triduum abſtineret, poſt unum diem ad honorem B. V. adijceret, effecit, ut ultro diceret: Nolo ampliùs diurnas, ſed perennes cum DEO inducias inire.

S. Chryſ. in pareneſ. ad Theod.

S. Aug. ep. 64. ad Aurel.

Engelgr. Dom. 3. quadr. p. 2.

III. Tertium eſt, ut indicia emendatæ conſuetudinis congnoſcere ſtudeat, quorum primum eſt, minorem inclinationem ſentire ad objectum conſuetudinis, juxta illud Pſalmiſtæ: Exercitatus ſum, & defecit pauliſper Spiritûs meus. In quæ verba S. Gregorius commentans ſic loquitur: Quid eſt Spiritus meus, niſi Spiritus hominis, videlicet Spiritus electionis: & quia per occultam gratiam ad DEI amorem, deſuper temperatâ menſurâ proficimus, quantò nobis quotidie de DEI Spiritu virtus creſcit, tantò Spiritus noſter deficit. Qui Spiritus erroris, quia non ſubitò penitus à nobis amputatur, bene pauliſper defeciſſe perhibetur. Secundum ſignum eſt, poſitivam ad illud objectum difficultatem ſentire, nam teſte S. Macario, affectuum carentia paratus eſt ſtatus animæ, ſecundùm quem difficulter movetur anima erga malitiam. Tertium, tentationibus facilè

S. Greg. l. 22. mor. c. 14.

Caſſian. coll. 6. c. 10.

facilè reſiſtere; hoc enim proprium eſt perfectorum, ut ab omni Diabolica impugnatione ſecuri, abſque ullo labore & difficultate vitia carnis vel reſpuant, vel abſcindant. Quartum, naturalem quandam nauſeam & horrorem erga illa objecta experiri; quemadmodum enim ſolis lumen ſanum oculum ad ſeipſum pertrahit, ſic DEI cognitio puram mentem, per caritatem naturaliter ad ſeipſum allicit, teſte S. Maximo. Quintum, moralem quandam impoſſibilitatem ſentire, & dicere poſſe cum S. Paulo: Certus ſum, quia neque mors, neque vita &c. neque alia creatura poterit nos ſeparare à charitate DEI.

S. Max. de carit. c. 1. n. 31. — *Rom. 8. v. 38.*

§. XII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Pſ. 118. v. 61.

I. EX occaſione thematis: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me:* poteſt Conſuetudo Dalilæ, Peccator Samſoni comparari, & per hiſtoriæ illius narrationem oſtendi, quomodo Peccator per eam ab initio funibus Conſuetudinis conſtringatur, dein tradatur inimicis, ſeu Dæmonibus, tum ab his excæcetur, & in molentino malitiæ circumagatur ab uno peccato in aliud deductus, ſicque gaudium inimicis fiat.

Eccleſ. 4. v. 12.

II. Ex occaſione thematis: *Funiculus triplex difficile rumpitur:* poteſt conſuetudo funiculo tali comparari, propter actus frequentatos, ſimúlque oſtendi, quàm meritò deteſtandus ſit, ſive dæmonem, qui per eum nos captivos tenet; ſive periculum damnationis æternæ, ad quam ea captivitas tendit; ſive difficultatem ſolutionis conſideremus. Quia tamen nihil impoſſibile eſt apud DEUM, excitentur Auditores ad auxilium à cælo petendum, gladiúmque generoſæ reſolutionis in manus ſumendum, funiculúmque hunc ad modum Alexandri, nodum Gordium ſolventis, reſecandum.

1. Reg. 18. v. 45.

III. Ex occaſione thematis: *Tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini Exercituum:* poterit conſuetudo Goliatho comparari, & oſtendi, quàm grandis & difficilis ſuperatu Peccatori videatur; poſſit tamen ſuperari, ſi in nomine & auxilio DEI ſperet, & per fundam generoſæ reſolutionis aliquot lapides contrariorum actuum in eum conijciat. Quem in finem narrari poterit hiſtoria de Adoleſcente, cui Gigas terribilis apparuit, quem, cùm fugere vellet, ab Angelo adſtante aggredi potiùs juſſus, mox, ubi eum invaſit, ſecundante Angelo feliciter ſuperavit.

Jo. 11. v. 43.

IV. Ex occaſione thematis: *Lazare, veni foras:* poteſt conſuetudinarius Peccator Lazaro comparari. Et 1. dici, quòd verè ſit mortuus quoad animam. 2. Quòd lapis conſuetudinis ſit impoſitus ſepulchro. 3. Quod quatridnanus ſit propter perſeverantiam in peccato, ideóque jam fœtere coram DEO & Angelis incipiat. 4. Quòd non niſi à Chriſto excitari poſſit per gratiam, ita tamen ut ipſe etiam veniat foras, & ſepulchrum malæ vitæ & occaſionum, remoto ſaxo malæ conſuetudinis, relinquat. Vide de hac materia fuſiùs Henricum Engelgr. in Dom. 3. Quadrageſ.

§. XIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. FAc tibi conſueſcat. Nil conſuetudine majus, *Ovid. art. 2.*

Quam tu, dum capias, tædia nulla fuge.

II. Gutta cavat lapidem, conſumitur annulus uſu, *L. 4. de pont. eleg. 1.*

Et teritur preſſâ vomer aduncus humo.

III. Polyænus dicebat, initium capere exiguum conſuetudinem, neglectam autem vires maximas ſumere. *Max. de conſuet.*

IV. Vulpes, cùm nunquam Leonem vidiſſet, & ei primo occurriſſet, ita fertur exterrita, ut penè mortua conciderit. Eundem iterum conſpicata, extimuit quidem, ſed non ut priùs. Tertiò autem occurrentem uſque adeò non timuit, ut etiam accedere, & colloqui auderet. *Lang. in polyant.*

V. Rectè Poëta Ovidius cecinit: *Ovid. 1. Remed.*

—— Serò medicina paratur,
Dum mala per longas invaluère moras.

VI. Et alibi:

Ars fit, ut à teneris crimen condiſcitur annis. *Idem.*

VII. Habet hoc infelix conſuetudo peccandi, inquit Emyſſenus, ut, quantò ampliùs quis peccaverit, tantò minùs ſe peccâſſe intelligat. *Emiſſen. apud Engelgrav. p. 2. Dom. 3. Quadr.*

Damnum.

VIII. Deſinit remedio eſſe locus, ubi, quæ fuerint vitia, mores fiunt. *Plin. l. 25. c. 4.*

IX. Conſuetudo, novis Principum tributis ſimilis eſt, quæ urgente neceſſitate imponuntur, ſed poſtea etiam ceſſante eâ continuantur. *Gran. in loc. comm. f. 796.*

§. XIV.

AXIOMATA.

I. QUò ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem *Horat. l. 1. epiſt. 2.*
Teſta diu.

II. Qui non aſueſcit virtuti, dum juveneſcit, à vitijs neſcit diſcedere, quando ſeneſcit. *Maxim. in ſ. de S. Io. Bapt.*

III. Nemo repente fuit turpiſſimus. *Iuven. Sat. 2.*

IV. Graviſſimum eſt imperium conſuetudinis. *Sen. in Prov.*

V. Non erit illuſus, qui ſic facit, ut tenet uſus.

Jung gewohnt / Alt gethan.

Cui puer aſueſcit, major dimittere neſcit.

VI. Wider die Warheit / Gewalt / und Gewonheit / iſt böß fechten. *Florileg.*

§. XV.

§. XV.

AUTHORES.

I. JOannes Buſæus in Panario.

II. Ludovicus Granatenſis in locis communibus f. 795.

III. Joannes Langius in Polyanthæa. V. eodem.

IV. Joannes Major in ſpeculo Exemplorum, V. eodem.

V. Henricus Engelgrave in p. 2. Lucis Evang. Dom. 3. Quadr.

VI. Thomas Stapletonus ſe. 5. in Dom. Sexag. & te. 2. Dom. 11. poſt. Pent. & te 7. Dom. 15. poſt Pent.

TITULUS X.

CRUX.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Maxim. in S. de Mart. PRout hic accipitur, eſt afflictio ſeu tribulatio propter Chriſtum tolerata. Uti clarè indicavit S. Maximus dicens: Crux non ſolùm dicitur, quæ tempore paſſionis ligni afflictione conficitur, ſed quæ totius vitæ curriculo cunctarum diſciplinarum virtutibus coaptatur, ut non ſolùm intelligatur Crux ligni patibulum, ſed piæ vitæ virtutiſque propoſitum. Unde omnis Chriſtiani vita, qui ſecundùm Evangelium vixerit, Crux eſt atque Martyrium.

Diviſio.

II. Dividitur præcipuè in *corporalem*, & *ſpiritualem*; illa eſt, quâ corpus affligitur; hæc, quâ Spiritus cruciatur: utraque verò ſubdividi poteſt in eam, quæ in *abſtinendo* & *ſuſtinendo* ſuſcipitur.

Actus.

Heb. 11. v. 26. III. Primus eſt *magni æſtimare*; uti Moyſes fecit, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti.

IV. Secundus, *ardenter deſiderare*: uti S. Tereſia deſideravit, aſſiduò in ore habens: aut pati, aut mori.

V. Tertius, *promptè acceptare* ad exemplum S. Lupi, Attilam hoſtem his verbis excipientis: Salve flagellum DEI. Aut S. Andreæ ſic Crucem eminus conſpectam ſalutantis: Salve Crux pretioſa, ſuſcipe Diſcipulum ejus, qui pependit in te Magiſter meus Chriſtus. Et iterum: O bona Crux, diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata! ſecurus & gaudens venio ad te: ita & tu exultans ſuſcipias me Diſcipulum ejus, qui pependit in te. *Surius in vita.*

Iob. 1. VI. Quartus eſt, *patienter ſufferre*: quemadmodum S. Job docuit, in omnibus calamitatibus non peccans labiis ſuis.

Act. 5. v. 41. VII. Quintus eſt, *gaudere in tribulationibus*, uti SS. Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati.

VIII. Sextus eſt, *Gloriari ob Crucem*, uti S. Paulus fecit dicens: Abſit mihi gloriari, niſi in Cruce Domini mei JESU Chriſti. *Gal. 6. v. 14.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. IN omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut DEI miniſtros, in multa patientiâ, in tribulationibus. *2. Cor. 6. v. 4.*

II. Nemo moveatur in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis, quòd in hoc poſiti ſumus. *1. Theſ. 3. v. 3.*

III. Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, ut requieſcam in die tribulationis, ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum. *Habac. 3. v. 16.*

Neceſſitas.

IV. Nónne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? *Luc. 24. v. 26.*

V. Omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto perſecutionem patientur. *2. Tim. 3. v. 12.*

VI. Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes, ergo adulteri, & non Filii eſtis. *Hebr. 12. v. 8.*

VII. Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum DEI. *Act. 14. v. 21.*

VIII. Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. *Matth. 10. v. 38.*

IX. Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe Diſcipulus. *Luc. 14. v. 26.*

X. Omnes, qui placuerunt DEO, per multas tribulationes tranſierunt fideles. Illi autem, qui tentationes non ſuſceperunt cum timore Domini, & impatientiam ſuam, & improperium murmurationis ſuæ contra Dominum protulerunt, exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt. *Judith 8. v. 23.*

Æquitas.

XI. Meritò hæc patimur, quia peccavimus *Gen. 42. v. 21.*

in Fratrem noſtrum (Chriſtum) idcirco venit ſuper nos hæc afflictio.

Judith. 8. v. 26. XII. Non ulciſcamur nos pro his, quæ patimur, ſed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia minora eſſe flagella Domini, quibus quaſi ſervi corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem eveniſſe credamus.

Job. 2. v. 10. XIII. Si bona ſuſcepimus de manu DEI, mala quare non ſuſcipiamus?

Job. 11. v. 6. XIV. Utinam intelligeres, quòd multò minora exigaris ab eo, quàm meretur iniquitas tua.

Job. 33. v. 27. XV. Peccavi, & verè deliqui; & ut eram dignus, non recepi.

Prov. 3. v. 11. XVI. Diſciplinam Domini, Fili mi, ne abjicias, nec deficias, cùm ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus, corripit, & quaſi Pater in Filio, complacet ſibi.

Utilitas.

Tob. 3. v. 13. XVII. Benedictum eſt nomen tuum DEUS Patrum noſtrorum, qui, cùm iratus fueris, miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

Ibid. v. 21. XVIII. Hoc habet pro certo omnis, qui te colit, quòd vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur: ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur.

Pſ. 33. v. 19. XIX. Juxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde, & humiles Spiritu ſalvabit.

Eccliſ. 31. v. 2. XX. Infirmitas gravis ſobriam facit animam.

Eccl. 35. v. 26. XXI. Specioſa DEI miſericordia in tempore tribulationis, quaſi nubes pluvia in tempore ſiccitatis.

Iſaia. 1. v. 25. XXII. Excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.

Rom. 8. v. 18. XXIII. Exiſtimo, quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram, gloriam, quæ revelabitur in nobis.

2. Cor. 4. v. 17. XXIV. Id, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

2. Tim. 2. v. 12. XXV. Si commortui ſumus, & convivemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus.

Matth. 5. v. 10. XXVI. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

Ibid. v. 11. XXVII. Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.

Eccl. 3. v. 17. XXVIII. In die tribulationis commemorabitur tui, & ſicut in ſereno glacies, ſolventur peccata tua.

Hebr. 12. v. 11. XXIX. Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris, poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis reddet juſtitiæ.

Pſ. 77. v. 34. XXX. Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculò veniebant ad eum.

Dignitas.

XXXI. Diſciplinam Domini, Fili mi, ne abjicias, nec deficias, cùm ab eo corriperis, quem enim diligit Dominus, corripit, & quaſi Pater in Filio complacet ſibi. *Prov. 3. v. 11.*

XXXII. In paucis vexati, in multis bene diſponentur, quoniam DEUS tentavit eos, & invenit eos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos & in tempore erit reſpectus illorum. *Sap. 3. v. 5.*

XXXIII. Nemo veſtrûm patiatur ut homicida, aut ut fur, aut maledicus, aut alienarum rerum appetitor. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem DEUM in iſto nomine. *1 Petr. 4. v. 15.*

XXXIV. Hæc eſt gratia, ſi propter DEI Conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patienter ſuffinens. *1. Petr. 2. v. 19.*

Jucunditas.

XXXV. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. *Pſ. 22. v. 4.*

XXXVI. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. *Pſ. 93. v. 19.*

XXXVII. Omne gaudium exiſtimate, Fratres, cùm in varias tentationes incideritis, ſcientes, quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur; patientia verò opus perfectum habeat. *Jac. 1. v. 2.*

XXXVIII. Replenus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. *2. Cor. 7. v. 4.*

XXXIX. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. *2. Cor. 1. v. 5.*

XXXX. Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. *1. Petr. 4. v. 13.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. NEmo poterit nos ſeparare à caritate DEI, etiam mortem minando, quia DEUM non amare, vera mors eſt: nec vitam promittendo, quia eum amare, vita eſt. Nec Angeli nos ſeparabunt, quia uniti cum DEO Angelis fortiores erimus. Nec Virtutes, quæ in hunc mundum poteſtatem habent, quia DEUM amando Mundo ſuperiores ſumus. Non moleſtiæ præſentes, quia DEI amor eas leviores facit. Non ſpes futurorum, quia qui DEUM amant, jam omnia poſſident præſentia. Non altum, nec profundum; quid enim poteſt cælum mihi offerre, ut eum deſeram, qui ipſum condidit cælum? & quid mihi poteſt minari infernus, quo amorem DEI deſeram, quem ſi non deſeruiſſem, quid infernus eſt, ignorarem? *S. Aug. ſup. verb. quis nos ſeparabit.*

II. Ne in immenſum volumen extendam, *S. Hier. de*

quære,

cuſt. Virg. ep. 22. quære, & invenies ſingulos (Sanctos) adverſa perpeſſos; ſolus in deliciis Salomon fuit, & forſitan ideo corruit.

S. Aug. l. de Paſt. III. Flagellat DEUS omnem Filium, quem recipit, & tu fortè exceptus eris? ſi exceptus es à paſſione Flagellorum, exceptus es à numero Filiorum.

Neceſſitas.

Idem in ſ. de paſſ. IV. Anthor pietatis in cruce pendens teſtamentum condidit, ſingulis pietatis opera diſtribuens, Apoſtolis perſecutionem, Judæis corpus, Patri Spiritum Paranymphum Virgini, Latroni Paradiſum, Peccatori infernum, Chriſtianis verè pœnitentibus crucem commendavit.

Idem in pſ. V. Nullus Servus Chriſti ſine tribulatione eſt; ſi putas te nondum habere perſecutiones, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus.

S. Cypr. de bono pat. VI. Unuſquiſque noſtrûm cùm naſcitur, & hoſpitio hujus Mundi excipitur, initium ſumit à lacrymis, & quamvis adhuc omnium ignarus, nihil aliud novit in illa ipſa prima nativitate, quàm flere.

S. Aug. in pſ. 55. VII. Vox eſt Apoſtoli: Omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur; ſi ergo non pateris pro Chriſto ullam tribulationem, vide, ne nondum cœperis in Chriſto piè vivere.

Utilitas.

S. Aug. ſup. pſ. 60. VIII. In fornace ardet palea, & purgatur aurum; illa in cinerem vertitur, & illud ſordibus exuritur. Fornax mundus, aurum juſti, ignis tribulatio, artifex DEUS. Quod vult ergo Artifex, facio: ubi ponit me Artifex, tolero. Jubeor ergo tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, & ad conſumendum me, illa quaſi in cinerem vertitur, ut ego ſordibus caream.

S. Greg. in mor. IX. Tantò ſpes in DEO ſolidior ſurgit, quantò pro illo quiſque graviora pertulerit, quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hîc priùs pia tribulatione ſeminatur.

Idem. X. Aurem cordis tribulatio aperit, quàm ſæpe proſperitas hujus mundi claudit.

Idem. XI. Electis ſuis ad ſe pergentibus Dominus hujus Mundi iter aſperum facit, ne, dum quiſque præſentis vitæ requie, quaſi viæ amœnitate paſcitur, magis eum diu pergere, quàm citiùs pervenire delectet, ne, dum oblectatur in via, obliviſcatur, quod deſiderabat in Patria.

Idem. XII. Sanctorum mentes æternitatis præmia præſtolantea, vires ex adverſitatibus ſumunt, quia creſcente pugnâ glorioſiorem ſibi non ambigunt manere victoriam. Electorum deſideria, dum premuntur, adverſitate proficiunt, ſicut ignis flatu premitur, ut creſcat, &c, unde quaſi extingui cernitur, inde roboratur.

Idem. XIII. Afflicti terrena perdimus, ſed afflictionem humiliter ſuſtinentes cœleſtia multiplicamus.

S. Aug. in ſ. de Paraſc. XIV. Hodie Crux fixa eſt, & ſeculum ſanctificatum eſt: hodie crux fixa, & Dæmones diſperſi ſunt: hodie crux fixa eſt, & mors ſubverſa eſt: hodie crux vicit, & mors victa eſt, hodie Diabolus vinctus eſt, & homo ſolutus eſt, & DEUS glorificatus eſt.

S. Greg. in moral. XV. Nemo, quantùm profecerit, niſi inter adverſa cognoſcit; quia unuſquiſque ſuperni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit; ſed quantùm perceperit, in adverſitate perturbationis oſtendit.

S. Bern. ſ. 48. in Cant. XVI. Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. Bene confixus, quia converſus exinde eſt. Bene pungeris, ſi compungeris. Multi, cùm ſentiunt pœnam, corrigunt culpam. Spina culpa eſt, ſpina pœna eſt, ſpina falſus Frater, ſpina vicinus malus. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter Filios.

S. Aug. ep. 67. XVII. Quid non miſericorditer præſtatur hominibus à Domino DEO, à quo etiam tribulatio beneficium eſt? nam res proſpera donũ eſt conſolantis, res autem adverſa donum eſt admonentis DEI.

S. Chryſ. ho. 62. ad pop. XVIII. Magnum bonum tribulatio, & hoc ex noſtris diſcimus Filiis, nam abſque tribulatione nihil utile diſcerent, nos autem plus illis afflictione indigemus; à puerulis enim nunquam magna committuntur peccata, à nobis magna nimis. Pædagogus autem noſter tribulatio.

Gloſſ in 1. Reg. 25. XIX. Electi preſſuris tribulationum conſtringuntur, ut his admoniti arctiùs ad invicem mutuâ caritate nectantur, & adunati per manus Redemptoris in perpetuum conſerventur. Reprobi, quantò latiùs voluptatibus ſuis dimittuntur, tantò longiùs à divinæ viſionis gloria projiciuntur.

S. Chryſ. ho. 66. ad pop. XX. Faſtum contrahit, & omnem excutit torporem, & ad patientiam ungit, & humanarum rerum vilitatem revelat tribulatio.

Æquitas.

Ven. Beda ſup. illud Iac. omne gaudium. XXI. Ne indignemini, ſi mali in hoc mundo floreant, & vos patimini; quia non eſt Chriſtianæ Religionis in mundo exaltari, ſed deprimi; mali nihil habent in cælo, vos nihil in mundo, ſed ſpe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in via contigerit, gaudere debetis.

S. Petrus Chryſ. in epiſt. XXII. Hæc omnia operatur Dominus, ut det nobis vexatio intellectum. Trituratur granum, ut reponatur in horreo: quadratur lapis, ut ſine ſonitu mallei in ædificio templi collocetur. Movetur turbo, ut Elias rapiatur in cælum. Maximum eſt remedium interioris hominis, ſi in hac area mundi variis paſſionum flagellis trituretur exterior.

Caſſiod. ſup. pſalm. XXIII. Parva toleramus, ſi recordemur, quid biberit ad patibulum, qui invitat ad cælum.

S. Hier. in Reg. Mon. c. 19. XXIV. Delicatus es, Frater cariſſime, ſi hîc vis gaudere cum ſæculo, & ibi regnare cum Chriſto.

Dignitas.

S. Chryſ. ho. 3. de pat. Iob. XXV. Magna dignitas, regnóque & conſulatu, & omnibus honoribus major, pro Chriſto ligari; nihil enim tam clarum eſt, quàm pro Chriſto vinctum eſſe, ita ut catenæ circumdatæ S. Pauli manibus, Apoſtolatu ejus & doctoratu multò ſint illuſtriores, majoríque veneratione dignæ. Si quis flagrat amore Chriſti, vincit potentiam vinculorum, malit fortaſſe vinctus eſſe pro Chriſto, quàm cælos inhabitare. Si quis me cælo donet omni, vel eâ, quâ manus Pauli vinciebatur, catenâ, illam ego honore præponerem. Si quis me cum Angelis ſtatuat, aut cum Paulo vincto, vincula eligerem; etenim nihil meliùs, quàm mala pati pro Chriſto.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas.

L. 2. c. 11. I. HAbet JESUS nunc multos amatores regni ſui cæleſtis, ſed paucos bajulatores ſuæ crucis. Multos habet deſideratores conſolationis; ſed paucos tribulationis.

L. 2. c. 12. §. 1. II. Durus multis videtur hic ſermo: Abnega temetipſum, tolle crucem tuam, & ſequere JESUM. Sed multò duriùs erit audire illud extremum verbum: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.

Neceſſitas.

Ibid §. 3. III. Ecce in cruce totum conſtat, & in moriendo totum jacet, & non eſt alia via ad vitam, & ad veram internam pacem niſi via Sanctæ Crucis.

Ibid. IV. Diſpone & ordina omnia ſecundùm tuum velle & videre, & non invenies, niſi ſemper aliquid pati debere, aut ſponte, aut invitè, & ita Crucem ſemper invenies.

Ibid. §. 4. V. Non potes effugere, quocunque cucurreris; quia quocunque ieris, teipſum tecum portas, & ſemper teipſum invenies.

Ibid. VI. Converte te ſupra, converte te infra: converte te extra: converte te intra, & in his omnibus invenies crucem.

Æquitas.

§. 6. VII. Credis tu evadere, quod nullus mortalium potuit præterire? Quis Sanctorum in Mundo ſine cruce & tribulatione fuit? Nec enim JESUS Chriſtus Dominus noſter unâ horâ ſine dolore paſſionis fuit. Et quomodo tu aliam viam quæris, quàm hanc regiam viam, quæ eſt via Sanctæ Crucis.

§. 7. VIII. Tota vita Chriſti crux fuit & Martyrium, & tu quæris requiem & gaudium.

L. 3. c. 56. §. 4. IX. Verè vita boni Monachi crux eſt, & dux Paradiſi. Inceptum eſt, retrò abire non licet, nec relinquere oportet.

Utilitas.

X. Nihil DEO acceptiùs, nihil tibi ſalubrius in mundo iſto, quàm libenter pati pro Chriſto. L. 2. c. 12. §. 14.

XI. Si libenter crucem portas, portabit te, & ducet te ad deſideratum finem, ubi ſcilicet finis patiendi erit. Ib. §. 5.

XII. In cruce ſalus, in cruce vita, in cruce protectio ab hoſtibus, in cruce infuſio ſupernæ ſuavitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium Spiritûs, in cruce ſumma virtutis, in cruce perfectio ſanctitatis. Ib. §. 2.

XIII. Hoc ſignum crucis erit in cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit. Tunc omnes ſervi crucis, qui ſe Crucifixo conformaverunt in vita, accedent ad Chriſtum Judicem cum magna fiducia. Ib. §. 1.

Dignitas.

XIV. Ambula, ubi vis: quære, quodcunque volueris: & non invenies altiorem viam ſuprà, nec ſecuriorem viam infrà, niſi viam Sanctæ crucis. Ib. §. 3.

XV. Utinam dignus eſſes aliquid pro nomine JESU pati; quàm magna gloria remaneret tibi: quanta exultatio omnibus Sanctis DEI; quanta quoque ædificatio eſſet proximi. Ib. §. 13.

Jucunditas.

XVI. Quando ad hoc veneris, quòd tribulatio tibi dulcis eſt, & ſapit pro Chriſto, tunc bene tecum eſſe exiſtima, quia inveniſti Paradiſum in terra. Ib. §. 11.

XVII. Si ponis te, ad quod eſſe debes, videlicet ad patiendum & moriendum, fiet citò melius, & pacem invenies. Ib. §. 12.

§. V.

EXEMPLA.

Qualitas.

I. SAncti Martyres, teſte Apoſtolo, alii ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Hebr. 11.

II. Jeremias Prophetiæ Spiritu plenus, & in utero ſanctificatus dicebat de ſe, quòd fuerit vir rixæ & diſcordiæ in univerſa terra, & quòd omnes maledicebant ei. Ier. 1. & 15.

III. S. Paulus erat in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, & tamen dicebat: Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. 2. Cor. 11.

IV. S. Gertrudis adeò didicerat, tribulationes de manu DEI accipere, ut nulla res adverſa, ne peccatum quidem aut imperfectio ab ipſa commiſſa fiduciam illius in DEUM concutere aut imminuere poſſet. Bloſius c. 11. monil. n. 5.

Pædag. Chriſt. to 2. lec. 5. ſect. 6. S. Bonav. in vit. c. 14.

V. S. Tereſia dicere ſolebat: Nolim tribulationes cum omnibus mundi theſauris commutare.

VI. S. Franciſcus Seraph. morbos ac dolores Fratres ſuos appellabat, ideóque Fratrem quendam hortantem, ut à DEO ſublevationem peteret, graviter increpuit, móxque in terram ſe abjiciens dicebat: Gratias tibi ago, Domine DEUS, pro dolore, quem patior, & ſupplex oro, ut eum in centuplum augeas, ſi tibi ita placet. Quid enim mihi gratius eſſe poſſit, aut debeat, quàm ut affligendo, mihi nullo modo parcas, ſiquidem voluntate tua nihil habeam antiquius.

Pæd. l. c. 15.

VII. S. Thecla poſt ſuperatas fidei cauſâ beſtias, ignem, carceres, animo plùs heroico ita DEUM affata eſt: Ecce me, ô Chriſte, ecce paratam me omnibus vitæ diebus, quævis incendia, vincula, & carceres pro nomine tuo ſuſtinere, & pro majori ſemper gratia ac favore habebo talia perpeti, quàm ſi quibuſcunque mundi theſauris & deliciis daretur perfrui. Hanc unam à te mi DEUS, gratiam poſtulo, ut tormenta liceat & multa, & continua, pro nominis tui gloria perferre.

Æquitas.

Dauroli. c. c. 1. t. 45. ex. 5.

VIII. Ad proceres Francos in Ægypto captivos, belli Sacri temporibus, acceſſit Princeps Saracenus, & quæſivit, num crederent in unum DEUM, qui pro ipſis in cruce mortuus eſt? illis affirmantibus addidit, eos mœſtos aut puſillánimes eſſe non debere, ſi tantulam calamitatem ſubirent ejus nomine, qui extrema ſupplicia pro ipſis exantlâſſet, eóſque nondum ad mortem pro ipſo certâſſe. Quod ſi tantæ poteſtatis fuit, ut triumphata morte ſeipſum à ſepulchro excitârit, certò in animum inducere oportere, fore ut etiam ipſos brevi calamitatibus tantis eximeret. Seriam, verámque fuiſſe conſolationem, ſecuta brevi libertas probavit.

Fab. conc. 5. in feſto invent. S. Crucis.

IX. Lambertus Conſul Harlemenſis, cùm à tumultuantibus Calviniſtis ob Eccleſiæ authoritatem defenſam, patibulo adjudicatus, illud eminus videret, dixit: Quid extimeſcimus lignum? etenim ſi olim gloriæ Dominum crucifixerunt, quid nobis ejus ſervis exſpectandum? anne major ſervus Domino ſuo?

Utilitas.

Euſ. Nierenb. de amore IESV, c. 32.

X. Ad S. Mechtildem morbo afflictam acceſſit aliquando ſponſus illius JESUS, eámque à ſiniſtro latere amplexus aſſeruit; cùm afflictus eſt quiſpiam, & graviùs excruciatur, tum ſe lævâ illum ſuâ amplecti, ut ſinum cordi ipſius tantò propiùs viciniúſque conjungat.

Spec Ex. V. amor ollect. tut ex. 5.

XI. Cùm Græcus quidem Adoleſcens in Ægypti Cœnobio graviter à fornicatione impugnaretur, nullóque medio illam expugnare poſſet: Abbas Monaſterii Domeſticis præcepit, ut eum aſſiduis jurgiis, conviciiſque inſectarentur; quo facto, paulò pòſt interrogatus, num adhuc carnis ſtimulos ſentiret? reſpondit: vivere mihi faſtidioſum eſt, & quomodo fornicari libeat?

Ib tit. cal. glor. ex. 8.

XII. S. Franciſcus cùm aliquando graviſſimo oculorum dolore vexatus, robur à DEO peteret, audivit à Chriſto, inexplicabile ſibi in cælis prœmium pro illis parari, & ad hoc ſe per hos dolores inveſtiri.

Dauroli. c. 2. 33. ex 4.

XIII. Wenceslaus Bohemiæ Rex cùm toto exercitu profligato captius teneretur, rogatus, quo animo eſſet, reſpondit, nunquam meliori; cùm enim omnibus præſidiis humanis vallatus eſſem, vix de DEO cogitandi ſpatium dabatur; nunc illis omnibus exutus DEUM ſolum cogito, & in eo ſpem meam colloco, qui me, ſat ſcio, non deſeret, ſed invocantem exaudiet.

In vita oper. præfixa.

XIV. Taulerus Doctor ex S. Dominici ordine; cùm non diu ab obitu vir cuidam, qui juſſu DEI illum ad inſignem vitæ Sanctimoniam adduxerat, & eidem morienti adſtiterat, apparuiſſet, roganti, quæ cauſa fuiſſet, cur poſt longam viginti ſeptimanarum ingenti cum dolore toleratam paralyſim, vitam tam horribili fine clauſiſſet, qui multos de ſalute ipſius anxios, dubióſque feciſſet, reſpondit, id ideò factum, ut ab igne purgatorio liber in cælum evaderet. Cæterùm, ajebat, ſe in mortis agone à Dæmonibus in eas fuiſſe conjectum anguſtias, ut propè deſperârit, tandem tamen bonitate DEI factum, ut in ipſo mortis articulo adfuerint Angeli, ac in cæli atrium deportârint, juſſum ibi dies quinque exſpectare, non alio doloris ſenſu, quàm qui ex deſiderio videndi DEI oriebatur.

Iarric. l. 6. hiſt. orient.

XV. Anno 1606. dum unus in oppido quodam Chinenſi concionatur, eique Adoleſcens quiſpiam blaſphemo ore inſultat, mox DEI vindicta ſic adoleſcentem hunc ſecuta eſt, ut, ſi oculos deorſum flecteret, nihil videret; omnia verò, ſi ſurſum cor converteret, intueri poſſet. Quare unicum malo huic remedium Baptiſmũ ratus, hunc proximè ſuſcipere proponit, & illico viſum recipit. Sed cùm propoſitum exequi diutius differret, eodem malo redeunte caſtigatus reſipuit tandem, & Baptiſmum ſuſcepit.

Dignitas.

Spec. Ex. tit. tribul. ex. 6.

XVI. Cùm aliquando Matrona quædam Miſſam audiret, poſt elevationem vidit tres Moniales ad Altare flectentes, & ad eas pulcherrimum Puerulum de Altari currentem, qui primã quidem amoroſè amplexus eſt, & deſuaviavit, ſecundam blandis oculis remoto velo aſpexit, tertiam verè pugnis percuſſit, & pedibus truſit, iterúmque ad Altare abiit. Cùm verò Matrona factum hoc ſummopere mirata, cauſam illius rogâſſet, audiit primam Monialem valde nutare in propoſito, ſtatimque ad ſeculum redituram, niſi conſolationibus cæleſtibus in propoſito firmaretur. Alteram con-

ſtantiorem eſſe, & contentam, modò aliquid ſaporis cæleſtis interdum deguſtare detur. Tertiam verò adeò in amore DEI firmam eſſe, ut nullis ſe adverſitatibus ab eo ſeparari ſinat, & hanc ſibi ex omnibus illis tribus gratiſſimam eſſe.

Jucunditas.

2. Cor. 7. v. 4. XVII. S. Paulus de ſeipſo dixit: Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.

Iob. 6. v. 9. XVIII. S. Job quoque dixit: Qui cœpit, ipſe me conterat: ſolvat manum ſuam, & ſuccidat me, & hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore non parcat.

Surius 8. Iul. XIX. S. Procopius Martyr Judici tormenta augenti dixit: Falleris, ô Judex, ſi me tuis tormentis ad negandum Chriſtum inducere ſperas: quin crede potiùs, nihil illis gratiùs, jucundiúſque exiſtere poſſe. Quid enim ei, qui Chriſtum amat, jucundiùs eſſe poteſt, quàm pati propter Chriſtum? Quæ gazæ opulentiores eſſe poſſunt? quæ, ſi tu nôſſes, quantùm emolumenti mihi tormentis tuis accedat, non patereris inde me, quem odiſti, tam locupletem & beatum fieri.

Surius 29. Mart. XX. S. Jonas natione Perſa, noctem, quam nudus totóque corpore laceratus in ſummo frigore exegerat, tam ſuavem ſibi ac jucundam fuiſſe dixit, ut ſimilem totâ vitâ non ſit expertus, rationémque addidit: Conſolatio enim mihi præſtò fuit ex Sancto illo ligno, cui Dominus meus JESUS affixus erat.

Brev. Rom. 18. Iun. XXI. SS. Marcus & Marcellianus ad palum ferreis clavis affixi dixerunt Tyranno: Nunquam tam jucundè epulati ſumus, quàm hæc libenter JESU Chriſti cauſâ perferimus.

Ib. 5. Febr. XXII. De S. Agatha quoque ſcribitur, quòd lætiſſimè & glorianter ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas invitata, agonem ſuum Domino commendârit.

§. IV.

EXEMPLA DOMESTICA.

Qualitas.

Ribad. l. 5. c. 10. I. S. Ignatius tanti æſtimabat carceres, probra, perſecutiones, ut apertè diceret, ſi hæc una in parte ſtateræ collocarentur, & in altera, quidquid à DEO creatum eſt, appenderetur, vix hoc omne præ prioribus momentum aliquod apud ſe habiturum. Hinc procul dubio contigit, ut cùm abſens eſſet Ignatius, quietiſſimè ſocii viverent, cùm ad eos rediret, ſtatim perſecutio aliqua in omnes oriretur.

Hiſt. Soc. p. 1. l. 2. n. 105. II. S. Franciſcus Xaverius & P. Simon Rodericius, dum Olyſſipone cernunt ſibi omnia ad votum fluere, angebantur, quòd nullis perſecutionibus exercerentur, quibus, ſi diu careret, dicebat Xaverius, videri ſibi nequaquam fideliter militare.

Hiſt. Soc. p. 1. l. 5. n. 78. III. P. Petrus Faber, dum Anno 1545. Vallisoleti præclarè laborat, fructu ad votum reſpondente, ſine ulla perſecutione, dicere ſolebat, niſi olim S. Ignatius in Hiſpania tam multa paſſus fuiſſet, meritò ſe potuiſſe tam ſecundum Hiſpanienſis rei curſum habere ſuſpectum, ut qui jam uſu didicerat, quod B. Marcus Anachoreta prodidit, DEUM exploratâ indignitatis noſtræ ratione, pleraque hominibus auxilia conſueviſſe præviâ calamitate conferre.

Vita l. 3. c. 4. IV. P. Conzalus Silveria quocunque in cubiculo habitaret, in quatuor parietis partibus cruces formabat, aut affigi curabat, ut ſemper illa imago Chriſtum crucifixum in memoriam revocaret, & inſuper moveret, à domando corpore & comprimendis animi affectionibus nullo ſibi loco aut tempore eſſe ceſſandum.

Annua Peruan. 1601. V. P. Petrus de Anaſco adhuc Adoleſcens tanto flagrabat patiendi deſiderio, ut ſervos flexis genibus, & muneribus etiam ad ſe cædendum alliceret.

Utilitas.

Rib. l. 5. c. 10. VI. S. Ignatius à quodam Patre interrogatus, quæ compendioſiſſima ad perfectionem via eſſet? reſpondit: ſi multa & magna adverſa pro Chriſti amore patiare. Pete hanc gratiam à DEO, nam cui Dominus hoc tribuit, multùm tribuit; hoc enim uno beneficio multa continentur, & magna beneficia.

Vita. VII. S. Franciſcus Borgia dicebat, tamdiu ſocietatem in flore ſuo permanſuram, quamdiu adverſis exercetur; his deficientibus timendum eſſe, ne etiam ipſa deficiat.

Vita l. 2. c. 11. VIII. P. Petrus Faber dicebat, DEUM interdum permittere, ut homines divinâ gratiâ indigentes juſtis moleſti eſſent, ut ab eis tum exempla humilitatis, tum precum auxilia reciperent, per quæ deſcenderent in ſeipſos, & ad meliora converterentur.

Jucunditas.

Ribad. l. 5. c. 10. IX. S. Ignatius dicere ſolebat, à nulla re creata animam ita exhilarari poſſe, ſicut à Spiritu Sancto exhilarantur ii, qui multa, magnáque pro DEO patiuntur.

Trigaut. l. 5. c. 6. X. P. Joannes Baptiſta Machado captus in Japonia, ſic ſcripſit ad Amicum: Affirmo Reverentiæ veſtræ, & ipſiſſimam ſcribo veritatem, me præſentem rerum ſtatum cum totius orbis Imperiis non permutaturum. Nunquam vixi mea ſorte æquè contentus, nunquam æquè hilarem me ſenſi, nunquam æquè ſine cura ac ſollicitudine me reperi. Accepto mortis nuntio, dixit, tres dies ſibi in vita jucundiſſimos accidiſſe, nempe cùm Societatem in-

ingreſſus, cùm captus eſſet, cùm mortis nuntium accepiſſet; de quo ſic ad ſuperiorem ſcripſit: Hâc ipſâ horâ laureatus ad me Martyrii nuntius advenit; Morior ſolatio plenus, quia pro bono JESU morior.

Vita c. 13.

IX. P. Carolus Spinola ex carcere ſcripſit: Non capit animus gaudia, quibus jam diffluo. Tantum veræ voluptatis nunquam expertus ſum. O quàm dulce eſt pro Chriſto pati! id jam experientiâ his carceris latebris concluſus diſco.

P. Franc. Solier hiſt. Iap. l. 19. c. 21.

X. Camillus Conſtantius Anno 1622. Firandi flammis exuſtus aſſiduò DEUM laudavit, & ad adſtantes dixit: O quàm mihi bene! quàm bene! quàm bene! donec tandem totus ambuſtus, cùm mortuus crederetur quinquies *Sanctus* mirabili vocis ſuavitate cantavit, & expiravit.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Greg. in moral.

I. Sicut aromata fragrantiam ſuam, non niſi cùm incenduntur, expandunt; ita Sancti viri omne, quod virtutibus redolet, in tribulationibus innoteſcit.

S. Bern. ſuper Cant.

II. Sicut ſtellæ de die latent, de nocte lucent; ſic vera virtus, quæ ſæpe in proſperis non apparet, in adverſis eminet; illud ſanè cautelæ eſt, hoc neceſſitatis.

S. Aug. ſ. 3 de temp.

III. Sic ſunt boni & mali, quomodo ſi duo vaſa ſint plena, & unum habeat putredinem, & aliud aromata pretioſa, cum uno ventilabro ventilata. Illud vas, ubi fuerint aromata, odorem deſiderabilem, aliud autem fœtorem intolerabilem reddit; ita ſimul boni ac mali diſcretè quidem turbati, ſed alto DEI judicio ſeparati. Quoties aliqua in mundum tribulatio venerit, qui boni ſunt, velut Sancta vaſa gratias agunt DEO, qui eos caſtigare dignatur; illi verò ſuperbi, luxurioſi, cupidi, blaſphemant, & murmurant contra DEUM dicentes, ô DEUS, quid tanti mali fecimus, ut talia patiamur?

S. Chryſ. ho. 4 ad pop.

IV. Sicut Aurifex, donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit, ſic DEUS tribulationis nubem non abducit, donec nos penitus emendaverit.

S. Greg. l. 21. mor. c. 4.

V. Sicut vitulus ad laboris uſum victurus ſub jugo retinetur, mactandus autem in liberis paſtibus ſaginatur. Et ſicut arbores fructiferæ in colligendis fructibus vexantur, lacerantur, ſpoliantur, diutiſſimè tamen vivere permittuntur; infrugiferæ verò intactæ ſtant, ſed citiùs exciduntur, ut in ignem mittantur: Et ſicut ægris deſperatis omnia conceduntur, iis verò, quibus ſpes ſalutis ſubeſt, amara medicamenta applicantur; ſic reprobi bonis hujus mundi ſaginantur, & à tribulationibus immunes, aut minùs ſaltem obnoxii manent; electi verò laboribus & ærumnis exercentur.

Stapl. to. 1. in Dom. 5. poſt. Paſch.

VI. Sicut Præceptores ab illis Diſcipulis plùs penſi exigunt, & eos acriùs examinant, de quorum profectu majorem ſpem concipiunt; ſic DEUS per tribulationes magis exercet eos, quos in virtute magis proficere advertit.

Ibid. tom. 4.

VII. Sicut Falco, dum vivit, manu Aucupis geſtatur, delicatè nutritur, & in ſummo otio perpetuam voluptatem capit, mortuus autem in ſterquilinium abjicitur; Gallina verò vivens in ſterquilinio paſcitur, & in angulis domûs deliteſcere cogitur, occiſa verò purgatur, conditur, apponitur in argentea patina, & à Principibus in ventre ſepelitur; ita mali in hac vita honorantur, & electi deſpiciuntur, poſt mortem verò diverſa utrorumque eſt ratio.

S. Chryſ. in c. 3. Mat.

VIII. Sicut granum plenum mox, ut leviter percuſſum fuerit, de palea ſua exilit foras; ſi autem ſubtile fuerit, tardiùs egreditur; ſi vacuum, nunquam egreditur, ſed in palea manet, & cum ea foras jactatur; ſic omnes homines in rebus carnalibus delectantur velut grana in palea, ſed qui fidelis eſt, & boni cordis habet medullam, mox ut leviter tribulatus fuerit, negligens, quæ ſunt carnalia, currit ad DEUM: ſi autem modicè infidelior fuerit, cum grandi tribulatione vix recedit, & vadit ad DEUM: Qui autem infidelis eſt & vacuus, non egreditur, ſed in malis conſtitutus conteritur, & in infernum projicitur.

Idem in c. 7. Mat. ho. 19.

IX. Sicut Botrus multa in ſe grana ligno mediante ſuſpendit; ſic & Chriſtus multos ſibi fideles per lignum Crucis adjunctos.

Neceſſitas.

Polyanth. Lang. V. Crux.

X. Sicut corpus non poteſt conſtare citra Exercitium; ita nec anima aut mens diu poteſt valere citra vexationem.

XI. Sicut cera, niſi recaleſcat aut præmolliatur, non facilè in ſe recipit ſigilli impreſſionem; ita & homo niſi laborum & multivariæ infirmitatis probetur exercitio, nequaquam ſinet inſigniri ſe ſignaculo divinæ gratiæ.

Æquitas.

Anonymus.

XII. Sicut Filii plerumque valde amant locum, in quo nati ſunt; ita quivis Chriſtianus meritò amat Crucem, utpote in qua & ipſe, & Eccleſia nata eſt.

Idem.

XIII. Sicut ſi Rex aliquis poculum in alicujus ſanitatem ebibiſſet, non poſſet quis recuſare, ſi viciſſim in ſanitatem Regis poculum illud deguſtandum duntaxat offerretur; ita cùm Chriſtus in noſtram ſanitatem totum calicem paſſionis exhauſerit; meritò indecorum videtur, ut nos poculum tribulationum non guſtare ſaltem velimus.

Nierenberg. in l. de adorat.

XIV. Sicut ſi quis particulam de materiali Chriſti cruce donaret, magna cum voluptate, gratiq; animi ſignificatione acciperemus; ita ſi quis de cruce ſpirituali ejuſdem Chriſti particulam nobis donet, tantò majori pro beneficio agnoſcere debemus, quantò iſta præſtaſtior eſt cruce materiali.

Stapl. to. 6. in Dom. 15. poſt. Pent.

XV. Sicut is, qui in mare ſe præcipitare volentem ſiſteret, etſi aliqua in parte corporis vulneraret, non nocuiſſe, ſed ſingulare beneficium contuliſſe diceretur; ita Peccatorem in tartara ruèntem percutiens DEUS, maximo afficere beneficio cenſendus eſt, atque adeò tribulatio æquo animo accipienda eſt.

Utilitas.

Nierenb. berg de ador.

XVI. Sicut is, quem audire præſentes non volunt, percuſſione alicujus rei aut ſono edito ſilentium & audientiam ſibi conciliat; ſic DEUS, quando homines eum audire nolunt, percuſſione, id eſt, tribulationibus eos attentos reddit.

Granat. in loc. com. f. 520.

XVII. Sicut Abſolon Joab ſe vocatum & venire recuſantem, incenſione meſſis compulit; ſic DEUS homines obſtinatos per tribulationes ad ſe venire compellit.

Idem.

XVIII. Sicut pia Mater nunquam magis ad conſolandùm & fovendum Filium accurrit, quàm cùm vehementer plorantem cernit; ita DEUS nullibi proprior eſt ſervis ſuis, quàm cùm in tribulatione gemunt.

S. Greg. in mor.

XIX. Sicut ignis flatu premitur, ut creſcat, & unde quaſi extingui cernitur, inde roboratur, ita Electorum deſideria, dum premuntur adverſitate, proficiunt.

S. Aug. in Pſ.

XX. Sicut ſub eâdem tribulâ ſtipulæ comminuuntur, & frumenta purgantur; & uno motu exagitatur cœnum, & ſuaviter fragrat unguentum; ita una tribulatio irruens bonos probat, purgat, & eligit; malos reprobat, exterminat, & annihilat.

Iſ. 31. v. 9.

XXI. Sicut equus toto impetu currens freno conſtringitur, & curſum ſiſtere cogitur; ita DEI manus impios tangens camo ac freno maxillas conſtringit eorum, qui non approximant ad eum.

Stapl. t. 6. in Dom. 15. poſt Pent.

XXII. Sicut Ericius quantumcunque ſe ſpinis ſuis involvat, tamen ſi calidâ aquâ perfundatur, ſe aperit; ita peccatores licet altâ conſuetudine vallati, ſi tribulatio acris superveniat, reſipiſcunt, & ad DEUM ſe convertúnt.

Ibid.

XXIII. Sicut Cervus, dum nimis urgetur à canibus, ad hominem ſponte fugit; ſic tribulationes peccatorem quaſi canem perſequentes, ad Dominum redire compellunt.

Idem to. 1. in Dom. 20. poſt. Pent.

XXIV. Sicut Equorum Domitor, cùm alia ratione equum frenare nequit, pinguiori pabulo privat, & paleas offert; ita DEUS refractarios homines calamitatibus immiſſis ad frugem revocat.

XXV. Sicut mortuæ carnes in aqua dulci corrumpuntur, in ſalſa conſervantur, & à navigantibus ad extremos uſque mundi fines incorruptæ deferuntur; ſic humanus animus laboribus perficitur ac roboratur, deliciis verò diffluit, & diſſolvitur. *Ibid.*

XXVI. Sicut Sagitta corpori affixa dolorem affert, & remedium quærere compellit, ſic tribulatio dolorem cordi affert, &, ut in cogitatione æterni boni ſolatium quæramus, facit. *Ibid.*

XXVII. Sicut, qui vineam putant, adſtringunt ejus vites, & internè continent, ut majore cum temperamento procedat ad proferendos utiles fructus; ad eundem modum contingit animæ aſſiduitate afflictionum incurvatæ. Quodammodo in ſe contrahitur, ſeque humiliter dimittit, atque humiliat, atque ad ſui diligentem cuſtodiam retrahitur. E contrario anima, quæ indulgenter ac remiſsè vivere ſinitur, perinde atque vinea quæpiam neglecta luxuriat, & ſilveſcit ſarmentis, ſeque effundens circa incommoda, nec ullam afferentia frugem, nativo ſucco exhauritur. *S. Baſil. in c. 5. Iſaia.*

XXVIII. Sicut pluvia in terram cadens erigit ſemina; ſic tribulatio animum ingreſſa erigit deſiderium. *S. Chryſ. ho. 14. in Matth.*

XXIX. Sicut viator cautiùs ambulat, quando vel denſæ ſilvæ aut loco periculoſo appropinquat, aut tranſitum difficiliorem invenit; ita tribulatione gravi obortâ actionum noſtrarum veſtigia cautiùs ponimus. *Stapl to. 1. in Dom. 4. poſt. Epiph.*

XXX. Sicut virga Moyſis abjecta in ſerpentem, noxium animal, converſa eſt; aſſumpta verò mira patravit, & viam per mare ad terram lacte & melle manantem aperuit; ita tribulatio abjecta in majus damnum cedit; patienter verò tolerata, viam ad cælum reſerat, alióſque admirandos fructus parit. *Pædagog. Chriſt. to. 2. p. 1. c. 5. ſect. 6.*

Dignitas.

XXXI. Sicut lana, & linum, antequam illa pannus bonus, hoc tela ſubtilis fiat, tundi, neri, texi, & pecti debent, variámque fortunam ſubire; ſic ut vaſa in honorem fiamus, multa pati, variis ærumnis diſponi & exerceri priùs nos oportet. *Stapl. l. c.*

XXXII. Sicut fertum, quod in optimam & artificioſiſſimam figuram paratur, ſæpius ad incudem repetitur; ita quò quiſque majoribus deſtinatur eò pluribus his malis affligitur. *Langius in Polyanth. V. eod.*

Jucunditas.

XXXIII. Sicut Alcyones hyeme mediâ, ſummâ fruuntur tranquillitate, & hanc etiam aliis communicant; ita cùm maximè ſævit fortuna, maximâ animi tranquillitate fruuntur pii, & hanc in alios quoque transfundunt. *Ibid.*

XXXIV. Sicut Medicamentum à principio amarum faſtidio eſt, ubi verò con- *Ibid.*

coctum

Digitized by Google

coctum fuerit, dulceſcit; ita tribulatio & anxietas manifeſtam conſolationem parit.

Staplet. to. 1. in Dom. 3. poſt Paſch.

XXXV. Sicut Faber, ubi ferrum in fornace mollivit, mox aquâ aſpergit, ut temperet; ſic tribulationis ignis aquâ ſemper divinæ conſolationis temperatur.

Ibid.

XXXVI. Sicut ſtrenuo militi ipſæ Cicatrices, & vulnera in bello accepta, materia voluptatis ſunt; ſic ipſa triſtitia juſtorum gaudio illis eſt.

§. VIII.

MOTIVA

Ad crucem patienter ferendam.

Granat. in loc. com. fol. 516.

I. N*Eceſſitas* : nam, ut bene nonnemo advertit, omnia ferè, quæ ad humanæ vitæ uſum pertinent, longa contritione & labore ad hoc præparantur. Ager, ut fructum ferat, proſcinditur. Frumentum, ut panis fiat, in piſtrino & clibano conteritur, & coquitur. Uva quoque & olea in torculari exprimuntur, ut ſuo nos liquore alant. Linum verò quàm multa patitur, ut linteum ex eo conficiatur? Sunt & animalia, quæ cæſa flagellis odorem ſuaviſſimum emittunt. Quid ergo mirum, ſi homo quoque flagellis & preſſuris eruditur, & perficitur?

II. *Æquitas* : cùm enim Chriſtus, velut Caput noſtrum, per tribulationum & crucis januam in gloriam intraverit; an non æquiſſimum eſt, ut per eandem etiam membra ingrediantur? Adde, quòd, ut benè advertit Lipſius, origo crucis à DEO ſit, id eſt, non ab ipſo ſummo bono ſolùm, ſed bonorum omnium Authore, capite, fonte, à quo non magis alienum eſt, ut malum aliquod emanet, quàm ut ipſe ſit malus. Si ergo bona de manu illius grato, hilarique animo ſuſcipimus, cur non mala ſeu adverſa pari æquanimitate, alacritatéque ſuſcipiamus?

S. Greg. l. 9. mor. c. 27.

III. *Utilitas* : ſive ad *purgandam* animam; nam, teſte S. Gregorio, ab Electis ſuis iniquitatum maculas ſtudet DEUS temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult vindicare. Sive ad *illuminandam*; nam aurem cordis tribulatio aperit, quam ſæpe hujus mundi proſperitas claudit, ut idem Sanctus ait. Sive ad *unendam*: hinc S. Auguſtinus ad DEUM ſuſpirans, unco, inquit, crucis retrahe me ab hoc pelago ad te, ſolamen unicum, quem à longè, quaſi ſtellam matutinam, & ſolem juſtitiæ, vix lacrymantibus oculis in litore cæleſtis patriæ me exſpectantem video.

In Soliloq.

Philip. 2.

IV. *Dignitas* : quæ enim major eſſe poteſt dignitas, quàm Chriſto, Filio DEI ſimilem fieri, qui, quia humiliavit ſeipſum factus obediens uſque ad mortem crucis, accepit nomen ſuper omne nomen?

Matth. 11.

V. *Jucunditas* : nam tribulatio eſt jugum illud ſuave, & onus leve, ad quod tollendum jam olim tam amicè Chriſtus invitavit.

In feſto Inv. Cruc.

VI. *Securitas* : de hac enim tribulatione ſeu cruce uſurpari poteſt illud Eccleſiæ: Ecce ſignum crucis: fugite partes adverſæ. Et iterum: In hoc vinces.

§. IX.

MEDIA

Ad crucem leviùs ferendam.

S. Greg. hom. 35. in Evang.

I. P*Ræmeditatio* : minùs enim, inquit S. Gregorius, feriunt jacula, quæ prævidentur, & nos tolerabiliùs mundi mala ſuſcipimus, ſi contra hæc per patientiæ clypeum munimur. Hinc Chriſtus ad ſuos Apoſtolos dixit: Hæc locutus ſum vobis, ut, cùm venerit hora, eorum reminiſcamini. Verè enim, quæ alij diu patiendo levia faciunt, vir ſapiens levia facit diu cogitando.

Jo. 16. v. 14.

Pſ. 49. v. 15.

II. *Oratio* : ſic enim DEUS ipſe per Davidem ſuaſit dicens: Invoca me in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me. Et iterum: Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. Et ſanè non minùs eum id præſtitiſſe, quàm promiſiſſe, idem Propheta teſtatur: Clamaverunt ad Dominum, cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos. Unde meritò S. Paulinus orationem Naufragorum tabulam vocavit.

Pſ. 90. v. 15.

Pſ. 106. v. 13.

Pſ. 22. v. 5.

III. *Communio Sacra* : hæc enim eſt menſa, de qua S. David dixit: Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos, qui tribulant me. Cujus neceſſitatem adeò apprehendit S. Cyprianus, ut dicere non dubitârit, idoneum non poſſe eſſe ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium; & mentem deficere, quam non recepta Euchariſtia erigit, & accendit.

S. Cypr. l. 1. ep. 2.

S. Greg. in mor.

IV. *Conſideratio Providentiæ Divinæ*, quâ ejuſmodi tribulationes permittit; uti ſapienter monet S. Gregorius, dum ait: Quiſquis adverſitate & tribulatione frangitur, à quo factus eſt, minimè contemplatur; nam qui, quod non erat, fecit, factum ſine gubernatione non deſerit; & qui benignè hominem condidit, nequaquam injuſtè cruciari permittit; nec ſinit neglectè perire, quod eſt, qui hoc etiam, quod non fuit, creavit ut eſſet.

S. Aug. ſuper pſ. 21.

V. *Conſideratio peccatorum ſuorum*: quemadmodum S. Auguſtinus ſuaſit his verbis: Intelligat homo, medicum eſſe DEUM, & tribulationem Medicamentum eſſe ad ſalutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento poſitus ureris, ſecaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſanitatem.

Caſſiod. ſuper pſ.

VI. *Conſideratio paſſionis Chriſti* : parva enim toleramus, ſi recordemur, quid biberit ad patibulum, qui invitat ad cælum, ait rectè Caſſiodorus; nec ſentit ſua vulnera miles, qui Ducis ſui vulnera intuetur.

S. Greg. in mor.

VII. *Conſideratio præmii* : nam, ut ſapienter S. Gregorius dixit, quiſquis in ſolo deſiderio æternitatis figitur, nec proſperitate attollitur, nec adverſitate quaſſatur, dum nihil habet in mundo, quod appetat, nihil eſt, quod in mundo pertimeſcat. Sicut ergo Urſi al-

veria invadentes, favorum dulcedine allecti, facilè apum aculeos & vulnera contemnunt; ſic Sancti viri cæleſtis dulcedinis certâ exſpectatione roborati, nihil non ferendum ſibi putant, ut eâ potiantur. Verè enim non ſunt *[Rom. 8. v. 18.]* condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

VIII. *Conſideratio pœnæ infernalis:* hæc enim efficiet, ut fateri cogamur, non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad æterna ſupplicia, quæ damnati patiuntur, atque adeò ultro cum S. Auguſtino exclamemus, & dicamus: Hîc ure, hîc ſeca, modò parcas in æternum. Verè enim maximum amoris argu- *[Seſſ. 14. c. 9. can. 13.]* mentum eſt, inquit Concilium Tridentinum, quòd Divinæ munificentiæ largitas non ſolùm pœnis ſponte à nobis, piè vindicando peccata ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio, pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam temporalibus flagellis à DEO inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud DEUM Patrem, per JESUM Chriſtum ſatisfacere valeamus.

IX. *Conſideratio amoris*, quo DEUS immittit tribulationes, de quo Chriſtus olim S. *[Lib. 4. vit. c. 17.]* Tereſiæ dixit: Crede, Filia mea, quantò quis à Patre meo plùs diligitur, tantò plùs ab eo afflictionis illi immittitur. Nôſti, quale inter nos Matrimonium intercedat, per quod fit, ut omnia mea tua ſint, adeóque dolores, laboréſque omnes, quos unquam perpeſſus ſum, ad te pertinere exiſtima.

§. X.

ASCETICA.

I. TRia ſunt, quæ Aſceta de Cruce ſpecialiter obſervare debet. Primum eſt, ut benè cognoſcat fines, ob quos à DEO ejuſmodi tribulationes immitti ſolent, qui quidem ad tres fermè revocari poſſunt, videlicet 1. ad *correptionem*: quem finem Salo- *[Sap. 12. v. 1.]* mon indicavit, dum dixit: O quàm bonus & ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus! ideóque eos, qui exerrant, partibus corripis: &, de quibus peccant, admones, & alloqueris, ut relictâ malitiâ credant in te, Domine. Et idipſum confirmans Scriptor li- *[2 Mach. 6. v. 16.]* bri Machabæorum ait: Propter quod nunquam quidem à nobis miſericordiam ſuam amovet: corripiens verò in adverſis Populum ſuum non derelinquit. 2. *Ad probationem*: quem finem iterum Salomon indicavit, *[Prov. 17. v. 3.]* dum dixit: Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Domi- *[Eccl. 27. v. 6.]* nus. Et iterum: Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis. Hinc *[Tob. 12. v. 13.]* Tobiæ cæcitate perculſo dixit Angelus: Quia acceptus eras DEO, neceſſe erat, ut tentatio probaret te. 3. *Ad dilectionis oſtenſionem*; uti ipſe non ſemel ſuis amicis indicavit, *[In 2. Chron. S. Franc. p. 4. l. 7. c. 24.]* præcipuè dum B. Baptiſtæ Veranæ dixit: Recordare, magis me tibi oſtendiſſe ſignum amoris, dum te afflixi, quàm dum tenerem in dulciſſimis brachijs meis. Et iterum S. Gertrudi, dùm eam vehementer turbatam his verbis conſolatus eſt: Ne contriſtare; dele- *[L. 3. inſin. c. 63.]* ctor enim tuâ cohabitatione, ideo ut mecum maneas, mitto tibi amicos contrarios, ut, dum in nulla creatura fidelitatem reperis, ad me plenius recurras. Cujus cauſam alibi reddens *[L. 4. inſin. c. 60.]* eidem dixit: Singula detrahentium verba ſume tibi loco virtutum, quibus exornata pervenies ad me, & ego compaſſivâ pietate meâ compulſus benignè ſuſcipiam te. Et quantò plùs converſatio tua ſine culpa reprobatur, eò ampliùs cor meum amatoriâ blanditate tibi condeſcendit, quia per hoc efficeris mihi ſimillima, qui in operibus meis ſemper habui perverſores. Præ ceteris verò hoc ipſum confirmat, quòd quondam Chriſtus per Catharinam quandam Ordinis Carmelitarum Monialem, *[Pal. Chriſt. to. 2. p. 1. c. 3. ſect. 7.]* vitæ ſanctitate celebrem, ad venerabilem Annam à S. Bartholomæo eiusdem Ordinis, graviſſimos dolores magnâ conſtantiâ patientem ſcribi juſſit, ubi poſt alia ſic loquitur: Quò quiſque de meis unquam mihi fuit gratior, amiciórque, hoc majorem crucis meæ partem ſingulari ex favore impoſui ferendam. Ita Apoſtoli mei, ita ipſa Mater mea experta eſt, cujus animam doloris gladius in tantum pertranſivit, ut merito ſuo Martyrum Martyr & Regina nuncupetur.

II. Alterum eſt, ut bene ſciat artem, quâ tribulationes & crucem hujuſmodi portare, ſolidúmque ex ijs fructum reportare debeat, nimirum 1. *Ardenter deſiderando crucem*; quod facilè obtinebit, ſi non ad dolorem aut moleſtiam exteriùs apparentem, ſed fructum intus latentem attendat. Certè. B. Angela *[Vita c. 20.]* de Fulginio dixit: Scio, Filioli mei, quòd nobilitas & valor, qui exit de tribulatione, non eſt nobis cognitus, alioqui eſſet de illo magna rapina, & quilibet raperet ab alio, de quo tribulari poſſet. 2. *Alacriter & cum gaudio ſuſcipiendo ac portando crucem:* amantium more, qui, dum mutuò ſibi manus etiam cum dolore comprimunt, gaudent potiùs, complacéntque ſibi in tali dolore, quàm triſtentur, eò quòd ſciant, ipſum ardentiſſimi amoris argumentum eſſe. 3. *Conſtanter eam uſque ad finem portando*: exemplo Chriſti, deſcendere ex ea nolentis, etiamſi à Judæis ad id incitatus fuerit.

III. Tertium eſt, ut efficax ſibi remedium procuret, quo animus ad Crucem explicato modo portandam animetur, ac roboretur, quale quidem præ reliquis reſpectu Ho- *[Th. Kemp. l. 3. c. 5. §. 4.]* minis ad perfectionem tendentis, cenſeri debet Amor; nam hic, pio Aſceta teſte, onus non ſentit, labores non reputat, plùs affectat, quàm valet: de impoſſibilitate non cauſatur, quia omnia ſibi poſſe & licere arbitratur.

§. XI.

§. XI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Luc. 14. v. 26.

I. EX occaſione thematis : *Qui non bajulat crucem ſuam , & venit poſt me, non poteſt meus eſſe Diſcipulus :* poteſt tribulatio conſuetudini quarundam Academiarum, ſeu, ut vocari ſolet, *Depoſitioni* comparari, quâ omnes Juvenes priùs , quàm ad ſcholas admittantur, & in Diſcipulorum numerum adoptentur , varijs vexationibus exerceri, & probari ſolent. Oſtendatur proinde 1. quàm præclara ſit ſchola Chriſti , ob ſapientiam cæleſtem , quæ ibi addiſcitur. 2. Qualia privilegia participent Diſcipuli illius ſcholæ , nimirum ut ſint omnes nobiles, & quidem verâ nobilitate, quæ ex virtute oritur : Deinde ut immunes ſint à tributo triſtitiæ , quod plerúmque homines pati nolentes pendere debent : item ut ſingularem habeant præcedentiam ante alios homines extra hanc ſcholam conſtitutos : Et tandem, ut , ubi ex hac vita ad patriam proficiſci voluerint , vectigal in purgatorio pendere non cogantur. 3. Inferatur, quàm æquum ſit , ut quiſque hanc depoſitionem libenter ſuſtineat , maximè cùm omnes alios ejusdem ſcholæ Diſcipulos eandem tam fortiter ſuſtinuiſſe advertat. Videri poteſt de hac materia fuſiùs diſcurrens Faber, conc. 4. in feſto SS. Simonis & Judæ.

Gal. 6. v. 14.

II. Ex occaſione thematis : *Abſit mihi gloriari , niſi in cruce Domini noſtri JESU Chriſti :* poteſt oſtendi , quàm meritò S. Paulus gloriatus ſit , & etiam nunc quivis Chriſtianus cum ipſo glorietur in cruce ſeu tribulationibus ; cùm per has multò veriùs poſſideat titulos , ob quos plerumque homines gloriari ſolent , quod ipſum fuſiùs oſtendet , titulòs hos ſigillatim explicando. Et 1. quidem ſi alij ob divitias gloriantur ; quæ majores reperiri poſſunt , quàm eæ , quæ in cruce reperiuntur , cùm juxta illas ipſa felicitas in altera vita diſtribuatur , ut adeò meritò Moyſes improperium Chriſti majores divitias æſtimârit , quàm theſaurum Ægyptiorum. 2. Si alij ob nobilitatem & dignitatem gloriantur ; quæ major dignitas & nobilitas obtingere poteſt homini , quàm ſi ipſi DEI Filio ſimilior fiat , & cum eo per glorioſa facta nomen ſuper omne nomen ſibi comparet ? 3. Si alij ob pulchritudinem gloriantur ; quid pulchriùs eſſe poteſt homine juſto , multa propter Chriſtum patiente ? de quo meritò dicat Sponſa : Dilectus meus candidus (propter innocentiam) & rubicundus (propter invictam patientiam) electus ex millibus. 4. Si alij ob robur corporis gloriantur ; quantò æquiùs gloriabitur Chriſtianus ob animi robur , quod in adverſitatibus oſtendit , quóque ipſis etiam Dæmonibus terribilis evadit. 5. Si alij gloriantur ob ſcientias ; quæ altior , utilior , & dignior ſcientia addiſci poteſt , quàm ſcire JESUM Chriſtum , & hunc crucifixum ? Quæ omnia facilè fuſiùs ex dictis amplificari poſſunt.

Cant. 7. v. 8.

III. Ex occaſione thematis : *Aſcendam in palmam , & apprehendam fructus ejus :* poteſt crux palmæ comparari, tum ob illius proprietates, ſcilicet radicis profunditatem , ſtipitis firmitatem , viroris perpetuitatem , culminis ſublimitatem , quæ omnia in Cruce nobiliori longè modo reperiuntur ; tum ob fructuum fertilitatem , nempe vim purgandi à peccatis & pœnis, vim illuminandi (nam oculos, quos culpa claudit , pœna aperit, teſte S. Gregorio) & vim perficiendi ſeu perducendi ad ultimum finem & perfectionem, per variarum virtutum exercitium. Quæ omnia fuſiùs probata apud Fabrum videri poſſunt. conc. 1. in Dom. 20. poſt Pentec. & conc. 3. & 7. in Feſto Inventionis S. Crucis.

Eph. 3. v. 14.

IV. Ex occaſione thematis : *Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri JESU Chriſti , ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis , quæ ſit longitudo , & latitudo , & ſublimitas , & profundum :* poſſunt quatuor dimenſiones crucis explicari , ita ut per longitudinem duratio temporis , ſeu conſtantia : per latitudinem extenſio ad omnis generis tribulationes, ſeu Patientia : per altitudinem ſublimitas motivi, ſeu caritas : per profunditatem ſui ipſius depreſſio, ſeu humilitas indicetur , pro quibus fuſiùs explicandis non parùm ſerviet conc. 7. Fabri in feſto Inventionis S. Crucis.

Gen. 28. v. 12.

V. Ex occaſione thematis : *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram , & cacumen illius tangens cælum :* poteſt Crux huic ſcalæ comparari. Et 1. oſtendi , quomodo illa ad cælos uſque pertingat , cùm ſit unicum remedium ad beatitudinem obtinendam. Unde meritò exclamat S. Auguſtinus : O quales ſcalas, quarum caput in cælum poſitum ? per quas ipſe (Chriſtus) & aſcendit, & deſcendit, & propter confirmationem ſuper eas incumbit. Aſcende ſecurus , ſi deſideras cælum ; non te terreat nec anguſtia , nec longitudo, nec altitudo : nihil timeas, non nutant gradus ejus, quos ipſe Architectus ſic confirmavit, ut in ejus ligno manus ſuas affigi voluerit. 2. Oſtendatur , quomodo in hac ſcala Angeli deſcendant, ad roborandos illos, qui per eam aſcendunt : & aſcendant , eorum tribulationes ante conſpectum DEI offerendo. 3. Oſtendatur , quomodo DEUS in ſummitate hujus ſcalæ appareat, ut fatigatis manum præbeat, ſuáque præſentiâ & aſpectu aſcendentes animet. 4. Denique oſtendatur, quomodo gradus ſibi in hac ſcala facere , & per eos aſcendere debeant , ſcilicet ad eum modum, quem S. Salvianus indicat dicens : Sancti Martyres ad cæleſtis Patriæ januam gradibus pœnarum ſuarum aſcendentes, ſcalas ſibi quodammodo de equuleis, cataſtis, & crucibus fecerunt.

S. Auguſt. to. 9. in Catacly ſmo.

Salvianus l. 3. de gub. DEI.

VI. EX occaſione thematis : *nonne hac oportuit*

Luc. 24. v. 26. *Portuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* poteſt oſtendi, quomodo via crucis habeat omnes conditiones ad optatam viam requiſitas, nempe 1. Quòd ſit via *rectiſſima & breviſſima*: utpote quam ipſe Chriſtus Dux peritiſſimus ambulavit. 2. *Tritiſſima*: utpote per quam omnes Sancti ad cælum pervenerint. 3. *Certiſſima*: cùm nullum ſit certius prædeſtinationis ſignum, quàm multa pro DEO pati; hæc enim eſt anguſta porta, per quam ad vitam nos tendere Chriſtus juſſit. 4. *Securiſſima*: utpote in qua Chriſtus pro comite & protectore habetur. 5. *Jucundiſſima*: quia ſecundùm multitudinem dolorum abundant conſolationes animam lætificantes, uti facilè ex prioribus §§. fuſiùs oſtendi poteſt.

Luc. 14. v. 18. VII. Ex occaſione thematis: *Et cœperunt ſe omnes excuſare*: poſſunt proponi & refutari frivolæ cauſæ, ob quas aliqui conantur à ſe tribulationum jugum excutere. Nimirum 1. Quia non commeritos ſe putant. Refutentur, oſtendendo, nullum abſque peccato eſſe, atque adeò nec ſine flagello eſſe debere. 2. Quia putant, ſibi ſolis immitti ejuſmodi tribulationes. Refutentur, oſtendendo, quòd omnes per multas tribulationes oporteat introire in regnum DEI. 3. Quia exiſtimant, nimis graves eſſe. Refutentur, oſtendendo, quàm leves ſint, ſive in comparatione pœnarum alterius vitæ, quas per peccata ſua ſunt meriti: ſive in comparatione tribulationum, quas alij homines paſſi ſunt, & quotidie patiuntur. 4. Quia aiunt, ſe à certis Perſonis eas ſuſtinere non poſſe. Refutentur, oſtendendo, omnium tribulationum primarium Authorem DEUM eſſe, homines verò manum duntaxat, aut inſtrumentum eſſe DEI, quos proinde exoſculari potiùs & venerari, quàm odiſſe & execrari deceat. 5. Quia arbitrantur, eas nimis diu durare. Refutentur, oſtendendo, potiùs momentaneum duntaxat eſſe, quod cruciat: æternùm verò, quod delectat. Videri poſſunt hæc fuſiùs apud Fabrum conc. 3. in feſto S. Jacobi Apoſtoli.

§. XII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Levit. 16. v. 5. I. OLim ad expianda Populi peccata jubebatur ſummus Sacerdos duos hircos accipere, & ſuper utrumque ſortem mittere, ita ut is, quem ſors DEO deſignârit, ſtatim pro peccato Populi mactetur, alter verò liber in ſolitudinem dimittatur. Per quorum priorem Electi ſignificantur, utpote qui hoc ipſo, quod in ſortem Domino obtigerint., in ſacrificium mactandi ſunt; per poſteriorem verò reprobi indicantur, qui in deſertum Mundi abire, ibíque liberè vagari ſinuntur.

Pſ. 70. II. Quemadmodum Joſeph ad Fratres ſuos duriùs loquebatur, quos tamen intimè diligebat; ita DEUS quoque frequenter conſolationis gratiam Electis ſubtrahit, cùm tamen certum ſit, eos ab ipſo præ omnibus alijs diligi.

III. Rectè minutius Felix de Chriſtianis pro fide certantibus dixit: Quàm pulchrum ſpectaculum DEO, cùm Chriſtianus cum dolore congreditur, cùm adverſus minas & ſupplicia, & tormenta componitur. *Minut. Felix in Octav.*

IV. Cùm aliquando pia Virgo ardenti deſiderio teneretur B. Henrici Suſonis videndi, Angelus Cuſtos eum oſtendit in medio Fratrum roſis candidis & rubris coronatum, ut ex candidis quidem corporis, animíque puritatem, ex rubris verò conſtantem patientiam intelligeret. *Surius. c. 24. vita.*

Neceſſitas.

V. Solebat olim S. Joannes Abbas Monachis ſuis de tribulationibus dicere: Hæc eſt porta DEI, per quam Patres noſtri per multas tribulationes & injurias gaudentes ingreſſi ſunt civitatem Dei. Eum in finem illis exemplum de Juvene Philoſopho narrabat, qui, quia Magiſtrum offenderat, ab eo juſſus erat primo triennio metalla cum alijs fodere, altero verò triennio mercedem offerre ijs, qui eum injuriâ affecturi eſſent. Quod cùm non ſegniter fuiſſet executus, & poſtea à Magiſtro Athenas deductus, injurias à Sene ad portam ſedente illatas ridente ore excepiſſet, eò quòd gratis ab illo acciperet, pro quo hactenus mercedem offerre jubebatur, audijt ab illo Sene: Euge, jam urbem ingredere, quia dignus es, qui inter Sapientes numereris. *Vita PP. l. 3. n. 84.*

Æquitas.

VI. S. Gertrudi quondam dixit Chriſtus, ſe omnibus hominibus tantum offerre gratiæ, quantum cuique ad ſuperandam puſillanimitatem ſatis eſſe poteſt, atque adeò meritò quemvis magnâ cum fiduciâ de DEI auxilio tribulationem acceptare debere. *Lib. 3. inſinuat. c. 7.*

VII. S. Hieronymus Bleſillam ad tribulationes patienter ferendas ſic allocutus eſt: E duobus elige, quod voles, aut Sancta es, & probaris: aut peccatrix, & injuſtè quereris, minora ſuſtinens, quàm merearis. *S. Hier. ad Bleſillam.*

VIII. Hierocles Pythagoræ Diſcipulus dicere ſolebat: Tibi & culpæ tuæ indignare, non DEO. Culpam tolle, & infortunium auferet DEUS. *Fab. conc. 13. in Ferr. rogat.*

Utilitas.

IX. S. Tereſia poſt obitum cuipiam magnâ illuſtris gloriâ apparens, teſtata eſt, nullâ re magis, quàm afflictionibus, doloribus, aliíſque perpeſſionibus ſibi eam, quâ jam frueretur, gloriam partam eſſe, ac, ſi liceret ad mortales redire, nihil potiùs habituram, quàm ut pro DEO ſuo graviſſima quæque pati poſſet. *Vita l. 5. c. 4.*

X. Rectè Ethnicus quidam Philoſophus dicebat: Brevem tibi formulam dabo, quâ *Senec. l. de prov. c. 3.*

te

Digitized by Google

metiaris: Bonum tunc habebis tuum, cùm intelliges, infelicisſimos eſſe felices.

S. Aug. in Pſ. 50. XI. Appoſitè S. Auguſtinus de peccato Davidis ſic loquitur: Hoc peccatum non fecit David, cùm perſecutorem Saulem pateretur, quando per diverſa loca fugiebat, ne in manus ejus incideret. Erat in infirmitate tribulationis ſuæ tantò in DEUM intentior, quantò miſerior videbatur. Utile quiddam eſt tribulatio, utile Medici ferramentum tanquam contra Diaboli tentamentum. Factus eſt poſtea ſecurus, devictis hoſtibus, preſſurâ caruit, tumor excrevit.

Laërt. l. 7. XII. Zeno Cittius Philoſophus dicebat nunquam ſe commodiùs navigâſſe, quàm cùm navi fracta, & ampliſſimis opibus naufragio amiſſis enatavit; tunc enim Philoſophiæ operam dare ſe cœpiſſe.

S. Hier. in Ep. ad Paulam. XIII. S. Hieronymus de S. Pauli tentatione diſcurrens ſic loquitur: ad revelationum humiliandam ſuperbiam, monitor quidam humanæ imbecillitatis Apoſtolo apponitur, in ſimilitudinem triumphantium, quibus in curru retrò comes adhærebat per ſingulas acclamationes civium dicens: Hominem te eſſe memento.

Dignitas.

Oſbeim: tomo. 1. in Dom. infr. oct. aſcenſ. XIV. Rodericus de Vivar in domo ſua menſam fortium conſtituerat, in qua tantùm ſtrenui ſedebant milites, qui egregia facinora in bello commiſiſſent. Cùmque in ea menſa aliquando ſedere voluiſſet vir quidam illuſtris Martinus Pelaëz, id ei non conceſſit, donec etiam ipſe talia patrâſſet facinora. Ejuſmodi Beatorum in cælis eſt menſa, de qua Chriſtus *Luc. 14. v. 28.* ad Apoſtolos dixit: Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam in regno meo.

Senec. l. de provid. XV. Paternum, inquit Seneca, DEUS habet adverſus bonos viros animum, & illos fortiùs amat, & operibus ac doloribus & damnis exagitat, ut veriùs colligant robur. Non eſt arbor ſolida, nec fortis, niſi quam freqnens ventus incurſat; ipſâ enim vexatione conſtringitur, & radices certiùs figit. Marcet ſine Adverſario virtus; tunc apparet, quanta ſit, quantúmque valeat, polleátque, cùm, quid poſſit, patientia oſtendit.

Idem XVI. Hanc rationem, inquit idem, in ſuis electis ſequitur DEUS, quam in Diſcipulis Præceptores, qui plùs laboris ab his exigunt, in quibus certior ſpes eſt. Nunquid tu inviſos eſſe Lacedæmonijs liberos ſuos credis, quorum experiuntur indolem publicè verberibus admotis? Ipſi Patres illos adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros ac ſemianimes rogant, ut perſeverent vulnera præbere vulneribus.

Idem c. 4. XVII. Proſpera in plebem & vilia ingenia deveniunt; at calamitates, terroréſque mortalium ſub jugum mittere, proprium magni viri eſt.

XVIII. Ignis aurum probat, miſeria fortes viros. *Id. c. 5.* Vide, quàm altè aſcendere debeat virtus. Scias illi non per ſecura vadandum eſſe. Humilis & inertis eſt, tuta ſectari.

XIX. Militares viri gloriantur vulneribus. *Cit. c. 4.* Gubernatorem in tempeſtate, militem in acie intelligas: calamitas virtutis occaſio eſt. Dux lectiſſimos mittit, qui nocturnis Hoſtes aggrediantur inſidijs. Nemo eorum, qui exeunt, dicit; malè de me Imperator meruit, ſed benè judicavit.

§. XIII.

AXIOMATA.

I. Dulcia non meruit, qui non guſtavit amara. *Buchlerus.*

Hönig gibt man nicht vor dem Eſſig.

II. Vexatio dabit intellectum auditui. *Iſaia. 28. v. 19.*

Trübſall eröffnet die Augen.

III. Occaſio & tribulatio hominem fragilem non facit, ſed qualis ſit, oſtendit. *Th. Kemp. l. 1. c. 16.*

IV. Fidem ſecunda poſcunt, adverſa exigunt. *Senec. in Agamem.*

V. Quod durum fuit pati, meminiſſe dulce eſt. *Idem in Herc.*

VI. Lætius eſt, quoties magno ſibi conſtat honeſtum. *Lucan. l. 9.*

Je theurer / je lieber.

VII. Ubi crux, ibi lux. *Anonym.*

Vil Creutz / vil Liecht.

VIII. Poſt nubila Phœbus.

Auff trübe Regen folgt häutterer Himmel.

IX. Nulla tempeſtas diuturna.

Groſſe Wetter vertoben bald.

X. Quiſque ſui mali Faber eſt.

Nemo læditur, niſi à ſeipſo.

Ein jeder bind ihm ſein Ruth ſelbſt auff den Rucken.

§. XIV.

AUTHORES.

I. Joannes Buſæus in Panario V. Impatientia in adverſis.

II. Philippus D'outreman in Pædagogo Chriſtiano to. 2. p. 1. à c. 5. uſque ad finem.

III. Joſephus Langius in Polyanth. V. Adverſitas, Afflictio, Crux, Tribulatio.

IV. Franciſcus Ribera de bono Tribulationis.

V. Ludovicus Granatenſis in locis comm. f. 510.

VI. Hadrianus Lyræus in Apophthegmatis S. Ignatij l. 1. apoph. 3.

VII. Matthias Faber in omnibus tomis præcipuè feſto Inventionis S. Crucis.

VIII. Thomas Stapletonus t. 6. Dom. 15. & t. 1. Dom. 20. ac 24. poſt Pent. Item t. 1. Dom. 4. poſt Epiph. & t. 3. Dom. 3. poſt Paſcha.

IX. Joannes Major in ſpec. magno Exempl. V. Tribulatio.

TITVLVS XI.

C H R I S T U S.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.
Definitio.

I.

EST homo, ex natura divina & humana, ac Filij divini Perſonalitate compoſitus. Ita enim indicare videtur S. Athanaſius in ſymbolo, dum ait : Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita DEUS & homo unus eſt Chriſtus.

Proprietates.

II. Quinque potiſſimùm Chriſto perfectiones ſeu proprietates propter unionem hypoſtaticam conveniunt. 1. *Summa gratia :* de
Cap. 1. v. 14. qua S. Joannes teſtatus eſt : Et vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti à Patre, & plenum gratiæ & veritatis. 2. *Summa Sanctitas :* ob
Io. 8. v. 46. quam jure dicere poterat : quis arguet me de peccato ? 3. *Summa ſapientia :* de qua S.
Coloſſ. 2. v. 3. Paulus locutus eſt dicens : In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ DEI abſconditi. 4. *Summa dignitas :* de qua idem Apo-
Eph. 1. v. 22. ſtolus teſtimonium tulit, dum dixit : Omnia ſobjecit pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſu-
Coloſſ. 2. v. 9. pra omnem Eccleſiam. 5. *Summa felicitas ſeu beatitudo :* quia in ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis, ut iterum S. Paulus teſtatur.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.
Chriſti Incarnatio

Iſ. 7. v. 14. I. ECce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum.

Ier. 31. v. 22. II. Creavit Dominus novum ſuper terram : Femina circumdabit virum.

Iſ. 9. v. 6. III. Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, DEUS, fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.

Io. 1. v. 14. VI. Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.

Chriſti Nomen.

Matth. 1. v. 21. V. Et vocabis nomen ejus JESUM; ipſe enim ſalvum faciet populum à peccatis eorum.

Act. 4. v. 12. VI. Nec enim eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.

Philipp. 2. v. 9. VII. DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.

VIII. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & uſque in ſæculum. A Solis ortu uſque ad occaſum laudabile nomen Domini, *Pſ. 112. v. 2.*

IX. Laudate Dominum, quia bonus Dominus : pſallite nomini ejus, quoniam ſuave eſt. *Pſ. 94. v. 4.*

X. Turris fortiſſima nomen Domini; ad ipſam currit juſtus, & exaltabitur. *Prov. 18. v. 10.*

XI. Oleum effuſum nomen tuum : ideo Adoleſcentulæ dilexerunt te. *Cant. 1. v. 2.*

XII. Et erit : omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. *Ioël. 2. v. 32.*

Chriſti dignitas.

XIII. Et ecce vox de cæln dicens : Hic eſt Filios meus dilectus, in quo mihi complacui. *Matth. 3. v. 17.*

XIV. Et veniet deſideratus cunctis Gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus Exercituum. *Agg. 2. v. 8.*

XV. Conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſecula : qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, portánſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dextram Majeſtatis in excelſis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu : ego hodie genui te ? Vide totum caput. *Hebr. 1. v. 2.*

XVI. Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum, ſine macula DEI Majeſtatis, & imago bonitatis illius. *Sap. 7. v. 26.*

XVII. In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio his, qui ſalvati fuerint de Iſraël. *Iſ. 4. v. 2.*

XVIII. Data mihi eſt omnis poteſtas in cælo & in terra. *Matth. 28. v. 19.*

XIX. Sicut malus inter ligna ſilvarum, ita dilectus meus inter Filios. *Cant. 2. v. 3.*

XX. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. *Pſ. 2. v. 6.*

XXI. Speciofus forma præ Filijs hominum : diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te DEUS in æternum. *Pſ. 44. v. 3.*

XXII. Suſcitavit illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſupra omnem principatum & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro. *Eph. 1. v. 20.*

Chriſtus Adjutor.

XXIII. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. *Matth. 28. v. 20.*

XXIV. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia DEI in ipſo. *2. Cor. 5. v. 21.*

XXV. Et ſcitis, quia ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret; & peccatum in eo non eſt. Omnis, qui in eo manet, non peccat. *1. Io. 3. v. 5.*

XXVI.

Hebr. 8. v. 1. XXVI. Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis, Sanctorum Miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.

Rom. 5. v. 6. XXVII. Ut quid enim Chriſtus, dum adhuc infirmi eſſemus, ſecundùm tempus pro impijs mortuus eſt? Vix enim pro juſto quis moritur: nam pro bono ſorſitan quis audeat mori.

Iſaiæ. 45. v. 13. XXVIII. Ego ſuſcitavi eum ad juſtitiam, & omnes vias ejus dirigam: ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus.

Hebr. 2. v. 17. XXIX. Unde debuit per omnia Fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad DEUM, ut repropitiaret delicta Populi. In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari.

Jo. 5. v. 24. XXX. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam.

Jo. 11. v. 25. XXXI. Ego ſum reſurrectio & vita; qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet.

Jo. 10. v. 27. XXXII. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.

Chriſtus Advocatus.

Rom. 8. v. 31. XXXIII. Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus JESUS, qui mortuus eſt; imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram DEI, qui etiam interpellat pro nobis.

1. Jo. 2. v. 1. XXXIV. Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, JESUM Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam totius mundi.

1. Tim. 2. v. 5. XXXV. Unus DEUS, & unus Mediator DEI & hominum, Chriſtus JESUS, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.

Chriſtus amandus.

1. Cor. 16. v. 22. XXXVI. Si quis non amat Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, ſit anathema.

Jo. 14. v. 21. XXXVII. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.

Jo. 16. v. 27. XXXVIII. Ipſe Pater amat vos, quia vos me amâſtis.

Jo. 14. v. 23. XXXIX. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

Eph. 5. v. 1. LX. Eſtote ergo imitatores DEI, ſicut Filij chariſſimi, & ambulate in dilectione: ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam in odorem ſuavitatis.

Philipp. 3. v. 8. LXI. Omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.

Rom. 8. v. 37. LXII. Quis nos ſeparabit à Caritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius, ſicut ſcriptum eſt: propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis? ſed in his omnibus ſuperamus propter eũ, qui dilexit nos.

LXIII. Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me. *Jo. 14. v. 21.*

Chriſtus imitandus.

LXIV. Apparuit gratia DEI Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, ac piè vivamus in hoc ſæculo, expectantes beatã ſpem & adventũ gloriæ magni DEI, & Salvatoris noſtri JESU Chriſti. *Tit. 2. v. 11.*

LXV. Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me. *Jo. 14. v. 6.*

LXVI. Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte (Calvariæ) monſtratum eſt. *Exod. 25. v. 40.*

LXVII. Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus; viam ejus cuſtodivi, & non declinavi ex ea. *Job. 23. v. 11.*

LXVIII. Trahe me poſt te: in odorem curremus unguentorum tuorum. *Cant. 1. v. 4.*

LIX. Et ego non ſum turbatus te Paſtorem ſequens: & diem hominis non deſideravi. *Jer. 17. v. 16.*

L. Aſcendit pandens iter ante eos. *Mich. 2. v. 13.*

LI. Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. *Matt. 10. v. 38.*

LII. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſuã, & ſequatur me. *Matth. 16. v. 24.*

LIII. Vos, qui ſecuti eſtis me, & reliquiſtis omnia, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël. *Matt. 19. v. 28.*

LIV. Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumẽ vitæ. *Jo. 8. v. 12.*

LV. Qui dicit, ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. *1. Jo. 2. v. 6.*

LVI. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur; & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. *Jo. 12. v. 26.*

§. III

EX SS. PATRIBUS.

Chriſtus incarnatus.

I. PArvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Natus eſt nobis, qui ſibi erat. Datus eſt ergo ex divinitate, natus ex Virgine. Natus, qui ſentiret occaſum: natus, qui neſciret exordium. Natus, quo & Matre eſſet junior: datus, quo nec Pater eſſet antiquior. Natus, qui moreretur: datus, ex quo vita naſceretur. Ac ſic qui erat, datus eſt: qui non erat, natus eſt. Illic dominatur, hic humiliatur: ſibi regnat, & mihi militat. *Euſeb. Emiſſ. hom. 11 de nat. Dom.*

II. Quid hîc rationem quærimus? quid intellectum fatigamus humanum? generationem ejus quis enarrabit? quid novitatem ſtupemus, ubi cernimus Majeſtatem? Et mox: ſubſtantia operis ſola fuit potentia Conditoris. Secundùm hanc ergo potentiam credamus Dominum noſtrum abſque ullo ſexûs initio ex ſola femina virum creâſſe, quam ſcimus inter ipſa initia generis humani ex ſolo viro feminam condidiſſe. *Ibid.*

III. Redemptor noſter homo naſcendo, Vitulus moriendo, Leo reſurgendo, & ad cælos aſcendendo Aquila factus eſt. *S. Greg. hom. 4. ſup. Ezech.*

IV. Non jam deſperandum eſt, participatione Verbi poſſe homines fieri Filios DEI, quando Filius DEI participatione carnis factus eſt filius hominis. *S. Aug. de grat. novi teſtam.*

S. Auguſt. ſuper 30. tr. 34. V. Illuminandi modò Fratres, habentes collyrium fidei. Proceſſit enim ſaliva ejus cum terra, unde inungeretur, qui cæcus eſt natus; & nos de Adam cæci nati ſumus, illo illuminante opus habemus. Miſcuit ſalivam cum terra. Verbum enim caro factum eſt, & habitavit in nobis.

Euſeb. Emyſſ. hom. 2. de ſymb. VI. Quando audis, DEUM ex homine natum eſſe, & majeſtatem ſub fragilitate latuiſſe, virginem prole ditatam, nec tamen virginitatem fuiſſe ſolutam, non ſe objiciat ſenſibus tuis novitas operis, nec dicas: illud fieri non poteſt; quia, qui te magna credere juſſit, omnipotens eſt. Divinis rebus admiratio adhibenda eſt, non credulitas deneganda. In omnipotente te credere confirmas; ſed ſi de factis ejus dubitas, imbecillitatem omnipotentis accuſas.

S. Aug. de verbis Apoſt. VII. Non liberaretur genus humanum, niſi ſermo DEI dignaretur eſſe humanus. Nam & ille homo dicitur eſſe humanus, qui ſe exhibet humanum, & maximè hoſpitio ſuſcipit hominem. Si ergo humanus dicitur, qui ſuſcipit hominem in domo ſua, quàm humanus eſt, qui ſuſcipit in ſeipſo hominem? ſi ergo homo non periiſſet, Filius hominis non veniſſet.

S. Bern ſuper Cant. VIII. Fratres, generationem ejus quis enarrabit? Angelus nuntiat, virtus obumbrat, Spiritus ſubvenit, Virgo credit, Virgo parturit, Virgo permanet. Quis non miretur? Naſcitur verbum infans, & agnoſcitur longitudo brevis, latitudo anguſta, altitudo ſublimis, profunditas plana. Ibi agnoſcitur lux non lucens, verbum infans, aqua ſitiens, panis eſuriens.

S. Maximus in ſerm. de nativ. IX. Generationem ejus quis enarrabit? ſi lingua deficit, fides proficit. Magnus profectus eſt fidei, cùm tantùm de DEO ſuo poteſt concipere, quantùm ſermo non poteſt parturire.

Chriſti Nomen.

S. Bern. ſuper Cant. X. Nomen JESU lucet prædicatum, paſcit recogitatum, lenit & ungit invocatum. Qui ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat bonos mores atque honeſtos, caſtas fovet affectiones.

Ibid. XI. Nihil ita ſicut hoc nomen JESU, iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, livoris vulnus ſanat, luxuriæ fluxum reſtringit, libidinis flammam extinguit, ſitim avaritiæ temperat, ac totius indecoris pruriginem ſanat.

S. Bern. ſ. 15. in Cant. XII. Triſtatur aliquis veſtrum? veniat in cor JESUS, & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur, quis in crimen, currit inſuper ad laqueum mortis deſperando; nónne ſi invocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam?

Ibid. XIII. Aridus eſt omnis cibus animæ, ſi non oleo iſto infunditur; inſipidus, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribis, non ſapit mihi, niſi ibi legere JESUM: Si diſputas aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi JESUS. JESUS mel in ore, melos in aure, in corde jubilus.

Ibid. XIV. Cùm nomino JESUM, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate & ſanctitate conſpicuum, eundémque DEUM omnipotentem, qui ſuomet exemplo ſanet, & roboret adjutorio.

Ibid. XV. Hoc electuarium tibi habes, ô anima mea, in vaſculo vocabuli hujus, quod eſt JESUS; Salutiferum certè, quódque nulli unquam peſti tuæ inveniatur inefficax. Semper ſit tibi in ſinu, ſemper in manu, quo tui omnes in JESUM & ſenſus dirigantur & actus. Ad hoc enim invitaris ab ipſo Sponſo in Canticis, cùm ait: Pone me ſignaculum in corde tuo, ſignaculum in brachio tuo.

Chriſtus Adiutor.

S. Ambroſ. in quod. ſerm. XVI. Omnia habemus in Chriſto, & omnia in nobis Chriſtus. Si à vulnere curari deſideras, medicus eſt. Si febribus æſtuas, fons eſt. Si gravaris iniquitate, juſtitia eſt. Si indiges auxilio, virtus eſt. Si mortem times, vita eſt. Si tenebras fugis, lux eſt: ſi cælum deſideras, via eſt, ſi cibum quæris, alimentum eſt.

S. Bern. ſuper cant. XVII. Ne Mundi gloriâ ſeu carnis voluptatibus abducaris, dulceſcat tibi pro his ſapientia Chriſtus. Ne ſeducaris Spiritu mendacij & erroris, luceſcat tibi veritas Chriſtus. Ne adverſitatibus fatigeris, confortet te virtus DEI, Chriſtus.

S. Ambroſius. XVIII. Si in te inſurrexerit lupus, petra Chriſtus eſt: ſi ad Chriſtum confugies, fugit lupus, nec terrere te poterit. Hanc Petram quæſivit Petrus, cùm titubaret in fluctibus, & invenit, quod quæſivit, quia dexteram amplexus eſt Chriſti.

S. Bern. ſ. 13 in Cant. XIX. Origo omnium fontium & fluminum mare eſt, virtutum & ſcientiarum Dominus JESUS Chriſtus. Quis enim Dominus virtutum, niſi ipſe Rex Gloriæ? Continentia carnis, cordis induſtria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non ſolùm autem, ſed & ſi quis callet ingenio, ſi quis moribus placet, inde eſt. Inde ſcientia, inde ſapientiæ ſermo, theſauri ſiquidem ſapientiæ & ſcientiæ ibi ſunt abſconditi.

S. Ambr. l. de Iſaac. c. 8. XX. Ipſe Chriſtus eſt os noſtrum, per quod Patri loquimur: oculus noſter, per quem Patrem videmus: dextera noſtra, per quem Patri offerimus.

S. Auguſt. in medit. XXI. Quid eſt JESUS, niſi Salvator? Ergo propter temetipſum eſto mihi JESUS. Noli Domine, noli, ſic attendere malum meum, ut obliviſcaris bonum tuum, ô bone Domine; ſi ego commiſi, unde me damnare potes, tu non omiſiſti, unde me ſalvare ſoles.

S. Bernard. de nova milit. XXII. Numquid Adam plus potuit in malo, quàm Chriſtus in bono? ſi ex DEO nati, & in Chriſto electi ſumus, quænam juſtitia eſt, ut plùs noceat humana atque terrena, quàm valeat divina atque cæleſtis generatio?

S. Clem. Alex. XXIII. Verbum vitam præbuit, ut opifex; bene

bene vivere docuit, ut Magiſter: ut ſemper vivere ſuppeditaret ut DEUS.

Chriſtus amandus.

S. Aug. in Medetat. XXIV. Scio, Domine mi, quià ex hoc, quòd me feciſti, debeo tibi meipſum: & quia redemiſti, & pro me homo factus es, deberem tibi plùs, quàm me, ſi haberem: quantò tu major es, pro quo dediſti te ipſum.

S. Euſeb. Emyſſ. hom. 2. de Epiph. XXV. Tu ſervâſti vinum bonum: tanquam ſi diceret: Meliora ſunt Domini gratiæ inſtituta, quàm legis. Lex peccatores, ad tempus utile hircorum & vitulorum cruore, mundavit: tu, Domine, ſervâſti nobis vinum bonum, id eſt, in extremo ſæculo fudiſti pro nobis ſanguinem tuum. Lex intromiſit in terram promiſſionis, anguſtis limitibus terminatam: tu, Domine, amplos Paradiſi ſinus pandis, tu inæſtimabile præparas regnum; tu introducis in cælum. Lex cultores ſuos per medium maris rubri, naturâ rerum ſtupente produxit: Videamus, quantò plus eſt, quod præſtat gratia. Qui in Chriſto (inquit) ſunt, reſurgent primi, & tunc ſimul rapiemur obviam Chriſto in aëra.

Granat. in ſil. loc com. V. Chriſtus. XXVI. Talis nobis decebat, ut eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus: de cujus ſanctitatis præſtantiâ Sponſa in Canticis ait: ſicut malus inter ligna ſilvarum, ſic dilectus meus inter Filios. Solus enim ille malo comparatur, cujus fructus gratiſſimus eſt: ceteri verò mortales ſilvarum ligna ſunt, quæ aut nullum, aut acerbiſſimum fructum ferunt, quo non homines, ſed porci paſcuntur. Quo igitur conſilio ab hac injuria vindicabimur? nimirum ſi in illum inſeramur. Sic ſilveſtres & ſteriles arbores in frugiferas commutantur. Decerpamus igitur à Chriſto Spiritum ejus, & amputatis cupiditatum noſtrarum ſilveſtribus ramis, mentibus illum noſtris inſeramus, & ſic fructus, & ubertatis ejus conſortes erimus. Hoc autem modo caritas nos unit, & inſerit Chriſto, & pinguedinis ejus participes facit.

S. Bern. in Serm. XXVII. Videns DEUS homines omnino carnales effectus, tantùm eis dulcedinis in carne exhibuit, ut duriſſimi cordis ſit, quiſquis eum affectu toto non diligit.

Idem Ser. 22. XXVIII. Quanti te fecit DEUS, ex his, quæ pro te factus eſt, agnoſce: ut apparat tibi benignitas ejus in humanitate. Quantò enim minorem ſe fecit in humilitate, tantò majorem exhibuit in humilitate & quanto pro me vilior, tantò mihi carior. Adverte homo, quia limus es, & non ſis ſuperbus: & quia DEO junctus es, non ſis ingratus.

S. Bern ſuper Cantic. XXIX. Dignus planè eſt nocte, qui tibi, Chriſto, recuſat vivere; & qui tibi non ſapit, deſipit: & qui curat eſſe, niſi propter te, pro nihilo eſt, & nihil eſt. Propter teipſum DEUS feciſti omnia, & qui eſſe vult ſibi, & non tibi, nihil eſſe incipit inter omnia.

Chriſtus imitandus.

S. Aug. ſup. Matth. XXX. Ego ſum via, veritas, & vita, tanquam diceret: quà vis ire? ego via: quò vis ire? ego ſum veritas: ubi vis permanere? ego ſum vita.

Ibid. XXXI. Ideo permittitur inimicus juxta viam ponere laqueos, ne ſecuritate exultationis via deſeratur, & in inſidias incidat. Via Chriſtus humilis: Chriſtus veritas & vita: Chriſtus excelſus & DEUS. Si ambules in humili, pervenies ad excelſum.

S. Aug. de vera relig. XXXII. Tota vita Chriſti in terris per hominem, quem geſſit, diſciplina morum fuit. Omnia enim bona mundi Chriſtus contempſit, quæ contemnenda docuit: & omnia mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcepit: ut nec in iſtis quæreretur felicitas, nec in iſtis infelicitas timeretur.

S. Chryſoſt. ſuper c. 13. Epiſt. 2. ad Cor. XXXIII. Induere Chriſtum eſt undique in nobis per ſanctimoniam & manſuetudinem Chriſtum in nobis conſpicuum eſſe. Homo enim indutus id eſſe videtur, quod indutus eſt: appareat itaque in nobis Chriſtus.

S. Greg. Naz. or. 40. in Paſch. XXXIV. Simus ut Chriſtus, quoniam Chriſtus quoque ſicut nos: efficiamur Dii propter ipſum, quoniam ipſe quoque propter nos homo factus eſt.

S. Greg. ep. 1. de perf. Chriſt. XXXV. Quiſque ſuæ vitæ pictor eſt, & Artifex hujus voluntas, colores autem ſunt virtutes, exemplar Chriſtus eſſe debet.

S. Bern. ſ. 4. de advent. XXXVI. Omnis noſtra virtus tam longè abeſt à vera virtute, quàm longè eſt ab eâ formâ, quam verbo & exemplo commendavit Chriſtus præſens in carne.

S. Aug. in pſ. 109. XXXVII. Parùm erat DEO, ut Filium ſuum daret demonſtratorem viæ; eum ipſum viam fecit, ut per illum ires, regentem te, ambulantem per ſe.

S. Bern. ſ. 1. de adv. Domini. XXXVIII. Altitudinem meam primus Angelus affectavit; ſcientiam quoque, quæ nihilominus mea eſt, ſurripere voluit homo; omnes invident mihi. Ecce venio, & talem me exhibeo, ut, quiſquis geſtierit imitari, fiat illi æmulatio iſta ad bonum.

S. Bonav. in quod. ſermone. XXXIX. Hæc ſit ſapientia & meditatio tua, & ſtudium, ſemper aliquid de ipſo (Chriſto) cogitare, unde vel provoceris ad imitandum eum, vel ad eum amandum exciteris. Quantò enim ſe quiſque ei in virtutis imitatione hîc conformare ſtuduerit, tantò ei in prima gloria & claritate appropinquabit, & ſimilior erit.

S. Bern. XL. Summa felicitatis noſtræ eſt divinæ ſimilitudinis participatio: ad quam perveniemus, cùm DEUM coràm intuebimur. Si ergo ſimilis DEO fieri cupis, videndo DEUM, ſicuti eſt, da operam, ut ei ſimilis fias, videndo eum, ſicut pro te factus eſt, ac ita per imitationem Sacræ humanitatis, ad ſimilitudinem venies ſummæ divinitatis.

S. Aug ſup. Jo. tr. 24. XLI. Si dixiſſet tibi Dominus DEUS tuus: Ego ſum veritas & vita, tu deſiderans veritatem, & vitam concupiſcens, viam, quâ ad hæc pervenire poſſes, profectò quæreres, & diceres tibi: Magna res veritas, magna vita: ſi eſſet, quomodo illuc perveniret anima mea. Quæris quà? Audi eum dicentem primò: Ego ſum via. Primò dixit, quà venias; poſtea, quò venias. Ego ſum

ſum via, ego ſum veritas. Ipſe manens apud Patrem veritas & vita eſt: induens ſe carne factus eſt via. Non tibi dicitur: Labora quærendo viam, ut pervenias ad veritatem & vitam, non, inquam, hoc tibi dicitur. Ergo ſurge piger, via ipſa ad te venit, & te de ſomno dormientem excitavit (ſi tamen excitavit) ſurge & ambula.

S. Bern. ſer. 22. in cant. XLII. Incaſſum laborat in acquiſitione virtutum, qui eas alibi, quàm in Chriſto quærit.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Lib. 1. c. 1. I. DOctrina Chriſti omnes doctrinas Sanctorum antecellit; & qui Spiritum Chriſti haberet, abſconditum ibi manna inveniret.

Lib. 2. c. 1. II. Da Chriſto locum, & ceteris omnibus nega introitum. Cùm Chriſtum habueris, dives es, & ſufficit tibi. Ipſe erit Proviſor tuus, & fidelis Procurator, ut non ſit opus in hominibus ſperare. Homines enim citò mutantur, & deficiunt velociter: Chriſtus autem manet in æternum, & aſtat uſque ad finem fortiter.

Ibid. III. Non requiem aliquando habebis, niſi Chriſto intimè fueris unitus.

Lib. 2. c. 7. IV. Teneas te apud JESUM vivens ac moriens, & illius fidelitati te committe, qui omnibus deficientibus ſolus poteſt te juvare.

Ibid. V. Plus homo nocet ſibi, ſi JESUM non quærit, quàm totus mundus, & omnes ſui Adverſarii.

Lib. 2. c. 8. VI. Eſſe ſine JESU gravis eſt infernus; & eſſe cum JESU dulcis Paradiſus. Si fuerit tecum JESUS, nullus poterit nocere inimicus.

Ibid. VII. Qui invenit JESUM, invenit theſaurum bonum; imò bonum ſuper omne bonum. Et qui perdit JESUM, perdit nimis multum, & plùs, quàm totum mundum. Pauperrimus eſt, qui vivit ſine JESU, & ditiſſimus qui benè eſt cum JESU.

Ibid. VIII. Eligendum eſt magis, totum mundum habere contrarium, quàm JESUM offenſum. Ex omnibus ergo caris ſit JESUS ſolus dilectus ſpecialis.

Lib. 3. c. 56. IX. Eia Fratres, pergamus ſimul. JESUS erit nobiſcum. Propter JESUM ſuſcepimus crucem: propter JESUM perſeveramus in cruce. Erit Adjutor noſter, qui eſt Dux noſter & præceſſor. En Rex noſter ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores: ſimus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ noſtræ, ut fugiamus à cruce.

§. V.

EXEMPLA SANCTORUM.

I. S. Joannes Baptiſta tanti facit Chriſtum, ut diceret, ſe indignum eſſe, qui corrigiam calceamentorum ejus ſolveret. *Jo. c. 1.*

II. S. Petrus, quantopere amârit Chriſtum, ſatis teſtatus eſt, dum tertia vice dixit: Domine, tu ſcis, quia amo te. *Jo. c. 21.*

III. S. Paulus ita Chriſtum imitari ſtuduit, & amavit, ut dicere auſus ſit: Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Et: Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi JESUM Chriſtum, & hunc Crucifixum. Et iterum: Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam JESU Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. *Gal. 2. 1. Cor. 2. Philipp. 3.*

IV. S. Maria Magdalena adeò Chriſtum diligebat, ut pedibus ejus ſemper affixa hæreret, & in mortem uſque comitaretur. *Luc. 10.*

V. S. Thomas Aquinas audiens à Chriſto: Bene de me ſcripſiſti Thoma, & quam mercedem petis? reſpondit: non aliam niſi te, Domine. *Sur. in vit.*

VI. S. Bernardinus opifici chartas luſorias facienti ſuaſit, ut pro iis chartis SS. JESU nomen faceret: paruit homo, & ditatus eſt. *Sur. in vit.*

VII. S. Thereſia de JESU voto ſe aſtrinxit, quod nolit, quantùm in ſe eſt, pati, ut à quoquam mortalium in amore iſthoc, Sponſique ſui expreſſa ſimilitudine ſuperetur. *Riber. l. 4. vit. c. 10.*

VIII. F. Narciſſus Dianenſis Laicus erga Puerum JESUM amore flagrabat, ut ejus colloquia tantùm de eo eſſent, cujus amore liquefactus etiam ecſtaſes patiebatur. Flores colligens iis partem lecti ſui aſpergebat. Rogatus cauſam reſpondit, hæc non mea, ſed pueri JESU lecti pars eſt, ideo æquum eſt, eam floribus exornare. *Annal. Capuc. 1609.*

IX. Cùm P. Petrus Faber Madriti cuidam doctrinam ſalutis petenti ſuaſiſſet, hæc quatuor puncta ſæpius ruminanda: Chriſtus in ſumma inopia, & ego in opulentia: Chriſtus in fame & ſiti, & ego in exquiſitis epulis: Chriſtus nudus, & ego pretioſè veſtitus: Chriſtus in doloribus, & ego in deliciis: ille his inſtructus dum ad epulas invitatus comparuiſſet, una harum ſententiarum occurrens ita eum movit, ut in lacrymas ſolutus abire debuerit. *Lyraus Apophs. 3. l. 1.*

X. Franciſcus à Puero JESU Valentiæ in Hiſpania mulieri peccatrici dixit: Soror, ſatis diu ſerviiſti vanitati & Sathanæ. Tempus eſt, ut etiam aliquando nato Infantulo ſervias. Riſit illa, ſed eâdem nocte tot ſcrupulis & timoribus agitata eſt, ut ſummo mane accederet ad confeſſionem, & factâ confeſſione Pœnitentiarum ordinem ingrederetur. Dictus eſt hic Franciſcus à Puero JESU, quia, quidquid ab aliis petebat, amore Parvuli in Bethlehem poſtulabat. *Ryſſelius in Nolo myſtic. to. 2. c. 58. n. 14.*

IX. Adoleſcens quidam cùm falsò à ſene accuſatus rogâſſet, ut ſuſpenderetur orientem ver- *Vita PP. l. 5. c. 72.*

Digitized by Google

verſus, ut Chriſtum intueri poſſet, mirabiliter à morte liberatus eſt.

§. VI

EXEMPLA DOMESTICA.

Vita. I. S. Ignatius cùm vitam Chriſti legiſſet, tanto eum imitandi deſiderio exarſit, ut eam, quam novimus & miramur, vivendi rationem ſuſceperit, ſocietatémque JESU inſtituerit.

Vita præfixato: de Aug. II. P. Franciſcus Suarez ſi nodus aliquis intricatior inter ſtudendum occurrebat, ſemper ad Chriſtum in cruce pendentem confugiebat, eúmque familiariſſimè conſulebat.

Annua. 1610. III. P. Thomas Sanchez hæc tria ſemper cariſſima habebat, atque in iis omnem ſpem ſuam ponebat, Chriſtum Crucifixum, Euchariſtiam, B. Virginem.

Hiſt. Soc. p. 1. l. 4. n. 76 IV. P. Oviedo vehementer lætatus eſt, ſe quinque vulneribus à Latronibus affectum, ut hoc modo Chriſto tantò ſimilior eſſet.

Ibid. l. n. 97. V. P. Emmanuel Nobrega ſcribens affectum ſuum ad gradum in Societate, velim, dicebat, neſcire quidquam velle, niſi Chriſtum, & hunc Crucifixum.

Annua Soc. 1598. VI. Franciſcus à villa Regali Coadjutor tanto in Chriſtum & ejus nomen amore ferebatur, ut Domeſticos pariter & externos ſalutaret his verbis: Laudetur Dominus noſter JESUS Chriſtus. His verbis contubernii pueros excitans per integrum quadrantem in iis durabat. Hæc eadem inſcripſit loco ſententiæ ſchedulis, quas Menſtrui loco dividebat externis. Hinc certabat, quis Spiritum diutius retinere poſſet in hoc nomine pronuntiato, & paſſim laudator Chriſti vocabatur.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Chriſtus Homo DEUS.

S. Dam. de orth. fid. c. 15. I. SIcut ferrum ignitum una res dicitur, licet in eo & ferri, & ignis natura reperiatur; ita & Chriſtus unus dicitur, licet divinam humanámque naturam conjunctam habeat.

S. Baſilius ſ. de Nat. Chriſti II. Sicut ferrum licet nigredinem & frigus contineat, ſi tamen igni uniatur, totum candens fervénſque efficitur; ita & humanitas Chriſti tota quodammodo divina propter unionem cum Verbo efficitur, nec tamen viciſſim Verbo ſuas infirmitates communicat.

S. Aug. ſ. 8. de verb. Dom. III. Sicut ſi quis purpuram aut Regale diadema in terra jacens contemnat, minimè reprehenſibilis cenſetur; ſecus verò, ſi illa Regio corpori conjuncta contemnere præſumpſerit; ita licet nullum ſit piaculum, humanitatem ſeorſim ſumptam non adorare, culpâ tamen non carebit, qui eandem divinitati unitam honorare noluerit.

S. Bern. S. 1. de adv. Dom. IV. Sicut flos campi abſque omni ſemine aut terræ foſſione, impinguationéque producitur; ita Chriſtus abſque omni virili ſemine productus, & ſine Matris corruptione aut imprægnatione generatus eſt.

Tertull. Luc. 14. V. Sicut Medici in ſævi morbi ulceribus humorem colligi ſinunt, & deinde remedia apponunt; ita & peccatum oportebat omnes ſpecies indicare, donec Chriſtus veniret, & Medicamentum apponeret.

VI. Sicut ſol radios per vitrum immittit in cubiculum, & vitrum non lædit; ita DEUS Pater miſit Filium ſuum in uterum Sanctiſſimæ Virginis, clauſtro virginali non violato.

Chriſtus amandus.

VII. Sicut ſi quis inſidias, quas Subditi Regi ſtruere præſumpſiſſent, detegeret, meritò omni amore & veneratione dignus cenſeretur: ita cùm Chriſtus omnes eáſque graviſſimas Mundi, Carnis, & Diaboli inſidias detexerit, modúmque eas evitandi oſtenderit, meritò non minori amore ac veneratione proſequendus eſt, quàm olim Aſuerus Rex Mardochæum, qui ſimiles inſidias detexerat, honoravit. *Eſther. 6.*

VIII. Sicut ij, qui ſalvi eſſe cupiunt, ante omnia caput ſuum tuentur, & amant, utpote ſine quo nec vivere, nec operari ſe poſſe ſciunt; ita cùm Chriſtus ſit caput noſtrum, & nos velut membra illius myſtica ſine ejus influxu nihil facere poſſimus, meritò ipſum præ omnibus aliis Sanctis amamus atque honoramus. *Col. 1. v. 18.*

Granad. in Solv. loc. com. f. 52. IX. Sicut, cùm vere novo ſol ad nos redit, omnia vivere incipiunt, terra parturit, arbores frondibus veſtiuntur, & tota terræ facies innovatur ac revireſcit, ideóque cum ſumma exultatione ac gaudio ſol rediens excipitur: ita cùm adveniente ad nos Chriſto per Incarnationem: velut ſole Juſtitiæ, tota Mundi facies ſpiritualiter innovata ſit, ſurrexerint Virginum chori, Monachorum cœtus, exercitus Martyrum, Confeſſorum & Pontificum ordo, meritò ipſe quoque amatur, & cum inſigni jubilo gaudióque jam nunc etiam oriens in anima excipitur.

Chriſtus imitandus.

X. Sicut ſi Actor aliquis promitteret, comœdiam exhibiturum, & exſpectante ſemper populo, nunquam inciperet, meritò graviſſimam populi indignationem in ſe concitaret; ita non minorem ſanè apud æternum Patrem & Sanctos indignationem promerebitur, qui poſtquam promiſit, ſe Chriſtum per veram imitationem exhibiturum, nunquam hanc Comœdiam ſeu repræſentationem inchoat.

XI. Sicut ij Diſcipuli, qui ſeriò proficere cupiunt, vel in Philoſophia, vel in Theologia, præcipuè ſui Profeſſoris ſcripta aſſiduò volvunt, animóque bene imprimere ſtudent; ita Chriſtianus in virtutis atque perfectionis Chriſtianæ ſtudio progredi cupiens, non meliùs id obtinebit, quàm ſi vitam & mores Chriſti frequenter meditetur, & per ſtudioſam imitationem aſſequi conetur.

XII. Sicut ſi Superior ad omnes occupationes ſit primus, & Subditi ſequi recuſent, meritò

ritò is hoc ægrè ferrè, conquerique cenſetur; ita non minus queri poterit Chriſtus, ſi, cùm ipſe ad omnes labores & virtuoſas actiones primus extiterit, Chriſtiani eum imitari recuſent.

§. VIII.

M O T I V A.

Chriſtus amandus.

Coloſſ. 1. v. 18. I. QUia eſt Caput noſtrum, principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum omnia reconciliare in ipſum.

Hebr. 2. v. 11. II. Quia non confunditur Fratres nos vocare dicens: Nuntiabo nomen tuum Fratribus
Matth. 28. v. 10. meis. Et iterum: Ite, nuntiate Fratribus meis, ut eant in Galilæam.

Cant. 5. v. 10. III. Quia eſt Sponſus, animæ, canditus per vitæ innocentiam & ſanctitatem, & rubicundus per paſſionem, ſanguiniſque ſui pretioſiſſimi totalem effuſionem, ideóque electus ex millibus.

S. Bern. IV. Quia Redemptor noſter eſt; quam cauſam meritò S. Bernardus præcipuam cenſet, dum ait: ſuper omnia te mihi amabilem reddit, ô bone JESU, calix, quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis. Hoc enim omnino amorem noſtrum ſibi vendicat.

Chriſtus imitandus.

Matth. 17. v. 5. V. Quia ita Pater æternus mandavit dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.

Jo. 13. v. 13. VI. Quia Magiſter noſter eſt ſapientiſſimus, ſanctiſſimus, & manſuetiſſimus, quæ tres proprietates ad perfectum Magiſtrum requiruntur. Hinc ipſe dixit: Vos vocatis me Magiſter & Domine; & bene dicitis. Et Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos faciatis.

Jo. 8. v. 12. VII. Quia ipſe ad imitationem hanc toties, tantiſque promiſſis invitavit, præcipuè dum dixit: Ego ſum Lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.
Jo. 14. v. 6. Et iterum: Ego ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, niſi per me.

Jo. 10. v. 27. VIII. Quia Paſtor noſter eſt, &, ut ipſemet dixit: Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis.

Chriſtus invocandus.

1. Jo. 2. v. 1. IX. Quia Advocatus noſter eſt, juxta teſtimonium S. Joannis: Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem JESUM Chriſtum juſtum.

1. Tim. 2. v. 5. X. Quia Mediator noſter eſt, teſte S. Paulo dicente: unus enim DEUS, unus & Mediator DEI & Hominum, homo Chriſtus JESUS.

Hebr. 2. v. 11. XI. Quia Frater noſter eſt; Quidni ergo cum fiducia ad hunc Proregem Ægypti cœleſtis potiore jure, quàm ad Joſephum olim Fratres, confugiamus, ab eóque frumentum gratiæ divinæ petamus?

XII. Quia Salvator noſter eſt; atque adeò *Act. 2. v. 21.*
omnis, quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit, teſte S. Petro.

§. IX.

M E D I A.

Ad Chriſtum imitandum.

I. MAgna æſtimatio de Chriſto, tanquam *Lib. de virgin.*
de perfectiſſimo Magiſtro; nam, teſte S. Ambroſio, primus diſcendi ardor, nobilitas eſt Magiſtri.

II. Frequens meditatio vitæ Chriſti; ut enim qui pingendo prototypum perfectè exprimere cupit, oculos ad omnia illius lineamenta aſſiduò reflectit; ita & qui Chriſtum perfectè imitari deſiderat, oculum mentis in vita moribúſque illius perpetuò defixum habeat oportet.

III. Ardens Amor erga Chriſtum: quia amor aut reperit ſimiles, aut facit, juxta commune Ethicorum effatum.

IV. Aſſiduum exercitium; ut enim fabricando Fabri, ita imitando Imitatores Chriſti efficimur.

Ad Chriſtum amandum.

V. Seria ponderatio amoris Chriſti erga nos; cùm enim, teſte Seneca, efficaciſſimum amoris philtrum ſit amor, quid tantus Chriſti amor in corde humano non efficiet, ſi accuratè ſecundùm potiores circumſtantias conſideretur?

VI. Altè menti imprimere, quòd prius Scri- *Thom.*
ptor pronuntiavit: Teneas te apud JESUM vi- *Kemp. l. 2.*
vens & moriens, & illius fidelitati te committe, *c. 7.*
qui omnibus deficientibus te ſolus poteſt juvare. Dilectio creaturæ fallax & inſtabilis: dilectio JESU fidelis & perſeverabilis.

VII. Humilitatis & pacis internæ ſtudium, *Lib. 2. c. 8.*
uti idem Author ſuaſit his verbis: Magna ars eſt, ſcire cum JESU converſari, & ſcire JESUM tenere, magna prudentia. Eſto humilis & pacificus, & erit tecum JESUS. Sis devotus & quietus, & manebit tecum JESUS.

VIII. Contemptus generoſus externarum & ſenſibilium conſolationum: poteris enim, inquit idem Scriptor, fugare JESUM, ſi volueris ad exteriora declinare. E contrario verò *Lib. 2. c. 8.*
frequens illi viſitatio cum homine interno, dul- *& 1.*
cis ſermocinatio, grata conſolatio, multa pax, & familiaritas ſtupenda nimis.

§. X. AS:

Digitized by Google

§. X.
ASCETICA.

TRia præcipuè circa Chriſtum & bene apprehendere ipſe, & alios docere debet Aſceta.

I. Primum eſt, ut bene apprehendat qualitatem, neceſſitatem, & dignitatem Incarnationis & *Qualitatem* quidem optimè ex Symbolo S. Athanaſii intelligere poterit, ubi ea ſequentibus verbis explicatur. Eſt ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noſter JESUS Chriſtus DEI Filius, DEUS & Homo eſt. DEUS eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus: Homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus. Perfectus DEUS, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Æqualis Patri ſecundùm divinitatem; minor Patre ſecundùm humanitatem. Qui licet DEUS ſit & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in DEUM. Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate Perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita DEUS & homo unus eſt Chriſtus. *Neceſſitatem* ex SS. Patrum doctrina cognoſcet, nam, ut rectè S. Auguſtinus ait, ſi homo non periiſſet, Filius hominis non veniret. Et niſi primus homo de- *De verb. Apoſt.* linqueret, ſecundus ad paſſionum probra minimè veniret, teſte S. Gregorio. *l. 3. moral.* Hinc & S. Ambroſius, non prodeſſet, inquit, naſci, *S. Ambr. ſuper Luc.* niſi redimi profuiſſet. Clariſſimè verò S. Auguſtinus, *S. Aug. l. 10. conf.* Mediator, ait, inter DEUM & homines, oportebat, ut haberet aliquid ſimile DEO, aliquid ſimile hominibus, ne in utroq; hominibus ſimilis, longè eſſet à Deo; aut in utroq; DEO ſimilis, longè eſſet ab hominibus, atque ita Mediator non eſſet. Dignitatem denique intelligere poterit ex Granatenſis diſcurſu, quem ſic format: Dignitas Divinæ Legis & Dominicæ Incarnationis beneficium colligitur ex illis Moyſis verbis: *Deut. 4. v. 32.* interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die, quo creavit DEUS hominem ſuper terram, à ſummo cælo uſque ad ſummum ejus: ſi facta eſt hujuſcemodi res aliquando, aut unquam cognitum eſt, ut audiret Populus vocem Domini DEI loquentis de medio ignis, ſicut tu audiſti, & vidiſti. Si ergo magnum fuit, DEUM per Angelum loqui de medio ignis, quid erit ipſum DEI verbum ac verum DEUM in aſſumpto homine toties inter Diſcipulos conſedentem, eóſque cæleſtibus diſciplinis imbuentem cernere? Rectè proin S. Bernardus ait: *S. Bern. in Epiſt.* Nemo hominum novit, nec noſcere poteſt ad plenum, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad ſapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad ſalutem, penes ſeipſam contineat hujus venerandi myſterii, humanæ Redemptionis inſcrutabilis altitudo.

II. Alterum eſt, ut benè apprehendat, aliiſque inculcet tria officia Chriſti primaria, nempe Ducis, Magiſtri, & Redemptoris, quæ ipſemet indicavit, dum dixit: *Jo. 14. v. 6.* Ego ſum via (quia duco ad cælum) veritas (quia doceo homines veritatem) & vita (quia redempturus ſum illos.) Hinc S. Leo, Chriſtus, inquit, eſt via *S. Leo ſer. 2. de reſurr.* ſanctæ converſationis; veritas doctrinæ divinæ; vita beatitudinis ſempiternæ. Et S. Cyrillus: *S. Cyrill.* Chriſtus nobis eſt via per vitæ actionem: veritas per fidei rectitudinem; vita per ſanctificationem.

III. Tertium eſt, ut pariter bene apprehendat tria officia, quæ viciſſim quivis Chriſtianus erga Chriſtum exercere debet, nempe 1. *Caritatem teneriſſimam propter dilectionem*, *S. Auguſt.* quod officium pulchrè indicavit S. Auguſtinus, dum dixit: Domine, qui tibi non ſervit, (& te amat) quia creatus eſt, infernum meruit; ſed qui tibi non ſervit (& te non diligit) quia redemptus eſt, meretur, ut novus pro illo infernus fiat. 2. *Gratitudinem maximam propter redemptionem*: ſi enim, ut S. Bernardus ſapienter advertit, totum me debeo pro me facto, quid addam pro me refecto, & refecto hoc modo? 3. *Imitationem ſtudioſiſſimam propter perfectionem*: Idem enim Dominus JESUS, ut ait S. Laur. Juſtin. *S. Laur. Juſt. in Ligno vitæ c. 5.* quod aliàs docuit verbo, ipſe ſuos primò formavit exemplo. Utrumq; nobis, & meritum patientibus & patiendi ſpeculum factus. Et clariùs S. Ambroſius: *S. Ambr. ſer. 16. in pſ. 118.* Tempus faciendi, non jubendi, quia non legatus, neque Nuntius, ſed Dominus ipſe ſalvaturus erat populum ſuum. Tempus faciendi, Domine, hoc eſt, ut crucem aſcendas, ut mortem ſubeas; totus in periculum ultimum mundus urgetur: factum tuum ſubveniat, quoniam nec tua præcepta prodeſſe poterunt.

§. XI.
CONCEPTUS PRÆDICABILES.
Chriſtus Incarnatus

I. POteſt oſtendi fructus Incarnationis potiſſimus, ſcilicet reconciliatio hominis cum DEO, ideóq; Chriſtus iridi comparari. 1. *Propter ſimilitudinem finis*, *Gen. 9. v. 6.* quem DEUS indicavit, dum dixit: erat arcus meus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis ſempiterni; quod pactum eſt inter DEUM & inter omnem animam viventem. 2. *Propter ſimilitudinem eſſentiæ*: ut enim iris eſt ſplendor ſolis in nube receptus, habétq; duo cornua; ita Chriſtus eſt ſplendor & figura Patris in carne humana receptus, duáſq; naturas divinam ſcilicet & humanam habet. 3. Propter ſimilitudinem colorum: ut enim iris tres habet colores viridem, cæruleum, rubeum; ita in Chriſto triplicis generis Myſteria reperiuntur, gaudioſa per viridem, doloroſa per rubeum, glorioſa, per cæruleum colorem ſignificata. 4. Propter ſimilitudinem odoris, quem iris materialiter, Chriſtus ſpiritualiter per virtutes & miracula reliquit. Excitandi proinde Auditores, *Eccl. 43. v. 12.* ut agnoſcant, & ſequantur conſilium Eccleſiaſtici dicentis: Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo. Vide Fabrum in feſto Annunc. c. 2. n. 1.

II. Poteſt ex occaſione ſententiæ: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum*: *Iſaiæ 45. v. 8.* comparari Chriſtus rori. 1. Quia ut ros ſub noctem cecidit in terram, id eſt, uterum virgineum, juxta Salomonis teſtimonium: *Sap. 18. v. 14.* cùm quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus exiliens de cælo à regalibus ſedibus venit. 2. Quia

ut roris generatio occulta eſt, & is ſine ſtrepitu in terrã cadit; ita idẽ de Chriſti generatione veriùs dicitur. 3. Quia ſicut ros ſuavẽ odorem aſpirat viventibus, terræq; fœcunditatẽ affert; ita Chriſt⁹ & ſuaviſſimũ odorem exemplorũ reliquit, & tam in utero virgineo, quàm hominũ pectoribus pretioſiſſimos pulcherrimarũ virtutum fructus producit. 4. Quia ſicut olim ex rore Deus Iſraëlitis Manna confecit; ita Deus ex Chriſto Euchariſtiã, quæ omnẽ ſaporem ſuavitatis in ſe continet. 5.
Iudic. 6. v. 38. Quia ſicut per rorẽ in vellus Gedeonis delapſum Deus ſignificavit, ſe Iſraëlitas ab inimicis liberaturũ; ita per Chriſtũ in uterum virginis delapſum indicavit idẽ Deus, ſe humanũ genus à ſervitute Diaboli liberaturũ. Excitandi proinde Auditores, ut, quoniam paratus eſt etiamnũ Deus, hunc rorem in ipſorũ animas demittere, ſinũ cordis ſui aperiant, magnóq; deſiderio eundẽ excipiant, ut ſuaviſſimo illius odore liquoréq; ſaluberrimo recreentur, & fœcundentur. Interea dicant cũ Eccleſia: ſicut pluvia in vellus deſcendiſti, ut ſalvum faceres genus humanũ. Te laudam⁹ Deus noſter.

Io. 14. v. 6. III. Poteſt ex occaſione ſententiæ: *ego ſum via, veritas & vita*: explicari triplex officium Chriſti, nempe Ducis, Magiſtri, & redemptoris. Et 1. quidẽ oſtendi, quòd ſit Dux peritus viæ, fidelis & jucundus, cujus converſatio non habet amaritudinem. 2. Magiſter ſanctiſſimus, ſapientiſſimus, & manſuetiſſimus. 3. Redemptor potentiſſimus, promptiſſimus, Deóq; gratiſſimus. Unde excitandi Auditores, ad tria officia Chriſtiani, nempe caritatem, gratitudinem, & imitationem exercenda. Vide Fabrum in Feſto Nativ. conc. 5.

Malach. 4. v. 2. IV. Poteſt ex occaſione thematis: *& orietur vobis timentibus nomen meũ, ſol juſtitiæ*: Chriſtus ſoli comparari. 1. Quia uti ſol in ſe maximus, & centies ſexagies terrâ major, nobis tamẽ parvus, & metæ ſagittariæ ſimilis apparet; ita Chriſtus quidem parvulus apparuit, ut ſol, ſed in ſe major erat omnibus creaturis. 2. Quia luce ſuæ Sapientiæ, & calore ſuæ caritatis totum mundum illuſtravit, fœcundavitq;, nocturna verò ſpectra & tartareos ſpiritus fugavit. 3. Quia ut ſol celerrimè mundum propè univerſum per ſe, & ſuos Apoſtolos peragravit. 4. Quia ut ſol per duodecim ſigna Zodiaci occurrit. Et in *Geminis* quidem fuit tempore Incarnationis, quando duas naturas conjunxit: In *Cancro*, quando adhuc in utero matris exiſtens, Bethlehemii ab omnibus repulſus, retrò cedere in ſtabulum ibíq; naſci coactus eſt: aut quando ex DEI ſumma dignitate ad hominis viliſſimã conditionẽ deſcendit: In *Virgine*, quando recenter natus in gremio Matris recubuit: In *Libra*, quando per privatam vitam actiones ſuas omnes voluntati juſtitiæq; divinæ conformavit. In *Leone*, quando tempore prædicationis plurimis voce ſua ſalutarem terrorem incuſſit. In *Arcitenente*, quando per orationẽ aſſiduã ardentiſſimas ſagittas deſideriorũ, piorúmq; affectuũ in cælum jaculatus eſt: In *Scorpione*, quando fatalẽ ictum in morte accepit, & Eclypſatus eſt, per interpoſitionẽ terræ in ſepulchro. In *Capro*, quando in montibus verſatus, vel oravit, vel prædicavit, vel transfiguratus eſt: In *Piſcibus*, quando tempore Paſſionis obmutuit, & nec verbo apud Pilatum ſe defendit. In *Ariete*, quando ſeipſum Patri in cruce victimã obtulit. In *Tauro*, quando in infernum deſcendens, ejuſdem januas perfregit, & divinitatis humanitatiſq; ſuæ potentia Dæmones vicit. In *Amphora*, quando Baptiſmũ inſtituit, & diſcipulos ſuos omnes gentes baptizare juſſit. Excitandi proinde Auditores, ut ſtudeant eſſe Heliotropia, & ad ſolẽ hunc ſe convertentes, ſalutares ab eo influxus recipere ſtudeant.

V. Poteſt ex occaſione thematis: *& peperit filiũ ſuum primogenitũ*: oſtendi, quomodo Chriſtum *Luc. 2. v. 7.*
Natũ optimè colere, & amare poſſimus, ſi videlicet officia à Matre ſua corporaliter illi exhibita, ſpiritualiter nos præſtemus. Et 1. quidẽ eũ *concipiamus*, eliciendo propoſitũ emendationis, dicẽdóq;: ecce ancilla (vel ſerv⁹) Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuũ. 2. *Generemus*: exequendo propoſitum & voluntatem divinam implendo, quam qui facit, verè Mater eſt Chriſti, ut ipſemet *Matth. 12. v. 50.* Chriſtus faſſus eſt. 3. *Pannis munda conſcientiæ involvamus*; quod fiet, ſi conſuetudines malas ſtudioſè devitare ſtudeamus. 4. *Lacte dulciſſimo devotionis ſolidæ paſcamus & nutriamus*: quod præcipuè per promptam & accuratam operũ ad propriam cujuſq; vocationẽ & ſtatum pertinentium executionem præſtandum eſt. 5. *Reclinemus in præſepio*: corde ſcilicet noſtro, eiſq; per veram humilitatem fœnum ſubſternamus; hoc enim ei præſepe gratiſſimũ eſſe certum eſt, utpote quod ipſe petierit dicens: Fili, præbe cor tuum mihi. 6. *Portemus in ulnis*: nõ in proſperis magis, quàm *Prov. 23. v. 26.* in adverſis eidem adhærendo, dicendóq; cum S. Paulo, quis me ſeparabit à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto JESU Dom. noſtro. 7. *Canticũ ei cante-* *Rom. 8. v.* *mus*: & novũ quidẽ cũ S. Dav. quod faciemus, ſi *35.* ſtuduerim⁹, ut intellect⁹, voluntas, & omnes aliæ vires noſtræ concordent, novã q; vitã inchoëm⁹. *Pſ. 149. v. 1.*

VI. Poteſt ex occaſione thematis: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis* *Luc. 2. v. 10.* *Salvator*: oſtendi, quale gaudium attulerit Nativitas Chriſti univerſo mundo. Et 1. quidem *Deo* per gloriã ipſius ſummè amplificatã. 2. *Angelis* ob ſedes ipſorum & ruinas reſtauratas. 3. *B. Virgini & Joſepho*, dum in eorum ſinu & ulnis recumbere dignatus eſt. 4. *Hominibus*, dum ad eos ſalvandos venit. 5. *Patribus in Limbo*, dum ſpem liberationis certiſſimã cauſavit. Excitentur ſubinde Auditores partim ad ſpirituale gaudiũ concipiendum; partim ad Nativ. ſpiritualem per novũ vitæ emendandæ fervorẽ inſtituendã, oſtendaturq́; breviter, quantũ gaudiũ & ipſi per hanc nativ. Deo, B. V. Ang., Patronis, Hominib⁹, quibuſcũ agunt, purgantib⁹ animab⁹ creare poſſint.

VII. Poteſt ex occaſione thematis: *Natus* *Luc. 2. v. 11.* *eſt vobis hodie Salvator*: dici, antiquum eſſe morem, ut natales dies magnorum Dominorum magna cum ſolennitate celebrentur, variáque dona Natalitia offerantur. Excitari proinde poſſunt Auditores, ut & ipſi ſequantur hunc morem, &c., quia dignum tali Domino munus non habent, imitentur Æſchinem pauperem ſtudioſum, qui, cùm Magiſtro Socrati varii varia dona offerrent, ipſe quoq; acceſſit, &c. cùm aliud non haberet ſeipſum obtulit, audiitque à Socrate: Bono animo eſto, ô Æſchines: verè tu liberalitate tua omnes alios ſuperâſti, ac proinde vel ex hoc tempore operam dabo, ut te tibi melio-

rem

rem quandam reſtituam. Poterit ergo concio in duas dividi partes, & in prima quidem probari, quòd hoc donum ſit Chriſto gratiſſimum, quia multùm dat, qui nihil ſibi retinuit. In ſecunda autem oſtendi poſſet, quomodo etiam Chriſtus nos nobis ſit reſtituturus meliores in bonis naturæ, in bonis gratiæ, & in bonis gloriæ. Vide Tho. Kemp. l. 4. c. 8. & Fabrum in feſto Purit. conc. 2. n. 4.

Chriſti Nomen.

Cant. 1. v. 2.

VIII. Poteſt ex occaſione thematis: *Oleum effuſum nomen tuum*: comparari SS. JESU nomen cum Oleo. 1. Quia ut oleum ſupernatat omnibus liquoribus, ita hoc nomen eſt nomen ſuper omne nomen, præcipuè quoad ſignificatum, quod excedit omne bonum creatum. 2. Quia ſicut oleum cibis condiendis adhibetur; ita SS. nomen JESU omnibus actionibus admiſcendum eſt, præcipuè precibus ad imitationem Eccleſiæ ſemper claudentis orationes *per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum*; ſic enim implebitur, quod Chriſtus dixit: ſi quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. 3. Quia ſicut oleum ad lucem alendam peraptum eſt; ita SS. JESU nomen ad ſcientias & ſapientiam, uti pius Scriptor in Perſona Chriſti ſic loquens fatetur: Ego ſum, qui doceo hominem ſcientiam, & clariorem intelligentiam parvulis tribuo, quam ab homine poſſit doceri. 4. Quia ſicut oleum roborat certaturos, ita SS. nomen JESU contra Diaboli inſidias munit, ejúſq; vires frangit, uti ex pluribus hiſtoriis patet. Quare excitandi erunt Auditores, ut vaſa electa, id eſt, corda munda præparent pro hoc oleo, illáque iſto copiosè adimpleri à Chriſto petant.

Jo. 14. v. 14.

De imit. l. 3. c. 48.

Luc. 1. v. 31.

IX. Poteſt ex occaſione thematis: *Vocabis nomen ejus JESUS*: hoc SS. nomē, prout depingi ſolet, pro ſtrena offerri. Et prima quidem litera I Clericis offerri, tum quia & litera perfectiſſima & rectiſſima, utpote ſignificationem totius nominis continens: tum quia ſignificat Irionē, atq; adeò monet Sacerdotes, ut præeant exemplo & ſint prompti ad omnia officia ſuæ vocationi convenientia. Secunda litera H Conjugatis offerri poteſt; tum quia ſignificat indiſſolubilē conjunctionem per mediam lineolam; tum quia per crucem in medio poni ſolitam indicat tribulationes in matrimonio non defuturas, ſed quæ per nomen & auxilium JESU leniendæ ſint. Tertia S. Studioſæ juventuti offerri poteſt, ſimúlque indicari, quòd à Chriſto diſcere debeat, vitam à pueritia rectè inſtituere, atq; adeò proficere in ætate, ſapientiâ, gratiâ apud DEUM & homines. Hortandi proinde Auditores, ut boni conſulant hanc ſtrenam, atq; ex ea ſolidum fructum referre ſtudeant.

§. XII.

MISCELLANEA.

I. MErcator ille, qui ſuadente S. Bernardino nihil aliud, quàm S. JESU nomen effinxit, ditiſſimus eſt; quis ergo dubitat, ditiorem multo futurum eum, qui nihil aliud quàm Chriſtum in operibus ſuis formare, & repræſentare conabitur. Certè ſi Chriſtum benè ſcis (imitari) ſatis eſt, ſi cetera neſcis.

II. Si B. Virgo Pictorem, qui ipſius imaginē elegantiſſimè ſemper efformare ſtuduit, à lapſu in terrā præſervavit, manu ab imagine porrectâ; quantò magis Chriſtus à lapſu in peccatum præſervabit eos, qui ipſum in cordibus ſuis pulcherrimè depingere ſtuduerint.

III. S. Damaſceno, cùm fortiter imaginum cultū defendiſſet, & reſtauràſſet, ob eámq; cauſam Leo Iſauricus manū abſcindi juſſiſſet, B. Virgo manū integrè reſtituit; quantò magis Chriſtus contra Leonē Tartareū nos defendet, ſi imaginē ſuam, id eſt, virtutes ſuas reſtaurare ſtudebimus.

IV. Quidam Rex confici ſibi veſtem ex panno juſſit, ut Mercatores pannū ſimilis materiæ vendere poſſent. Aurelius Imp. volens reducere ſtudia Philoſophica primus ſcholam ingreſſus eſt, & omnes poſt ſe traxit. Sub Ludovico 2. Rege Franciæ nemo æſtimabat ſtudia, quia is Filium ſtudere nolebat propter imbecillitatē. Sub Franciſco primo florebant, quia viros doctos amabat. Idem quia tonderi ſe juſſerat, ut faciliùs vulnus auris curaretur, effecit, ut nemo capillos longos portare vellet. Quia Alexan. & Alphonſus Rex collo obtorto incedebant, idem Aulici quoque faciebant. Æthiopes ita amabant Reges, ut ad eorum imitationem vivere, veſtire, loqui, incedere, comedere, bibere ſtuderent, imò & oculum eruerent, aut crus debilitarent, ſi Regem talem haberent. Quantò magis ſimilis amor, & imitationis ſtudiū erga Chriſtum exercendū eſt.

V. Chriſtus S. Birgittæ dixit: quid te delectat audire opera Mundanorum, & bella Procerum, & cur tali auditu inani occupâris? cùm ego ſim omniū Dominus, nulláq; delectatio ſine me in ptetio habenda ſit. Si cupis audire facta magni Domini; ſi conſiderare opera magnalia, debes utiq; audire & conſiderare facta mea, quæ intellectui incompræhenſibilia ſunt, cogitatione ſtupenda, & auditu admiranda. *Lib. 6. rev. c. 27.*

VI. Inter alia præconia Chriſtus rectè flos campi dicitur, partim quia ſine Perſonarum acceptione omnibus eum carpere volentibus in commune propoſitus eſt; partim quia ſolo cæleſtis ſpiritûs influxu, ſine ulla humani cultus opera in caſtiſſimis Virginis viſceribus, velut in campo quodam ſatus & conſervatus fuit. *Granat. in ſilva loc. com.*

VII. Chriſtus Admirabilis eſt in Nativitate, conſiliarius in prædicatione, Deus in operatione, fortis in paſſione, pater futuri ſæculi in reſurrectione, Princeps pacis in perpetua beatitudine. *S. Bern. ſer. 10. inter parvos.*

VIII. Triplex eſt Chriſti Nativitas, naturalis in carne, ſpiritualis in corde, æterna in cælo. Primâ natus eſt ſemel; ſecundâ ſæpe, tertiâ ſemper. Prima fuit abſq; Matre, ſecunda abſq; Patre & matre. *Faber in feſto Nat. conc. 3.*

IX. Pulchram exhortatiunculam ad Chriſti imitationē & amorem propoſuit S. Bern. in hæc verba: Obſecro vos, dilectiſſimi, conſiderate diligentiùs, quantum fecerit Deus pro veſtra exhortatione & ſalute, ne infructuoſus inveniatur in vobis ſermo tam vivus & efficax, ſermo fidelis, & omni acceptione dignus, ſermo non tam oris, quàm operis. Putatis, Fratres, parùm mihi moleſtum eſſe, ſi hoc ipſum verbum, quod nunc loquor ad vos, vacuū & ſine aliqua utilitate deperire in cordibus veſtris nô ſſem? & quis ſum ego, aut quis eſt hic ſermo meus? ſi hunc tantillū vocis laborē, inutilē eſſe doleret homo puſillus, *Serm. 3. in Natal. Dom.*

ſmò & nihil: quàm juſtiùs indignabitur Dominus Majeſtatis, ſi tantam ejus operam noſtrâ aut duritiâ aut negligentiâ contingat evacuari? Avertat hoc in ſervulis ſuis, qui pro eorum ſalute induere dignatus eſt formam ſervi.

S. Bern. ſ. 3. in Nat. X. Primus Adam pelliceis veſtitur tunicis, pannis ſecundus involvitur. Non eſt tale judicium Mundi. Aut iſte fallitur, aut mundus errat. Sed divinam impoſſibile eſt falli Sapientiam. Et mox: Chriſtus utique qui non fallitur, elegit, quod moleſtius eſt. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum. Et quiſquis aliud docet, vel ſuadet, ab eo tanquam ſeductore cavendum.

XI. Quid mirum, ſi inter proſpera fluctuas & adverſa, qui necdum ſtatuiſti ſupra petram pedes tuos? dicebat S. Bernardus Henrico Magiſtro ſuo.

XII. B. Saleſius dicebat: non maneamus in nobis, ſed mente, intentione, ac fiducia domicilium figamus in aperto latere Chriſti, nam ſine illo nihil poſſumus; & licet poſſemus, nollemus tamen aliquid ſine illo aggredi; totum in illo, totum per illum, totum cum illo, totum propter illum nos habere oportet: totum noſtrum ipſe eſt.

XIII. Chriſtus S. Birgittæ dixit: magis paterer cor meum vulnerari & dividi, quàm te carere. Et iterum: talis mihi etiamnum eſt voluntas, qualis fuit pendenti in cruce; idem enim modò ſum, qui tunc fui, quando Latroni miſericordiam petenti peccata omnia dimiſi, & cæli portas aperui.

§. XIII.

AUTHORES.

I. EUſebii Nierenbergii Amor erga JESUM.

II. Jeremiæ Drexelii Chriſtus naſcens, moriens, reſurgens.

III. Gaſparis Tauſch Fontes Salvatoris.

IV. Franciſci Arrias Tomus de Imitatione Chriſti.

V. Antonius Gaudier de Imitatione Chriſti.

VI. Ludolphus de Saxonia de vita Chriſti.

VII. Thomas de Kempis de Imitatione Chriſti.

VIII. Euſebius Nierenbergius in Doctrinis Aſceticis lib. 3.

TITVLVS XII.

DEUS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

In Soliloq. EST ſubſtantia ſpiritualis, omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices (id eſt, tales, quas meliùs eſt habere, quàm non habere) continens. S. Auguſtinus ſic eum fuſiùs deſcripſit: DEUS vera & ſumma vita, in quo, & à quo, & per quem bona ſunt omnia, quæ beata ſunt. DEUS, à quo averti, cadere; in quem converti reſurgere; in quo manere, conſiſtere eſt. DEUS, à quo exire, mori; & in quem redire, reviviſcere: & in quo habitare, vivere eſt. DEUS, quem nemo amittit, niſi deceptus: quem nemo quærit, niſi admonitus: quem nemo invenit, niſi purgatus. Imò & Plato eum agnoviſſe videtur, dum dixit: DEUS eſt ſummum bonum, ſupra omnem ſubſtantiam, omnémque naturam, quod cuncta expetunt, cùm ſit ipſe plenæ perfectionis, & nullius indigus. *In Timæo.*

Attributa.

II. Duplicis generis Attributa ei conveniunt. 1. Negativa, qualia ſunt eſſe incorporeum, increatum, infinitum, immenſum, immutabilem, incomprehenſibilem, inviſibilem, ineffabilem, ſimplicem, indiviſum, æternum. 2. Poſitiva, qualia ſunt eſſe bonum, ſapientem, omnipotentem, juſtum, miſericordem.

Trinitas Perſonarum.

III. Tres reperiuntur in DEO Perſonalitates, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, diſtinctæ quidem à ſe mutuò realiter, non autem à natura, æqualem gloriam & Majeſtatem coæternam habentes, ita ut qualis eſt Pater, talis ſit & Filius, & Spiritus Sanctus. *Symb. S. Athan.*

Proceſſiones.

IV. Duæ etiam Proceſſiones inveniuntur in DEO, per quarum priorem Filius à Patre generatur, mediante cognitione eſſentiæ & rerum poſſibilium, ac proinde, quia verè eſt proceſſio viventis à vivente, velut principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ, generatio vocatur: per poſteriorem Spiritus S. à Patre & Filio ſpiratur, & procedit mediante volitione ſeu amore mutuo Patris & Filii, unde ſpiratio paſſiva dicitur, cui ex parte Patris & Filii ſpiratio activa utrique communis, & realiter diſtincta, ſicut & generationi paſſivæ Filii in Patre generatio activa ſeu Paternitas reſpondet. Et de his duabus Proceſſionibus intelligendum eſt, quòd S. Athanaſius in Symbolo dixit: Pater à nullo eſt

fa-

ctus, nec creatus, nec genitus: Filius à Solo Patre non factus, nec creatus, ſed genitus: Spiritus Sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Miſſiones.

Miſſio Perſonarum divinarum, eſt apparitio temporalis Perſonæ procedentis. Dividitur in viſibilem, quæ eſt ad terminum viſibilem, quo modo Filius miſſus eſt, ad naturam humanam aſſumendam. Et inviſibilem, quæ fit interno & ſpirituali modo; uti S. Spiritus miſſus eſt ad mentes noſtras, caritate DEI replendas.

Operationes.

Duplicis quoque generis operationes DEO conveniunt. 1. Internæ; & hæc ſunt intellectio, & volitio. 2. Externæ; & hæ ſunt Angelus, Homo, Mundus, ceteræque creaturæ.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

DEI Exiſtentia.

Exod. 3. v. I. DIxit Dominus ad Moyſem: Ego ſum,
14. qui ſum.
II. DEUS, qui fecit mundum, & omnia,
Act. 17. v. quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cùm ſit Do-
24. minus, non in manufactis templis habitat, nec
manibus humanis colitur, ind gens aliquo,
cùm ipſe det omnibus vitam & inſpirationem,
& omnia.
Iſaia 44. III. Hæc dicit Dominus Rex Iſraël, Re-
v. 6. demptor ejus, Dominus Exercituum: Ego
primus & ego noviſſimus, & abſque me non
eſt DEUS.

Unitas.

Deut. 32. IV. Videte, quòd ego ſim ſolus, & non
v. 39. ſit alius DEUS præter me.
Iſaia. 43 v. V. Ego ipſe ſum: ante me non eſt forma-
10. tus DEUS, & poſt me non erit.
Deut. 4. v. VI. Scito ergo hodie, & cogitato in cor-
39. de tuo, quòd Dominus ipſe eſt DEUS tuus
in cælo ſurſum, & in terra deorſum, & non
ſit alius.

Perfectio.

Ex. 33. v. VII. Ego oſtendam omne bonum tibi.
19. VIII. Magnus Dominus, & laudabilis ni-
Pſ. 144. v. mis: & magnitudinis ejus non eſt finis.
3. IX. Ecce Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & qua-
Iſ. 40. v. ſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt: ecce in-
15. ſulæ quaſi pulvis exiguus.
Eccl. 43. v X. Multa dicemus, & deficiemus in ver-
29. bis; conſummatio autem ſermonum ipſe eſt
in omnibus. Glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis, ſupervalebit adhuc,
& admirabilis magnificentia ejus.

Potentia.

Job. 9. v. 13. XI. DEUS, cujus iræ nemo poteſt reſiſte-
re, & ſub quo curvantur, qui portant orbem.

XII. Tu es Domine, qui vitæ & mortis *Sap. 16. v.*
habes poteſtatem, & deducis ad portas mor- *13.*
tis, & reducis.
XIII. Multùm valere tibi ſoli ſuberat ſem- *Sap. 11. v.*
per, & virtuti brachij tui quis reſiſtet? *22.*
XIV. Bona & mala, vita & mors, pauper- *Eccl. 11. v.*
tas & honeſtas à DEO ſunt. *14.*
XV. Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe manda- *Pſ. 148. v.*
vit, & creata ſunt. *5.*
XVI. Ipſe enim ſolus eſt, & nemo averte- *Job. 23. v.*
re poteſt cogitationem ejus: & anima ejus, *13.*
quodcunque voluit, fecit.
XVII. Adonai Domine, magnus es tu, & *Judith. 16.*
prævalens in virtute tua, & quem ſuperare ne- *v. 16.*
mo poteſt.
XVIII. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, *Rom. 11. v.*
& in ipſo ſunt omnia. *36.*

Omniſcientia.

XIX. Non eſt ulla creatura inviſibilis in *Hebr. 4. v.*
conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta *13.*
ſunt oculis ejus.
XX. Pravum eſt cor hominis, & inſcruta- *Jer. 17. v. 9.*
bile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus
ſcrutans cor, & probans renes.
XXI. Abyſſum & cor hominum inveſti- *Eccl. 42. v.*
gavit. Non præterit illum omnis cogitatus, *18. & 20.*
& non abſcondit ſe ab eo ullus ſermo.
XXII. Ecce enim in cælo teſtis meus, & *Job. 16. v.*
conſcius meus in excelſis. *20.*

Juſtitia.

XXIII. Non ſubtrahet Perſonam cujuſ- *Sap. 6. v.*
quam DEUS, nec verebitur magnitudinem *8.*
cujuſquam: quoniam puſillum & magnum
ipſe fecit, & æqualiter illi cura eſt de omnibus.
XXIV. Ne dixeris: Peccavi, & quid acci- *Eccl. 5. v.*
dit mihi triſte? Altiſſimus enim eſt patiens *4.*
redditor.
XV. Juſtus es Domine, & omnia judicia *Tob. 3. v. 2.*
tua juſta ſunt.
XXVI. Juſtus Dominus DEUS noſter in *Dan. 9. v.*
omnibus operibus, quæ fecit. *14.*

Miſericordia.

XXVII. Miſereris omnium, quia omnia *Sap. 11. v.*
potes, & diſſimulas peccata hominum propter *24.*
pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ ſunt:
& nihil odiſti eorum, quæ feciſti.
XXVIII. Parcis autem omnibus, quoniam *Sap. 11. v.*
tua ſunt Domine: qui amas animas. *27.*
XXIX. O quàm bonus & ſuavis eſt, Do- *Sap. 12. v.*
mine, Spiritus tuus in omnibus! ideóque eos, *1. & 2.*
qui exerrant, corrigis, & de quibus peccant,
admones, & alloqueris, ut relictâ malitiâ credant in te Domine.
XXX. Quomodo miſeretur Pater Filio- *Pſ. 102. v.*
rum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe; *13.*
quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum.
XXXI. Miſericordiâ tuâ, Domine, plena *Pſ. 118. v.*
eſt terra. *64.*
XXXII. Quàm magna miſericordia Do- *Eccl. 17.*
mini, *v. 28.*

Google

mini, & propitiatio illius convertentibus ad ſe?

Thren. 3. v. 22. XXXIII. Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes ejus.

Pſ. 24. v. 10. XXXIV. Univerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas.

Providentia.

Sap. 8. v. 1. XXXV. Attingit à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.

Sap. 12. v. 13. & 18. XXXV. Non eſt alius DEUS, quàm tu, cui cura eſt de omnibus. Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis nos: ſubeſt enim tibi, cùm volueris, poſſe.

Matth. 10. v. 29. XXXVII. Nónne duo paſſeres aſſe væneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro.

Sap. 14. v. 3. XXXVIII. Tua autem Pater providentia ab initio cuncta opera gubernat.

Immenſitas.

Jerem. 23. v. 23. XXXIX. Putáſne DEUS è vicino ego ſum, dicit Dominus, & non DEUS de longè? ſi occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?

Pſ. 138. v. 7. 8. 9. 10. XL. Quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas mens diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Act. 17. v. 27. & 28. XLI. Quamvis non longè ſit ab unoquoque noſtrum, in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.

Immutabilitas.

Malach. 3. v. 6. XLII. Ego Dominus, & non mutor.

Pſ. 101. v. 28. XLIII. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Num. 23. v. 19. XLIV. Non eſt DEUS quaſi homo, ut mentiatur: nec ut Filius hominis, ut mutetur.

Jac. 1. v. 17. XLV. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.

Æternitas.

Iſaia. 40. v. 28. XLVI. Numquid neſcis, aut non audiſti? DEUS ſempiternus Dominus.

Pſ. 89. v. 2. XLVII. Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis: à ſæculo uſque in ſæculum tu es DEUS.

Iſaia. 57. v. 15. XLVIII. Hæc dicit excelſus & ſublimis, habitans æternitatem.

Amor erga Homines.

1. Io. 3. v. 1. XLIX. Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut Filij DEI nominemur, & ſimus.

1. Io. 4. v. 9. L. In hoc apparuit caritas DEI in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit in mundum, ut vivamus per eum.

LI. Audite me domus Jacob, & omne reſiduum domus Iſraël, qui portamini à meo utero, qui geſtamini à meâ vulvâ. *Iſaia 46. v. 3.*

LII. In caritate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miſerans. *Ier. 31 v. 3.*

LIII. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro DEO, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. *1. Tim. 2. v. 4.*

LIV. Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitem eum in noviſſimo die. *Io. 6. v. 40.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Exiſtentia.

I. DEUS eſt in ſemetipſo, ſicut α. & ω. In Mundo, ſicut Rector, Author. In Angelis ſapor & decor. In Eccleſia ſicut Paterfamilias in domo. In Anima ſicut Sponſus in thalamo. In Juſtis ſicut Adjutor & protector. In Reprobis ſicut pavor & horror. *S. Aug. ſuper orat. Domin.*

Unitas.

II. Unus omnium DEUS: neque enim illa ſublimitas poteſt habere conſortem, cùm ſola teneat omnem poteſtatem. Ad divinum imperium etiam de divinis mutuemur exemplum. Romanos geminos unum non capit imperium, quos unum cepit uteri hoſpitium. Pompeius & Cæſar affines fuerunt, nec tamen neceſſitudinis fœdus in æmula poteſtate tenuerunt. Nec tu hîc de homine mireris, cùm in hoc omnis natura conſentiat. Rex unus apibus eſt, Dux unus in gregibus, & in armentis Rector unus, multò magis mundi Rector eſt unus, qui univerſa, quæcunque ſunt, verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Hic enim videri non poteſt, viſu clarior eſt: nec comprehendi, tactu purior eſt: nec æſtimari, ſenſu major eſt. Et ideo ſic DEUM dignè æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus. In noſtra dedicandus eſt mente, in noſtro conſecrandus eſt pectore. Nec Nomen DEI quæras: DEUS Nomen eſt illi. Illic vocabulis opus eſt, ubi proprijs appellationum inſignibus multitudo dirimenda eſt. DEO, qui ſolus eſt, DEI vocabulum totum eſt. *S. Cypr in ſ. quod idola non ſunt Dij.*

Trinitas.

III. Eſt Trinitas creatrix, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: ex qua cecidit creata Trinitas, memoria, ratio, & voluntas. Et eſt trinitas, per quam cecidit, videlicet, per ſuggeſtionem, delectationem, conſenſum. Et eſt trinitas, in quam cecidit, videlicet cæcitas, immunditia, impotentia. Et trinitas, per quam reſurgit, fides, ſpes, caritas, quæ trimembres habent ſubdiviſiones. Eſt enim *S. Bern. in ſerm. parv. ſ. 1.*

fides

fides præceptorum, ſignorum, promiſſorum. Eſt ſpes veniæ, gratiæ, & gloriæ. Et eſt caritas de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ.

S. Aug. l. 6. de Trin. IV. In ſumma Trinitate tantum eſt una, quantum tres ſimul ſunt; & nec plus aliquid ſunt duæ, quàm una res, & in ſe infinita ſunt: ita & ſingulæ ſunt in ſingulis, & etiam omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.

S. Bern. ſ. 1. in parv. V. Inquirere de Trinitate, perverſa curioſitas eſt: & credere ac tenere, ſicut S. Eccleſia tenet, fides atque ſecuritas eſt. Videre autem eam, ſicuti eſt, perfecta & ſumma felicitas eſt.

Ibid. VI. Ubi quæritur unitas Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid invenitur.

Perfectio.

S. Greg. l. 20. mor. c. 25. VII. Omne, quod de DEO dicitur, eo ipſo indignum eſt, quòd dici potuit: ejus enim laudi non ſufficit obſtupeſcens conſcientia, quomodo ergo ſufficiet loquens lingua?

S. Dionyſ. Epiſt. 2. VIII. Si quis conſpicatus DEUM intellexerit, quod vidit, non ipſum eſt conſpicatus, ſed ejus aliquid. Perfecta enim ipſius ignoratio, vera cognitio eſt; quia ipſe ſupra omnem mentem & ſubſtantiam noſcitur.

S. Aug. ſ. 19. ſuper Io. IX. DEUS tibi totum eſt: ſi eſuris, panis; ſi ſitis, aqua tibi eſt; ſi in tenebris, lumen tibi eſt; ſi nudus es, immortalitate tibi veſtis eſt.

Bonitas.

S. Aug. ſuper pſalm. X. Ipſe quippe Dominus noſter JESUS Chriſtus dixit: Nemo bonus, niſi ſolus Deus. Nónne ſtimulavit nos ad inquirendum, & diſtinguendum, quid ſit bonum ab alio bono bonum, & bonum in ſeipſo bonum. Quàm ergo bonum eſt, à quo ſunt omnia bona; omnino nullum invenies bonum, quod non ab illo ſit bonum.

S. Anſelm. XI. Quid vagaris, ô homuncio, per multa, quærens bona corporis & animæ? quære unum bonum, in quo eſt omne bonum, & ſufficit.

Juſtitia.

S. Greg. l. 26. mor. c. 14. XII. Juſti, cùm contra deſiderium quodlibet agi conſpiciunt, ad occulta DEI judicia recurrunt, ut in eis videant, quòd inordinatum intus non diſponitur, quod inordinatum foris currere videtur.

Idem l. 27. mor. c. 2. XIII. Judicia DEI quanta obſcuritate nequeunt conſpici, tanta humilitate debent venerari.

Idem l. 1. mor. XIV. DEUS nonnulla percutit, & nonnulla inulta derelinquit. Quia ſi nulla reſecaret, quis DEUM res humanas curare crederet? & rurſus ſi hæc cuncta percuteret, extremum judicium unde reſtaret?

Miſericordia.

Petr. Ravenn. in ſerm. de Fil. prod. XV. Ite, proferte ſtolam primam. Non dixit, unde venis? ubi fuiſti? ubi ſunt, quæ tuliſti? quare tantam gloriam in turpitudinem commutâſti? Sed proferte ſtolam primam, & induite illum. Videtis, quia delicta non videt vis amoris, tardam miſericordiam Pater neſcit; delicta qui diſcutit, prodit.

S. Chryſolog. ſ. 1. de Filio prod. XVI. Surgam, & ibo ad Patrem meum. Jacebat, qui dixit: Surgam. Intellexit lapſum, ſenſit ruinam jacere ſe turpis luxuriæ reſpexit in lubrico: & ideo exclamat: ſurgam, & ibo ad Patrem meum. Quâ ſpe? quâ fiduciâ? illâ, quâ Pater eſt. Ego perdidi, quod erat Filij; ille, quod Patris eſt, non amiſit. Apud Patrem non intercedit extraneus: intus eſt in Patris pectore ipſe, quia intervenit, & exorat affectus. Urgentur Patris viſcera, iterum Filium genitura per veniam. Ibo ad Patrem reus: ſed Pater viſo Filio cooperit mox reatum, diſſimulat judicem, qui magis vult implere Genitorem, & ſententiam citò mutat in veniam, qui redire cupit Filium, non perire.

Salvian. contra gentes. XVII. Percuſſit Dominus Populum pro errore vituli. Cùm omnis Populus reus fuerit, cur non eſt in omnes miſſa damnatio? quia ſcilicet pius & miſericors Dominus partem percuſſit ſententiæ ſuæ gladio, ut partem corrigeret exemplo, monſtrarétque omnibus & in coërcendo cenſuram, & in indulgendo pietatem. Cenſura fuit, quod caſtigavit: pietas, quod pepercit.

S. Anſelm. l. 2. cur DEVS homo. c. 9. XVIII. Quid miſericordius intelligi valet, quàm quòd peccatori æternis tormentis damnato, & non habenti, unde ſe redimat, DEUS Pater dicit: accipe unigenitum meum, & da pro te. Et ipſe Filius: tolle me, & redime te. Quaſi enim hoc dicunt, cùm ad Chriſtianam fidem nos trahunt.

Taulerus apud Bloſium in conſolat. puſill. ſ. 225. XIX. Licet Mater obliviſcatur interdum unici Filij ſui, Dominus tamen, prout ipſe teſtatur, haud quaquam noſtri poteſt obliviſci. Tanta ſiquidem ejus eſt miſericordia, ut ſtupa aliqua ſive linum in immenſo igne poſitum, non tam citò incendi poſſit, quàm ipſe peccatori veraciter converſo dolenti peccata omnia donare paratus eſt. Enimverò inter DEI bonitatem & pœnitentem peccatorem neque tempus, neque medium ullum intereſt. Deinceps autem inter DEUM & hujuſmodi pœnitentem tam perfecta ſuboritur fidelitas, ac ſi peccata commiſſa non eſſent: támque bonus & ſuper omnem æſtimationem pius eſt Dominus, ut, quæ ſemel condonavit, numquam ei improperare, nec ullum propter ea diſpendium, ſive pœnam eum ſuſtinere velit, ſi tamen in vitæ correctione ſubſiſtit.

Ibid. Henricus Suſo. XX. DEUS benigniſſimus tam inexhauſtus fons eſt, prorſus immenſæ miſericordiæ ac naturalis bonitatis, ut nunquã ulla quantumvis fideliſſima Mater proprio Filio ſuo, quem ſub corde

ſuo

ſuo geſtaverit, tam deſiderantet ac libenter in medijs flammis jacenti manum porrexerit adjutricem, ſicut DEUS homini contrito, etiamſi poſſibile foret, eum omnia totius mundi peccata vel millenis vicibus quotidie perpetraſſe.

Providentia.

S. Greg. l. 25. mor. c. 29.

XXI. Sic DEUS intendit ſingulis, ac ſi vacet à cunctis: & ſic omnibus ſimul intendit, ac ſi vacet à ſingulis.

Salvianus contra gentes.

XXII. Quam ob cauſam mala in hoc mundo DEUS fieri permittat, nolo à me requiras: homo ſum, & non intelligo; ſecreta DEI inveſtigare non valeo, & ideo etiam tentare formido: quia & hoc ipſum genus ſacrilegæ temeritatis eſt, ſi plus ſcire cupias, quàm ſinaris. Sufficit tibi, quòd DEUS cuncta à ſe agi, atque diſpenſari teſtatur. Et ſicut plus eſt DEUS, quàm omnis humana ratio: ſic mihi plus videri debet, quòd à DEO cuncta agi cognoſco.

Ibid.

XXIII. Non ſolùm homines, ſed etiam apes atque formicæ quaſcunque res faciunt, & antè, quàm faciant, meditantur, & poſtquam fecerint, non negligunt, ſed diligentiſſimè curant, tractántque. Quis ergo tam furioſus, ut, cùm Dominum creatorem omnium non neget, gubernatorem neget? & cùm Authorem eſſe fateatur, dicat negligere, quæ fecit?

Clemens Alex. Pedag. l. 1. c. 8.

XXIV. Quod DEUS odit, exiſtere non vult. Ea ergo, quæ ſunt, diligit. Diligit igitur hominem. Quod autem amat aliquis, ei vult prodeſſe. DEUS igitur prodeſt: imò quia bonus eſt, ideo prodeſt. Bonum enim nihil aliud facit, niſi id, quod prodeſt: non eſt autem aliud ſuâ ſponte prodeſſe, quàm eſſe de homine ſolicitum. DEUS ergo hominis curam gerit, & de eo ſolicitus eſt.

Immenſitas.

S. Greg. hom. 17. ſuper Ezech.

XXV. DEUS manet intra omnia, ipſe extra omnia: ipſe ſupra omnia, ipſe infra omnia. Superior eſt per potentiam, inferior per ſuſtentationem: exterior per magnitudinem, interior per ſubtilitatem. Surſum regens, deorſum continens; extra circumdans, interius penetrans.

Sapientia & Omniſcientia.

S. Greg. l. 33. mor. c. 5.

XXVI. Cùm à DEO non credimus nos videri, in ſole clauſos oculos retinemus, illum à nobis abſcondimus, non nos illi.

S. Aug. in Medit.

XXVII. Sic greſſus meos ſemitáſque conſideras, & die noctúque ſuper cuſtodiam meam vigilas, omnes ſemitas meas diligenter notans: ſpeculator perpetuus, veluti ſi totius creaturæ tuæ, cæli & terræ oblitus, tantum me ſolum conſideres, & nihil tibi ſit curæ de alijs.

S. Aug. epiſt. 30.

XXVIII. DEUS totus oculus eſt, quia omnia videt: totus manus eſt, quia omnia operatur: totus pes eſt, quia ubique eſt.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Lib. 3. c. 21.

I. SUper omnia & in omnibus requieſces Anima mea in Domino ſemper, quia ipſe Sanctorum æterna requies; in quo cuncta bona ſimul & perfectè ſunt, & ſemper fuerunt, & erunt: atque ideo minus eſt, & inſufficiens, quidquid præter teipſum mihi donas, aut de teipſo revelas, vel promittis, te non viſo, nec planè adepto.

L. c.

II. Non eſt ſimilis tui, in cunctis mirabilibus cæli & terræ. Sunt opera tua bona valde, judicia vera, & providentiâ tuâ reguntur univerſa.

L. 3. c. 34.

III. Ecce DEUS meus & omnia. Quid volo ampliùs, & quid felicius deſiderare poſſum? O ſapidum & dulce verbum. Sed amanti verbum, non mundum, nec ea, quæ in mundo ſunt: DEUS meus & omnia. Intelligenti ſatis dictum eſt, & ſæpe repetere jucundum eſt amanti. Te ſiquidem præſente jucunda ſunt omnia: te verò abſente faſtidiunt cuncta.

L. 3. c. 31.

IV. Diu parvus erit, & in terra jacebit, qui aliquid æſtimat magnum, niſi ſolum unum immenſum, æternum bonum. Nam quidquid DEUS non eſt, nihil eſt, & pro nihilo computari debet.

L. 3. c. 40.

V. Tu, Domine, ſemper idem ipſe es, & permanes in æternum, ſemper bonus, juſtus, & ſanctus, benè, juſtè, ac ſanctè agens omnia, & diſponens in ſapientia.

L. 3. c. 59.

VI. Omnia, quæ ad pacem videntur eſſe, & felicitatem habendam, te abſente nihil ſunt, nihílque felicitatis in veritate conferunt. Finis ergo omnium bonorum, & altitudo vitæ, & profunditas eloquiorum tu es: & in te ſuper omnia ſperare, fortiſſimum ſolatium ſervorum tuorum.

§. V.

EXEMPLA SACRA.

Unitas.

Euſeb. l. 8. Hiſt. c. 1.

I. CUm S. Procopius judicio ſiſteretur, & ei imperatum eſſet, ut Dijs immolaret, unum ſolum DEUM ſe ſcire dixit, cui, ſicut ab eo præceptum eſſet, ſoli eſſe ſacrificandum. Cùm verò ei ulterius imperaretur, ut quatuor Imperatoribus hoſtias offerret, hoc Homeri carmen protulit: Non bona res multi Domini: Rex unicus eſto: & extemplo ſecuri percuſſus eſt.

Breviar. Rom. 11. Aug.

II. S. Tiburtius, cùm Judex pavimentum carbonibus ardentibus ſterni juſſiſſet, dixiſſétque illi: Tiburti, aut Dijs noſtris ſacrifices oportet, aut per iſtos carbones nudis tibi pedibus eſt incedendum: mox ſigno crucis facto ſe muniens, fidentérque in prunis ambulans, diſce, inquit, ex hoc ſolum eſſe DEUM, quem Chriſtiani colunt; prunæ enim mihi flores videntur.

Trini-

Trinitas.

Thomas Cantipr. l. 2. apum. c. 49. §. 3.

III. Cùm S. Auguſtinus in Civitate Hipponenſi librum de S. Trinitate componeret, & more ſuo poſt ſtudia ad relaxandum animum mare obambularet, vidit puerum miri decoris argenteo cochleari aquam è mari hauſtam in foſſulam, quam in litore effoderat, infundentem. A quo, cùm, quid moliretur? quæſiſſet, reſpondit ille, ſe totum mare in foſſulam eam transfuſurum. Cúmque Auguſtinus hoc impoſſibile fore diceret, ſubjecit Puer: citiùs ego mare in hanc ſcrobem colligam, quàm tu parvo tuo volumine immenſum atque inexplicabile SS. Trinitatis myſterium comprehendas.

S. Antonin. hiſt. p. 3. tit. 24. c. 9. §. 6.

IV. Simoni cuidam de SS. Trinitati dubitanti, & ob id in magna anxietate conſtituto, Chriſtus Dominus bis apparuit in ſomnis, excitans eum ac dicens: Ne dubites de SS. Trinitate, ſed crede, firmiter, prout Eccleſia Catholica credit, & docet. His dictis Chriſtus diſparuit, Simonémque ab omni tentatione liberavit.

S. Gregor. Turon. l. 1. de glor. Martyr. c. 15.

V. Cùm anno 461. in civitate Nannecenſi Epiſcopus miſſam celebraret, ante ipſum tres guttæ ſplendidiſſimæ ejuſdem magnitudinis ceciderunt, quæ in ſe mutuò coëuntes, in unum pretioſiſſimum lapidem concreverunt, quem Epiſcopus reverenter attollens, cùm in cruce multis unionibus ornata includi juſſiſſet, repentè omnes alij uniones per ſe deciderunt, quaſi huic miraculoſo lapidi SS. Deitatem & Trinitatem repræſentaon, libenter cedentes, & honorem deferentes.

Michovienſis in Litan. diſcurſu 77. n. 14.

VI. In Claræ de monte Falcone, quæ in culina miniſtrârat, corde poſt mortem tres oblongæ glandes ſeu pilulæ carneæ ſunt inventæ, magnitudinis olivarum, quæ & ſingulæ diviſim, & omnes ſimul ejuſdem erant ponderis, quas etiamnum in Monaſterio quodam Auguſtinianorum aſſervari, Coſterus in conc. hujus Feſti teſtatur.

Io. Chartag. inhom. de myſt. Chriſt. l. 2. ho. 9.

VII. Cùm in Nicæno Concilio contra Arrianos diſputaretur, & S. Nicolaus Epiſcopus proterviam Arrij myſterium SS. Trinitatis negantis, adverteret, ſic eum allocutus eſt: Quare tibi videtur in Creatore difficile, quod in creatura reperitur? Ecce laterem unum, invenies in illo tria diſtincta, ignem, aquam, terram. Quibus dictis protinus à latere ignis ſurſum aſcendere, fluere deorſum aqua, & terra inter digitos comminui viſa eſt, cunctis ad rei miraculum obſtupeſcentibus.

Cæſarius l. 5. c. 13.

VIII. Gerardus Pleiſenſis refert, mulierem obſeſſam Sygebergum veniſſe curationis gratiâ; quæ cùm in oratorio S. Michaëlis de diverſis interrogaretur, & incideret mentio de Lucifero apud inferos ligato, reſpondit per os ejus Diabolus: ſtulti, quibus catenis putatis ligatum Magiſtrum meum in inferno? ferreis? nequaquam. Tria verba ſunt poſita in ſilentio miſſæ, quibus ligatus eſt. Requirentibus quibuſdam Fratribus: quænam eſſent illa verba? dicere noluit, ſed ait: afferte mihi librum, & ego vobis oſtendam illa. Allatus eſt ei liber miſſalis, & clauſus porrectus, quem ille aperiens, primo ictu Canonem invenit, & digitum ponens ſuper illum locum: Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo; in quibus memoria fit Trinitatis ait: Ecce, iſta ſunt tria verba, quibus ligatus eſt Magiſter meus.

Surius in vita. 27. Sept.

IX. Cùm S. Elzearius Comes in oratione quondam poſitus fuiſſet, tota nocte Sabbati uſque ad orientem ſolem multa præclara & admiranda divinitus oſtenſa vidit. Præſertim verò quomodo Pater gignat Filium, & quomodo Spiritus S. ab utroque procedat, & tres Perſonæ ſint unus DEUS. Nec tamen potuit hujus generationis & ſpirationis modum ullis verbis exprimere, ſed quoties aliquid pro viribus tentabat, ô quàm malè, inquit, & imperfectè loquor, non poſſom explicare, quod vidi, nec efferre linguâ, quæ experimento didici.

Surius in vita. 4. Dec.

X. S. Antion Colonienſis Epiſcopus Clericum habebat, qui, quoties Gloria Patri &c. dicebat cum Epiſcopo, mediam ſemper Perſonam Filij omittebat. Quam negligentiam cùm nemo adverteret, & corrigeret, S. Epiſcopus ſecreto noctis ſilentio ſonum aure percipit, negligenter & corruptè verſiculum illum Gloria Patri &c. proferentis. Poſthæc in Ectaſin raptus, videt quandam in Majeſtate, quæ Filium DEI decebat, contra ſe ſtantem, qui protenſis coràm eo ſiniſtræ manus digitis, primum eorum dextro tetigit indice dicens: Ecce Pater: móxque ſecundum: ecce Filius: poſthæc & tertium: Ecce Spiritus S. Ecce tres in una Deitate Perſonæ, quibus Gloria par dicitur ab univerſali Eccleſia. Cur ergo Clerici tui blaſphemias ſine correctione prætereris, qui eam, quam cum Patre & Spiritu Sancto communem poſſideo, Gloriam mihi ſubtrahit, cùm ad omnem Gloriæ decantationem, mediam Trinitatis Perſonam tranſilit? S. Anno admiratus, ubi ad conſuetum hymnum venit, advertit Clericum in trini Numinis glorificatione perſonam Filij omittere, quare quamprimom ſeverè corripuit, errorémque corrigere juſſit.

Penaq. in Iſag. Confid. 23.

XI. Sigeberto petenti aliquid reliquiarum de S. Auguſtino, demum in pyxide Chryſtallina auro gemmíſque diſtincta cor S. Auguſtini à DEO eſt traditum. Quod cùm ille cum ſumma veneratione ſacrario incluſum cum alijs reliquijs ſuo tempore in Altari expoſuiſſet, viſum eſt illud, quoties in templo illa verba Sanctus, Sanctus, Sanctus canebantur, in vitro ſubſilire.

Omnipotentia.

XII. Rex Ptolomæus ſemel Indum aliquem, unum ex ſeptuaginta Interpretibus inter-

Daurolt. catech. hiſt. c. 1. tit. 47. ex. 1. interrogavit, quid ſibi optimum in vita eſſet? cui ille reſpondit: Si cognoſcas, quoniam DEUS mortalibus dominatur, atque ut ad optimas quaſque operationes non per nos ipſos conſilia dirigamus; DEUS enim, qui cunctis dominatur, omnium opera perficit, & deducit.

Ibid. ex 3. XIII. Cùm Canutus Rex Angliæ quondam juxta litus maris in ſella ſediſſet, & dixiſſet: mare, regni mei pars es, itáque mihi obtemperes; illud mox impetu facto ſinum ejus undis perfudit. Quo facto territus Rex de ſolio ſurrexit, dicénſque: Vana eſt omnium Regum poteſtas, & ſolus DEUS omnipotens: coronam cruci impoſuit, & deinceps pietatis & modeſtiæ cultor extitit.

Anton. Panorm. l. 3. de geſtis Alphonſ. c. 32. XIV. Alphonſus Aragonum & Siciliæ Rex, Filium adverſus Florentinos mittens cum valido exercitu, monuit illnm, ne tantùm ſuæ aut Militum audaciæ tribueret, ut putaret ſe abſque DEI auxilio victoriam obtinere poſſe; ſcientiam enim militarem tunc tantùm prodeſſe, ſi DEUM nobis pietate ac innocentiâ pacatum propitiúmq; habuerimus. DEUM igitur, inquiebat, cole, & in hoc confide, quem ſi quando iratum tibi ſuſpicaberis, cave, contendas; imò quidquid ab eo tibi accidiſſe videtur, boni conſule, & patientiâ, & pœnitentiâ eum placa.

Raderus in Virid. 15. Mart. XV. Cùm ſub Decij imperio gravis in Chriſtianos perſecutio fuiſſet exorta, plurimíque Martyrio affecti, alij verò carceri tenebroſo incluſi rogarent, ut, ſicut S. Petrum ex carcere liberavit, ita & ipſos liberare è ſua captivitate dignaretur, mox adfuit Chriſtus, dixitque: Fidite, & ne formidare; ego enim vobiſcum ſum: & repentè vincula non ſecus, ac cera defluxerunt, carcérque ſponte patuit, & Dominus adjecit: Abite, & ubiqoe gentium prædicate potentiam meam; & his dictis in cœlum abijt, illi verò ex carcere egreſſi ſunt. Qnod ubi manè adverterunt Ethnici, ſalváque ſigna portæ viderunt, magnopere admirati ſunt, & potentiam DEI Chriſtianorum paſſim deprædicârunt.

Baron. to. 7. annal. ann. 565. XVI. Clotarius Francorum Rex graviter vexatus à febre; ajebat: Vah, quid putatis? qualis eſt ille Rex cœleſtis, qui ſic tam magnos Reges interfecit; & in hoc tædio poſitus Spiritum exhalavit.

Daurolt. l. c. ex. 9. XVII. Alphonſus decimus Rex Hiſpanorum cùm aliquando dicere auſus fuiſſet, ſe, ſi primæ Mundi creationi adfuiſſet, multa aliter ordinaturum fuiſſe; primò à milite, deinde Eremitâ juſſu DEI de blaſphemia corrigenda admonitus, ſemper tamen eandem repetens, tandem ab horribili tempeſtate ſubitò exorta, ſagittáque fulminea in veſtes ejus incidente territus reſipuit, Eremitam vocari juſſit, & publicè verba nefanda coram eo, & Aulicis retractavit. Quo facto & tempeſtas remiſit, & quidem tantò magis, quantò magis ipſe ſe humiliabat, & ſuam quidem infirmitatem, ex una, ex altera verò parte DEI potentiam prædicabat.

Miſericordia.

S. Dionyſ. Areopag. in epiſt. ad Demophilum. XVIII. Cùm quidam Infidelis hominem Chriſtianum ab Eccleſiæ gremio abduxiſſet, & propterea S. Carpus Epiſcopus graviter indignatus, petijſſet à DEO, ut amborum vitam repentè extingueret, ſubitò ei aperto cælo Chriſtus innumeris Angelis ſtipatus apparuit, infra verò profundiſſimam voraginem vidit ſerpentibus plenam, ad cujus os duo illi viri trementes, jam jámque dejjciendi ſtabant, ſimúlque Chriſtum dicentem audiebat: Carpe, paratus ſum iterum pro ſalvandis hominibus pati: & iſtud mihi gratum eſt, modò noo alij homines peccent. Tu autem inſpice, an utile ſit, illam cum ſerpentibus manſionem præferre DEI ac bonorum clementiúmque Angelorum conſortio.

Bloſius in Monil. c. 1. XIX. S. Gertrudis aliquando divinitus edocta fuit, quòd homo aſpiciens imaginem Crucifixi imaginari ſibi debeat Chriſtum ſequentia blanda voce dicentem: En vides, quomodo tui amoris cauſâ pependerim in cruce nudus, deſpectus, totóque corpore vulneratus, ac per ſingula membra diſtentus. Et adhuc tanto caritatis dulcore cor meum erga te afficitur, ut, ſi ſaluti tuæ expediret, alitérque felicitatem tuam conſequi non poſſes, vellem pro te ſolo tolerare omnia, quæ toleravi pro toto mundo.

Ibid. XX. S. Mechtildi de quadam pia Perſona Dominus dixit: Quando ex humana infirmitate culpam aliquam admiſit, ſi mox per pœnitèntiam redierit ad me, confidens in mea miſericordia, paratus ſum ad unicum ejus gemitum, omnem culpam ei remittere.

Ibid. XXI. Eidem Dominus dixit: Nullus eſt adeò magnus peccator, quin, ſi verè pœnituerit, mox illi omnia ſua peccata plenè dimittam, & cor meom tantâ clementiâ atque dulcedine ſupra ipſum reclinem, ac ſi nunquam peccâſſet.

Ibid. XXII. Rorſum eidem dixit: Quamvis ſtellæ, id eſt, Electorum meorum animæ nube peccatorum, & caligine ignorantiæ nonnunquam valde obtenebrentur, in firmamento tamen ſuo, hoc eſt, in divina luce mea obſcurari non poſſunt. Licet, inqoam, Electi mei magnis plerúmque peccatis involvantur, ſemper tamen illos eâ caritate reſpicio, quâ eos elegi, & ipſos in illa claritate attendo, ad quam perventuri ſunt. Bonum igitur eſt homini, ut ſæpe recogitet, quàm gratuita pietate ipſum elegerim, & quàm benè de ipſo cogitaverim, quámque amanter eum reſpexerim, etiam cùm in peccatis jaceret; item quàm benignè mala ejus in bonum ei commutaverim.

Ibid. XXIII. Cùm S. Gertrudis quondam audiviſſet in concione, neminem poſſe ſalutem

conſequi,

conſequi, niſi ſaltem tantillum caritatis habeat, ut ex amore DEI pœniteat, abſtineatque à peccato, ipſáque apud ſe cogitaret, hâc ratione multos damnatum iri, utpote qui magis timore gehennæ, quàm amore DEI pœniteant in fine vitæ, Dominos ſic ei locutus eſt: Quando video peccatores agonizantes, qui mei unquam dulciter recordati fuerunt, vel aliquid meritorij operis peregerunt, in ipſo mortis confinio exhibeo eis me tam pium, amabilem & benignum, ut ipſi ex intimis cordis medullis doleant, quòd unquam me offenderint: ac per talem pœnitentiam apti reddnntur ad ſalutem conſequendam, & perire non poſſunt.

Juſtitia.

Bloſius in monil. cap. 1. circa fin. XXIV. Birgitta Chriſto quondam Dœmones dicentes audivit: Si creatura illa, quam maximè diligis, videlicet Virgo, quæ te genuit, & nunquam offendit, peccaſſet mortaliter, ac ſine divina contritione mortua eſſet, ipſa cælum nunquam obtinuiſſet, ſed nobiſcum in inferno cruciaretur: adeò tu Juſtitiam diligis.

§. VI.
EXEMPLA DOMESTICA.

Glor. S. Ign. c. 12. I. S. Ignatius, quoties ad SS. Trinitatem orationem fundebat, uti faciebat frequenter, & diu, eximiam divinæ conſolationis ſuavitatem percipiebat. *H. S. p. 1. l. 1. n. 27.* Eidem Manreſæ Myſterium SS. Trinitatis tam clare revelatum eſt, ut homo adhuc rudis librum de ea ſcripſerit. *Ribad. l. 5. c. 7.* Sed & miram erga ſingulas Perſonas devotionem, in Manreſano præſertim receſſu ſenſit; *H. S p. 1. l. 2. n. 29.* hinc Pater æternus ei Romam tendenti in Sacello apparuit, Filióque commendavit. Filius verò ſæpius in ſpecie parvuli, interdum *Flor. S. Ign. c. 2. & 3. & 4.* etiam in forma viri ſe illi exhibuit. Spiritus S. verò in ſpecie flammæ igneæ, aut alio modo, dum conſtitutiones ſcripſit, eidem aſſiſtere viſus eſt.

Vita. l. 2. c. 81. II. P. Petrus Faber circa feſtum SS. Trinitatis renovabat animam ſuam dicens, omnia Myſteriorum Chriſti feſta in illo feſto concludi; & quia ſervus DEI ſummè niti debet, ut ſit tabernaculum SS. Trinitatis.

Alegambe in Bibl. ſcript. Soc. III. P. Franciſcus Tolianus plenus erat, imò totus, in SS. hoc Myſterio commendando per Sancta colloquia. Tria apud illum omnia, triangulum, cobiculum, trium aſſerum lectus, in menſa & ubique alibi tria. In rebus etiam creatis libenter tria ſeligebat, quæ conſideraret, ut in ſole lucem, calorem, ſplendorem. Poſt mortem tres in ejus corde ſubalbeſcentes flammulæ inventæ, quæ parte adverſâ in unam coaleſcebant, teſtatúſque eſt Marſilius cognatus Medicus peritiſſimus, qui aderat, id planè extra naturæ leges eveniſſe. Ejus loculo Romæ inſcriptum: P. Franciſcus Folianus Soc. JESU, eximius SS. Trinitatis cultor.

Nadaſi in anno Hebd. IV. P. Camillus Conſtantius Tabiræ in Japonia palo alligatus, cùm à fumo & igne ex aſpectantium oculis eriperetur, conſtanter laudabat DEUM, & tandem ad Gloria Patri &c. concidit. Sed iterum exurgens, iterum SS. Trinitatem collaudabat. Tandem veſtibus combuſtis cùm humi objectus jam mortuus crederetur, adhuc triſagion illud SS. Trinitatis, Sanctus, Sanctus, Sanctus concinuit, & occubuit. *15. hebd. 15.*

Ibid. hebd. 15. V. In P. Pauli Achillis S. J. vita recenſetur, quòd anima quæpiam crebris aliàs etiam viſionibus illuſtris, viderit univerſam Societatem ſub ſymbolo vaſis pulcherrimi & profundi, oblati in DEI conſpectum à tribus juvenibus Angelis. In vaſe tria erant cochlearia, quaſi SS. Trinitas guſtaret id, quod erat in pretioſiſſimo illo vaſe.

§. VII.
EXEMPLA PROFANA.

Laërt. in vita. I. THales olim, quid DEUS eſſet? interrogatus, reſpondit, id, quod principio & fine caret.

II. Simonides interrogatus olim ab Hierone Tyranno, quidnam eſſet DEUS? unius diei ſpatium ad cogitandum petijt, altera die biduum, poſtea triduum & ſic deinceps poſtulavit, *Cicero de nat. Deor.* cauſámque rogatus reſpondit; quò diutiùs cogito, tantò obſcuriora ſibi omnia, quæ de DEO cogitârat, videri.

Stob. ſer. 42. III. Zaleucus proœmio legum, quas ſcripſit Locrenſibus, præfixit, omnibus, qui urbem eam incolerent, perſuaſum eſſe debere, DEOS eſſe, quod manifeſtum ſit ex cæli & totius mundi inſpectione, rerúmque in ipſis diſpoſitione pulcherrima & ordine. Haud enim fortuita aut humana ejuſmodi opera credi debere.

Lib. 3. Apopht. IV. Socrates dicebat, Deos omnium optimos & feliciſſimos eſſe: ad horum ſimilitudinem quò quiſque propiùs accederet, tantò meliorem eſſe & beatiorem. Quid Chriſtianiùs dici poſſet, ſi pluralis numerus in ſingularem verteretur?

Polyanth. v. DEVS. V. Plato dicebat, DEUM nullo modo injuſtum, ſed juſtiſſimum eſſe, nec ei ſimiliùs quicquam inveniri poſſe, quàm qui inter homines juſtiſſimus fuerit.

Cicero 2. de leg. VI. Thales dicebat, homines, exiſtimare debere, Deos omnia cernere, Deorúmque omnia plena eſſe, & tunc fore omnes caſtiores.

Valer. Max. l. 7. c. 2. VII. Idem interrogatus, an facta hominum Deos fallerent? Ne cogitata quidem, reſpondit; ut non ſolùm manus, ſed etiam mentes puras habere vellemus, cùm ſecretis noſtris cogitationibus cæleſte Numen adeſſe credimus.

Plut. in apopht. VIII. Alexander Magnus cùm in Jovis Ammonis templo à vate Jovis filius eſſet dictus, reſpondit: nihil mirum, tam omnium quidem naturâ Pater eſt, ſed ex his optimos quoſque peculiariter ſuos facit.

§. VII.

SIMILITUDINES.

DEI Unitas.

I. SIcut in Sole tria ſunt, ſubſtantia, radius, & lumen, & hæc tria ſunt unus Sol; ita in divinis ſunt tres Perſonæ, & hæ tres ſunt unus DEUS.

II. Sicut in fonte, rivo, & fluvio eſt una aqua; ita in Patre, Filio, & Spiritu S. eſt una natura divina; in Patre velut in fonte; in Filio velut in rivo; in Spiritu Sancto velut fluvio. Sicut enim rivus à fonte, & fluvius à fonte & rivo procedit, ita Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio emanat.

III. Sicut tres faces ſimul junctæ non tres flammas, ſed unam referunt; ita tres Perſonæ divinæ non tres Dij ſunt, ſed unus.

Trinitas.

IV. Sicut Abraham, dum ſtaret ad ilicem Mambre, vidit tres viros, & unum adoravit; ita & Eccleſia in tribus Perſonis unam Deitatem adorat.

V. Sicut in Anima rationali, licet unica ſit, tres tamen potentiæ reperiuntur, nempe memoria, intellectus & voluntas; ita in Deitate, licet unica ſit, tres tamen Perſonæ exiſtunt, per illas potentias ſignificatæ, nam ſicut memoria parit intellectionem, & hæc amorem; ita Pater generat Filium, & hic cum Patre Spiritum S. ſpiret.

VI. Sicut in eodem Sole tres qualitates conjunctæ reperiuntur, ſcilicet candor, ſplendor, & calor; ita in eadem Trinitate Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiva inveniuntur.

VII. Sicut in opere quovis manuali tria concurrunt, brachium, manus, & digiti, ita ad quodvis opus hominis Pater per brachium, Filius per manum, Spiritus S. per digitos à manu & brachio procedentes ſignificatus, concurrunt.

Perfectio.

VIII. Sicut nemo eſt, qui ſolem hunc ſenſibilem ob pulchritudinem, ſplendorem, & magnitudinem non miretur; ſi verò accuratiùs eum intueri volet, nihil niſi hebetationem viſûs reportabit; ita SS. Trinitatem mirari quidem & venerari convenit; ſcrutari autem non decet, ne opprimamur à gloriæ ſplendore.

IX. Sicut ſol exortu ſuo ſtellas abſcondit; ita ubi intellectus Deitatem cognoſcere & æſtimare incipit, omnis creaturarum dignitas bonitáſque evaneſcit, & vileſcit.

Cognitio.

X. Sicut certò ſcire non poſſumus, cujus eſſentiæ ſint ſtellæ, & aliæ hujuſmodi creaturæ, nec tamen propterea ab earum natura indaganda deſiſtimus, ſed potiùs cum ſummo deſiderio & voluptate illas ſpeculamur; ita licet DEUM perfectè comprehendere non valeamus, non tamen omittere debemus, quin ſaltem, quantùm per vires intellectûs noſtri licet, eundem cognoſcamus, & penetremus.

XI. Sicut qui citharæ bene compoſitæ ſuavem concentum audit, nihil aliud quàm ejuſdem Moderatorem ſeu Citharœdum animo volvit, atque ad eum, licet non videat, tota mente convertitur; ita cùm ſuaviſſimam harmoniam, quæ ex operibus à DEO factis exurgit, audimus, meritò ad ipſum mens noſtra aſſiduò converti deberet, licet ipſum minimè videamus.

XII. Sicut ſol omnes quidem irradiat æqualiter, non tamen ab omnibus æqualiter videtur, eò quòd acutiorem altero alter viſum habeat; ita DEUS quoque omnibus ſe æqualiter ex creaturis cognoſcendum offert, non tamen æqualiter cognoſcitur, eò quòd non æquali mentis acie omnes ſint præditi, aut certè æqualiter eandem ad DEUM cognoſcendum non applicent.

XIII. Sicut Artifex ſigillum operi à ſe facto imprimit, vel appingit, ut cognoſcatur, cujus ſit ea imago; ita DEUS quoque homini imaginem ſui impreſſit, ut ſemper meminerit, à quo factus ſit, eique gratus eſſe, ac ſemper in memoria habere ſtudeat.

§. VIII.

MOTIVA.

Ad DEUM colendum.

I. QUia eſt Creator noſter; ſi ergo Parentes honorandos eſſe, vel ipſa natura, & communis omnium Gentium conſenſus docet; quantò magis qui animam & corpus dedit, omni ſtudio colendus eſſe cenſebitur.

II. Quia Conſervator noſter eſt; ſi ergo vel irrationalia bruta ſerviunt omni modo, quo poſſunt, Domino, à quo aluntur, an non multò magis hoc homo præſtare debebit, qui tam liberaliter nutritur, & conſervatur? an non *Gen. 28. v.* dicet cum S. Jacobo: ſi dederit mihi Domi- *20.* nus panem ad veſcendum, erit mihi Dominus in DEUM: & toto vitæ meæ tempore ſerviam illi?

III. Quia Glorificator eſt noſter: Si ergo *1. Reg. 2.* DEUS ipſe dixit: Quicunque me glorificave- *v. 30.* rit, glorificabo eum, quidni potiori jure hoc idem homo reſpectu DEI, ſic eum per totam æternitatem glorificamus, dicat?

IV. Quia Præmiator noſter eſt; ſi ergo pro tam vili præmio ſerviunt ſervi mundani; quantò magis ſerviendum erit illi, qui dixit: *Gen. 15. v. 1.* Ego ero merces tua magna nimis. Et: veni, ego oſtendam omne bonum tibi? *Exod. 33.*

V. Quia Imperator noſter eſt; ſi ergo Im- *v. 19.* peratori terreno tantus honor, & fidelitas præ- *Iſ. 45. v. 24.* ſtatur; quantum Imperatori ſummo, Regi Regum, & Domino Dominantium, cui cur-

vabitur

vabitur omne genu, ut ipſemet dixit apud Iſaiam, præſtare par erit?

Ad Trinitatem colendam.

VI. Quia ad imaginem illius creati ſumus; quem autem imago, ſi vitam & rationem haberet, magis coleret, quàm Artificem ſuum?

VII. Quia cùm cor noſtrum triangulare ſit, ſola Trinitas illud implere poteſt; quidni ergo hanc ſolam colamus, appetamus, & amemus?

VIII. Quia cùm omnia opera ad extra toti Trinitati ſint Communia, & ab omnibus perſonis ſimul ad ſummam noſtram utilitatem dirigantur; quidni etiam Communis omnibus Perſonis cultus & veneratio noſtra ſit?

§. IX.

M E D I A.

Ad cognoſcendum DEUM.

I. OBſervatio mandatorum; ita enim docuit Chriſtus, dum dixit: Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & manifeſtabo ei meipſum. *Jo. 14. v. 21.*

II. Familiaritas & amicitia cum DEO per frequentem orationem; ita enim iterum Chriſtus indicavit dicens: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis. *Jo. 15. v. 15.*

III. Mundities cordis juxta illud Chriſti: Beati mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbunt. *Matth. 5. v. 8.*

IV. Abdicatio amoris erga creaturas; quod medium Thomas Kempenſis indicavit ſequentibus verbis: niſi quis omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit liberè intendere divinis. Ideo enim pauci inveniuntur contemplativi, quia pauci ſciunt, ſe à perituris & creaturis ad plenum ſequeſtrare. *Lib. 3. c. 31.*

Ad ſerviendum DEO.

V. Frequenter ponderare illud Chriſti: Nemo poteſt duobus Dominis ſervire; aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet; an non ergo æquiùs eſt, ut DEO, ſupremo, ſapientiſſimo, & liberaliſſimo Domino, cujus jugum ſuave, & onus leve eſt; quàm Diabolo viliſſimo, crudeliſſimo, & capitaliſſimo hoſti noſtro ſerviamus? *Matth. 6. v. 24.*

VI. Sæpiùs animo volvere diſcurſum illum ab Aulicis olim factum, dum ex lectione S. Antonii converſi ſic ſecum diſcurrerunt: Et quid tandem per ſervitia noſtra, quantumcunque fidelia, obtinebimus, niſi ut Amici Regis aut Imperatoris fiamus? & in hoc quid non fragile lubricúmque? quàm vanus hic honor & inanis? per quanta pericula pervenitur ad graviora pericula? Ecce, ſi volumus, hoc momento Amici eſſe poſſumus ſummi Domini ac DEI, à cujus amicitia nemo nos invitos ſeparare poterit; cur ergo eam non præferimus.

VII. Crebrò ſecularium ſervorum fervorem & diligentiam, in ſervitio terrenis ſuis Dominis præſtando ponderare, illúdque olim S. Auguſtino à Continentia dictum ſibi applicare: potuerunt iſti & iſtæ, & tu non poteris? iſti tam vili, tu tam ſublimi Domino? iſti pro tam exiguo, tu pro tam liberali præmio? iſti ſolis naturæ viribus, tu gratiæ divinæ auxilio?

§. X.

A S C E T I C A.

I. AD tria capita revocari poſſunt, quæ de DEO ſcire ſpecialiter, & docere debet Aſceta, nempe ad ea, quæ S. Auguſtinus breviter indicavit, dum dixit: Meminerim tui, ô Domine, intelligam te, & diligam te. *Lib. 15. de Trin. c. 29.*

II. Primum itaque eſt, ut aſſiduam DEI memoriam habeat, eúmque ſibi ſemper, quantùm fragilitas humana patitur, præſentem imaginetur, nam ſicut nullum eſt momentum, quo homo non utatur vel fruatur DEI bonitate & miſericordiâ; ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria: omne tempus, in quo de DEO non cogitas, hoc te perdidiſſe memento. Porro duo ſpeciatim de hâc præſentiâ bene apprehendi debent. *S. Ambr. l. de dign. condit. hum. c. 1.* *S. Bern. c. 6. med.* 1. Modus facilis eam obtinendi, qui quidem, ut bene explicat Alphonſus Rodriquex, conſiſtit in duobus præcipuè actibus, uno intellectûs, altero voluntatis; per priorem conſiderandum eſt, firmiúerque credendum, DEUM ita mundum implere, ut totus ſit in toto mundo, & totus in quavis parte illius; non enim longè eſt ab unoquoque noſtrûm, inquit S. Paulus, in ipſo vivimus, & movemur, & ſumus: per poſteriorem ardentia ad DEUM ſuſpiria & vivi ſpiritus ac motus, quibus anima perfectiſſimo amore deſiderat ſe cum DEO conjungere, eúmque ad ſe trahere, eliciendi ſunt. *Part. 1. tr. 6.* *Act. 17. v. 28.* Citatus Rodriquez, putat modum facillimum, planiſſimum, utiliſſimum, & perfectiſſimum conſtituendi ſe in præſentia DEI, eſſe, ſi quis aſſuefaciat, ut omnia ſua opera per puriſſimam intentionem gloriæ divinæ ad DEUM velut ſibi præſentem, & omnia ſua opera intuentem dirigat. 2. Utilitas & fructus hujus exercitii, quem quidem breviter & bene indicavit S. Bonaventura, dum dixit: eum, qui aſſuevit in præſentia DEI ambulare, in hac vita beatitudinem inchoare, quæ in DEI viſione conſiſtit. *Lib. 1. de prof. Relig. c. 10.* Hinc nempe DEUS Abrahamo dixit: ambula coram me, & eſto perfectus. *Gen. 17. v. 1.* Certè magna pars peccatorum (imò tota) tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat, præcipuè talis.

III. Alterum eſt, ut rectè de DEO ſentire diſcat Aſceta; nam, ut rectè advertit Seneca, primus Deorum cultus eſt, DEOS credere; deinde reddere illis Majeſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla eſt Majeſtas; ſcire illos eſſe, qui præſident Mundo, qui univerſa *Epiſt. 95. ad Lucil.*

ut ſua temperant, qui humani generis tutelam gerunt. Porro ut rectè ſentiat, tria ſunt præſtanda. 1. Ut, quæcunque ad eſſentiam, & attributa illius pertinent, bene diſcat, firmitérque, quantùm in hac vita fieri poteſt, ea menti imprimere ſtudeat. 2. Ut certò perſuadeat ſibi omnem perfectionem & bonitatem, quàm in creaturis cernimus & amamus, in DEO tanquam fonte infinitiès perfectiùs, puriùs, & abundantiùs haberi, atque adeò aſſiduò cum S. Franciſco dicat: DEUS meus & omnia! nam, ut bene quidam advertit, cùm diligimus DEUM, omnia in ipſo reperimus. Unus eſt, qui quæritur, ſed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! ô compendium ſingulare! cur nos per diverſa fatigamus? Ad ipſum ergò unanimiter feſtinemus, poſtquam cuncta bona ultra non quærimus, ſed tenemus. 3. Ut in his cognitionibus non exigat majorem certitudinem aut demonſtrationem, quàm in hac vita haberi queat, nam, ut prudenter Pius II. Pont. dixit, unius divinitatis tres eſſe Perſonas (par eſt ratio de aliis perfectionibus DEI) non qua ratione probetur, ſed à quo dicatur, animadvertendum.

In medit. IV. Tertium eſt, ut Deum rectè amare diſcat; nam ad hoc tendit rectus ſenſus & cognitio de Deo; uti bene S. Auguſtinus indicavit, dũ dixit: Quiſquis cognoſcit te, diligit te, amat te, plùs, quàm ſe, relinquit ſe, & venit ad te, ut gaudeat de te. Et fuſiùs S. Gregorius, dum ait: *Lib. 18. Moral.* DEUS idcirco laudes ſuas nobis indicat, ut valeamus eum audientes cognoſcere, cognoſcentes amare, amantes ſequi, ſequentes adipiſci, adipiſcentes verò ejus viſione perfrui. Unde Pſalmiſta: Virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo, ut det illis hæreditatem gentium, ac ſi apertè dicat: Idcirco fortitudinem ſuæ operationis inſinuat, ut eum, qui audierit, donis diteſcat. Porro ad amorem iſtum exercendum tria præcipuè officia ſunt neceſſaria. 1. Ut pro viribus laudetur DEUS, quæ enim amemus, ea ſemper & magni facimus, & multùm ac aſſiduè prędicamus; hinc S. Auguſtinus Juſtum eſt, inquit, ut creatura laudet DEUM creatorem, ipſe enim ad laudandum ſe nos creavit, qui noſtris non indiget laudibus, quis verò laudis hujus optimus ſit modus, pulchrè docet S. Gregorius, dum ait: *Lib. 9. mor.* Divinæ virtutis opera tunc facundiùs loquimur, cùm obſtupeſcendo reticemus: laudátque homo idoneè tacendo, quod idoneè non valet comprehendere. Unde *Pſalmiſta*: laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis ejus. Ille hoc facit, qui ſe ſuccumbere in laudibus ejus conſiderat. Ideo Job, quæ dicendo explere non potuit, facundiùs rejicendo definivit. 2. Ut ſolus quæratur & ametur; ita enim ipſe præcepit dicens: diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo. Cujus cauſam pulchrè inſinuat S. Gregorius, dum *Lib. 16. moral.* dixit: Creator omnium DEUS Pater omnipotens ubique eſt, & ubique totus eſt: in parte non eſt, quoniam ubique eſt; & tunc minùs invenitur, quando is, qui ubique totus eſt, in parte quæritur. 3. Ut non tantùm tempore proſperitatis, ſed etiam tempore tribulationis laudetur, quæratur, & ametur; hoc enim eſt & tota fortitudine & viribus diligere; hinc rectè S. Auguſtinus ſic hortatur: *Super Pſ. 34.* ſive tribulemur & anguſtemur, ſive lætemur & exultemus, ille laudandus eſt, qui in tribulationibus erudit, & in lætitia conſolatur. Laus enim DEI à corde & ore Chriſtiani recedere non debet, non ut laudet in proſperis, & maledicat in adverſis, ſed quemadmodum Pſalmus ille ſcribit: ſemper laus ejus in ore meo. Gaudes, agnoſce Patrem blandientem; tribularis, agnoſce Patrem emendantem: ſive blandiatur, ſive emendet, eum erudit, cui parat hæreditatem. Ut verò etiam in ſecundis rebus laudemus DEUM, pulchrè rationem inſinuavit Xenophon, dum dixit, tunc maximè colendos eſſe DEOS, cùm homini res ſunt ſecundæ, ut, cùm inciderit neceſſitas, confidenter illos imploremus utpote benevolos jam & amicos. Et quò perfectiùs hæc tria officia præſtiterimus, tantò ipſi quoque perfectiores erimus, nam, ut bene advertit S. Bernardus, *Serm. 4. ſup Cant.* DEUS caritas eſt, & quantò quis DEO conjunctior fuerit, tantò pleoior erit caritate; modò tamen eoam perſeveranter quæratur, nam, ut idem Sanctus ait, DEUS æternitas eſt, *Ad fratr.* ideo non invenitur niſi ab iis, qui perſeveranter eum quærunt.

§. XI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

De DEO uno.

I. OStendi poteſt, quare DEUS ſolus ſit amandus ſuper omnia; quia ſcilicet DEUS eſt fons omnis bonitatis, juxta illud Jeremiæ: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, quæ continere non valent aquas.* *Jer. 2. v. 13.* Unde probari poteſt, quòd omnis bonitas, quæ in creaturis reperitur, in DEO inveniatur 1. *Puriùs*; quia ibi ſine peccato, & ſine admixtione mali guſtatur, 2. *Recentiùs*: quia DEUS ſemper idem eſt, ac Sanctis tam novus, ac ſi primùm frui eo inciperent. 3. *Pleniùs*: quia in DEO omnia bona ſunt conjuncta juxta illud Exodi: *Exod. 33. v. 19.* Veni, ego oſtendam omne bonum tibi. Hinc tres fructus eliciendi. 1. Dolor concipiendus ob fontem tunc derelictum dicendùmque cum Anna Tobiæ Matre: *Tob. 10. v. 5.* omnia ſimul in te uno habentes, non debebamus dimittere te. 2. Firmiter credendum, non poſſe ſitim deſideriorum noſtrorum alibi, quàm in hoc fonte ſatiari, juxta illud S. Auguſtini: feciſti nos, Domine, ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. 3. Ad hunc recurrendũ, quoties ad creaturæ amorem allicimur, & dicendum cum Davide: *Pſ. 72. v. 25.* quid mihi eſt in cœlo, & à te, quid volui ſuper terram? Renuit conſolari anima mea, memor fui DEI, & delectatus ſum. *Pſ. 76. v. 4.*

II. Oſten-

Deut. 6. v. 13. II. Oſtendi poteſt ex occaſione thematis:
Dominum DEUM tuum adorabis, & illi ſoli
ſervies: cur ſoli DEO ſit ſerviendum, idque per
conditiones in Dominis requiri ſolitas, nempe
1. quia *potentia & dignitate* antecedit omnes a-
lios Dominos; quæ quidem potentia colligitur,
Pſ. 23. v. 1. tum ex *regnorum & ſubditorum multitudine*,
(nam Domini eſt terra, & plenitudo ejus: orbis
terrarum, & univerſi, qui habitant in eo) tum
ex *pleniſſima ſubjectione omnium* (juxta illud
Eſth. 13. v. 11. Mardochæi teſtimonium: Tu feciſti cælum &
terram, & quidquid cæli ambitu continetur:
Dominus univerſorum tu es: nec eſt, qui reſiſtat
Iſ. 2. v. 7. majeſtati tuæ,) tum *divitiarum abundantiâ*,
(nam non eſt finis theſaurorum ejus, Iſaia teſte;
Baruch. 3. v. 14. & quis intravit in theſauros eius? ut Baruch te-
ſtatur.) 2. Quia *Sapientiâ* quoque alios ante-
cedit, quia in eo ſunt omnes theſauri Sapientiæ
Col. 2. v. 3. abſconditi, ut S. Paulus teſtatur; & Sapientiæ
eius non eſt numerus, teſte David.) 3. Quia
Pſ. 146. v. 5. *liberalitate* alios etiam antecedit, uti colligitur
tum ex *liberali communicatione neceſſariorum*,
Luc. 22. v. 35. (juxta illud Lucæ: numquid aliquid defuit vo-
bis, quando miſi vos? *facilitate laborum* (jux-
Matt. 11. v. 30. ta illud Chriſti: Jugum enim meum ſuave eſt,
& onus leve,) *indulgentiâ errorum*, (juxta il-
Joel. 2. v. 13. lud Joëlis: convertimini ad Dominum DEUM
veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, &
multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper mali-
1. Cor. 2. v. 9. tia) *præmiatione laborum*, (juxta illud S. Pau-
li: oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor
hominis aſcendit, quæ præparavit DEUS iis,
Zach. 2. v. 8. qui diligunt eum,) tum ex *defenſione ſuorum*
ſervorum, juxta illud: Qui tangit vos, tangit
Pſ. 26. v. 3. pupillam oculi mei. Hinc David dicere auſus:
ſi conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit
cor meum, quoniam tu mecum es.) Hortan-
di ergo Auditores, ut, quoniam nemo poteſt
duobus Dominis ſervire, hunc præ cæteris eli-
gant, & tantò fideliùs omnes ſervorum partes
implere ſtudeant, quantò præſtantiorem Do-
Matth. 24. v. 45. minum ſunt nacti:) Vide Fabrum co. 2. Dom.
4. Quadrag.
Eph. 6. v. 5. III. Oſtendi poteſt ex occaſione thematis:
quis putas, eſt fidelis ſervus? quæ conditiones ad
verum ſervum requirantur, nempe illæ, quas
S. Paulus in Epiſtola ad Epheſios indicavit. 1
Malach. 1. v. 6. *cum timore & tremore*: ita enim & DEUS ipſe
exegit dicens: Filius honorat Patrem, & ſer-
vus Dominum; ſi ergo Pater ego ſum, ubi a-
mor meus? ſi Dominus ego ſum, ubi timor
meus? 2. *cum ſimplicitate* cordis: quod fiet
puriſſimam intentionem, ſolam ipſius gloriam
& beneplacitum quærendo, ita ut dicere poſſit
Judith. 12. v. 24. cum Judith: quidquid illi placuerit, hoc mihi
erit optimum omnibus diebus vitæ meæ. 3.
cum bona voluntate, id eſt, prompto & hilari
2. Cor. 9. v. 7. animo, juxta monitum S. Pauli: unuſquiſque
prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia
aut neceſſitate; hilarem enim datorem diligit
DEUS. Excitandi proinde Auditores ad præ-
dictas tres conditiones implendas; in memo-
riam illis revocando, quod idem Apoſtolus lo-
co ſuprà citato dixit: ſcientes quoniam unuſ-
quiſque, quodcunque fecerit bonum, hæc re-
cipiet à DEO.

IV. Oſtendi poteſt ex occaſione thematis: Jo. 14. v. 1.
Creditis in DEUM: & probari exiſtentia &
unitas DEI ex triplici capite. 1. Ex lumine na-
turali, quod dictat, unum debere eſſe omnium
rerum principium. 2. Ex ſtructura mundi &
gubernatione, quæ requirit unitatem imperij,
ſeu monarchicum regimen. 3. Ex eſſentia
DEI, quæ debet omnes perfectiones contine-
re. Hinc tres doctrinæ eruendæ. 1. Firmiter
credendus DEUS; ſi enim plurium hominum
teſtimonium ſufficit ad fidem noſtram excitan-
dam, cur tot tantáque teſtimonia naturæ & re-
velantis DEI, & omnium Chriſtianorum con-
ſenſus, ad exiſtentiam DEI credendam non
ſufficiant? 2. Firmiter ſperandum in DEO; Deut. 32. v. 39.
utpote qui de ſeipſo dixit: videte, quòd ego
ſim ſolus, & non ſit alius DEUS præter me.
Ego occidam, & ego vivere faciam, & non eſt,
qui de manu mea poſſit eruere. 3. Firmiter ad-
hærendum per amorem, cùm in eo tanquam
in fonte reperiatur, quidquid alibi deſiderare
poſſumus. Vide Fabrum Dom. Trin. conc. 3.

V. Oſtendi poteſt ex occaſione thematis; Marc. 10. v. 17.
Quid me dicis bonum? nemo bonus, niſi unus Deus:
quales perfectiones in ſe cōtineat Deus ad intra,
juxta illud S. Pauli: Hujus rei gratia flecto genua Eph. 3. v. 14.
mea ad Patrem Domini mei JESU Chriſti &c. ut
poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis,
quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, &
profundum. Itaq; 1. Per latitudinē intelligi po-
teſt *immenſitas* ejus, juxta illud Jeremiæ: Cœlū & Jer. 23. v. 24.
terram ego impleo. Unde Auditores ad ejus ti-
morem extimulandi, ut cum S. Davide dicere Pſalm. 15. v. 8.
poſſint: providebam Dominum in conſpectu
meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne com-
movear. 2. Per longitudinem *æternitas*, juxta il- Pſ. 101. v. 28.
lud Pſalmi: tu autē idem ipſe es, & anni tui non
deficient. Unde ei ſoli per fiduciam & amorem
adhærendum, ut rectè monet Thomas Kemp.
Qui adhæret creaturæ, cadet cum labili: qui am- l. 2. c. 7.
plectitur JESUM, firmabitur in ævum. Illum
dilige, & amicum tibi retine, qui omnibus rece-
dentibus, te non relinquet, nec patietur in fine
perire. 3. Per ſublimitatem *ſumma perfectio & dignitas* juxta illud Pſalmiſtæ: Tu ſolus altiſſimus Pſ. 82. v. 19.
in omni terra; unde ad honorandum Deum ex-
citandi Auditores. 4. Per profunditatem ejus *in-*
comprehenſibilitas quoad eſſentiam, quoad ſapi-
entiam, quoad judicia, juxta illud S. Pauli: O al-
titudo divitiarum Sapientiæ & ſcientiæ DEI!
quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & in-
veſtigabiles viæ ejus! unde excitandi Auditores, Rom. 11. v. 33.
ut ſemper approbent judicia ejus, & illis ſe cum
debita reverentia & æquanimitate ſubmittant.
Vide Fabrum. Domin. Trin. co. 4.

VI. Oſtendi poteſt ex occaſione thematis:
Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſer- Matt. 4. v. 10.
vies: qualia attributa Deus reſpectu hominum
habeat, nempe illa, quæ per animalia currum Dei
(quo providentia gubernans mundum ſignifica-
tur) trahentia fuerunt indicata. Nam 1. Leo ſi-
gnificat *potentiam*, ex qua affectus ſubmiſſionis,
timoris,

timoris, & fiduciæ excitari debet. 2. Per Aquilã *Sapientia* DEI, quæ omnia penetrat, & videt; hinc non altè ſentiendum de nobis, teverenter & ſimpliciter cum Deo agendum. 3. Per Bovẽ *Juſtitia*, quæ ferit offendentes ſe cornibus vindictæ ſuæ; hinc tribulationes patienter ferendæ, ut in hac vita eidem ſatisfaciamus: vindicta de inimicis DEO committenda: offenſa DEI & proximi ſtudioſè cavenda. 4. Per hominem *miſe-*

Pſ. 32. v. 5. *ricordia DEI*, de qua David: Miſericordiâ Domini plena eſt terra. Unde gratiæ inprimis a-

Pſ. 102. v. 4. gendæ, dicendúmque cum Davide: Benedic anima mea Domino &c. qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Deinde magna in ipſum fiducia concipienda: miſericordia, tepen-

Matt. 18. v. 33. denda juxta illud: nonne oportuit & misereri cõſervi tui, ſicut ego miſertus ſum? Vide Fabrum Feſto S. Trin. co. 5.

Io. 12. v. 32. VII. Oſtendi poteſt ex occaſione thematis: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*: quibus funiculis trahat DEUS ad ſe honunes, nempe 1. per funiculum *amoris*, conferendo varia beneficia. 2. *Pudoris* pèr tot exempla Sanctorum, de quibus illud S. Auguſtino olim dictum teperit: Potuerunt iſti & iſtæ: & tu non poteris? 3. *Timoris* minitando pænas verbis & exemplis. Vide fuſius hanc conc. apud Fabrum Dom. 4. poſt Paſch. co. 7.

Io. 20. v. v. 26. VIII. Oſtendi poteſt ex occaſione thematis: *Venit JESUS januis clauſis, & ſtetit in medio.* 1. Quales fructus afferat præſentia DEI tales nimirum, quales ſol mundo exortus afferre ſolet. Nam 1. pellit tenebras peccati; quia magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis, & talis præcipuè aſſiſtat. 2. Fugat nocturna

Pſ. 104. v. 4. ſpectra timoris vani juxta illud pſalmi: Quærite donum, & confirmamini; quærite faciem ejus ſemper. 3. Facit fructiferam animam in operibus bonis & virtutibus, quia qui DEUM inſpectorem habet, nihil omittet, quo oculis ejus placere poſſit; hinc Abrahamo dictum: ambu-

Gen. 17. v. 1. la coram me, & eſto perfectus. 4. Hominem lætum, & ad labores promptum facit juxta illud

Pſ. 76. v. 4. Davidis: Renuit conſolari anima mea; memor fui DEI, & delectatus ſum. 2. Oſtendi poteſt, quomodo præſentia DEI ſit concipienda, ſcilicet cogitando illud S. Auguſtini: DEUS totus oculus eſt, totus manus, totus pes: Totus oculus, quia omnia videt (etiam occulta & profunda cordis, ut piſces avis in aquis) totus manus, quia omnia operatur: totus pes, quia ubique eſt, & ubique operationis ſuæ veſtigia relinquit. Vide Fabrum Do. 1. poſt Paſcha. co. 6.

De Trinitate.

IX. Oſtendi poteſt ex occaſione thematis:

Matth. 28. v. 19. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti*: primò, quàm meritò Myſterium SS. Trinitatis credatur, idque probari tum ex figuris veteris teſtamenti: tum ex textibus novi: tum ex miraculis. 2. cur quivis Chriſtianus debeat profiteri & credere SS. Trinitatem, nempe quia hæc profeſſio eſt noſtra teſſera militaris contra Infideles: eſt ſcopus & regula noſtrarum actionum, unde dicimus: Gloria Patri &c. eſt clypeus contra Dæmones: eſt cythara laudis divinæ, per quam cũ Angelis illud Iſaiæ canimus: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Exercituum. Vide Fabrum Dom. Trin. conc. 1. & 2.

X. Oſtendi poteſt ex occaſione ejuſdem thematis 1. cur hoc Feſtum præcipua devotione colendum ſit, quia ſcilicet eſt Feſtum omniũ trium Perſonarũ, & conſequenter Feſtum omniũ Feſtorum celeberrimum. 2, Quomodo debeat celebrari, ſcilicet firmiter credendo SS. Trinitatẽ, firmiter in eã ſperando (quia poteſt propter Patris potentiã, ſcit propter Filij ſapientiã, & vult juvare propter Spiritus S. bonitatẽ) & firmiter per caritatem ei adhærendo, atque adeò ſemper cogitando, quæ ei placent, propter Patrẽ: loquendo propter Filium: operando propter Spiritum. S.

XI. Oſtendi poteſt, quomodo perpetuum *Gloria Patri*: aut *Sanctus, Sanctus, Sanctus* cani poſſit SS. Trinitati, ſi ſcilicet omnes cogitationes, verba, & opera puriſſimè ad majorem DEI gloriam referantur: aut ſi ſemper facere ſtudeamus, quæ DEO placent: quo modo placent: & quia placent: oſtendatur proinde, quàm excelſus Deóq; gratus & conſequenter euã nobis utilis ſit hic modus colendi SS. Trinitatẽ. 2. quomodo hic ipſe modꝰ practicè uſurpari poſſit, & debeat.

XII. Oſtendi poteſt ex occaſione thematis: *Matth. 28. v. 19.*
In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. id, quod S. Bernardus in hoc feſto dixit: Eſt Trinitas, à qua homo cecidit, Pater, Filius, & Spiritus S. & eſt Trinitas, quæ cecidit, intellectus, memoria, & *Serm. de SS. Trinit.*
voluntas: & eſt Trinitas, in quã iſta cecidit, impotentia, ignorantia, concupiſcentia: & eſt trinitas, per quam cadens trinitas reſurgit ad trinitatem, de qua cecidit, ſcilicet fides, ſpes, & caritas, quæ proinde ſingula pro rei exigentia per partes explicari poſſunt. Vide Engelgrav. in cælo Empyt. Embl. 28. §. 3. circa finem.

§. XII.

MISCELLANEA.

De DEO.

I. MUlta animalia & ferarum greges ductores ſequuntur ſuos. Singuli Eccleſiarum *S. Hieron. in epiſt. ad Ruſt. Monach.*
Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis Rectoribus nititur. In navi unus gubernator, & in Domo unus Dominus, & in quovis grandi exercitu unius ſignum ſpectatur. Eſt ergo unus in mundo DEUS.

II. Ea eſt DEI vita, qua nihil beatius, nihil *Epicurus apud Cicer. lib de nat. Deor.*
omnino bonis omnibus affluentius cogitari poteſt; nihil enim agit, nullis occupationibus eſt implicatus, nulla opera molitur, ſuâ potentiâ & virtute gaudet: habet exploratũ, fore ſe ſemper tũ in maximis, tũ æternis voluptatibus, (quæ omnia intellige de Deo ſecũdùm ſe, & ad intra ſpectato.

III. Firmiſſimum hoc adferri videtur, cur *Cicero l. 1. Tuſcul.*
Deos eſſe credamus, quòd nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio.

IV. Sit hoc à principio perſuaſum homini- *Cicero. 2. de leg.*
bus, Dominos eſſe ac Gubernatores Deos, eáque, quæ geruntur, eorum geri ditione ac numine, eóſq; optimè de hominum genere mereri; & qualis quiſq; ſit, quid agat, quid in ſe admittat,

quâ

quâ mente, quâ pietate colat religionem, intueri, plerúmque & impiorum habere rationem.

Cant. 4. v. 12. V. Quâ curâ ac vigilantiâ pios omnes Dominus ſervet, ac tueatur, declarant illa verba Sponſæ: Hortus concluſus ſoror mea ſponſa. Hortum enim appellat animam juſti, quia ea velut paradiſus deliciarum veri Salomonis eſt, cujus deliciæ ſunt eſſe cum Filijs hominum. Concluſum autem dicit hunc hortum, propter jugem ſuam & Angelorum cuſtodiam, quibus undique ſeptus eſt. Quod etiam Dæmon teſtatur, cùm de B. Job ait: *Job. 1. v. 10.* nónne tu vallâſti eum, & omnem domum ejus?

Granat. in ſilv. f. 36. VI. Si is, qui fidem cujuſdam amici ſpectatiſſimam habet, delatoribus non credit, ſi aliquid feciſſe eum referant, de quo dubitari poſſit, an rectè fecerit; cur DEUM cujus opera perfectiſſima quotidie cernimus, in quovis opere ſuo juſtiſſimum eſſe non dicamus, neque eorum cauſas in hac vita quæramus?

Ibid. f. 40. VII. Fingamus Regem expugnata rebelli civitate centum captivos cepiſſe, è quibus nonaginta interfici, decem verò magnis muneribus donatos ſibi aſſidere juſſerit, quantum decem iſti ſuo regi ſe debere fatebuntur? Nunc verò totam generis humani maſſam conſidera. Ex hac videbis maximam partem infidelitatis tenebris opertam, ad æternam mortem parari, ex fidelibus autem maximam quoque partem perire, cùm ſit arcta via, quæ ducit ad vitam, & multi quidem vocati, pauci verò electi ſint; quale ergo beneficium erit, inter tot perditorum millia, inter pauciſſimos illos numerari, quibus hæc ſors feliciſſima contigit?

Ariſtot. l. de Mundo. c. 6. VIII. Quod in navi gubernator, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in civitate, & Dux in exercitu, hoc DEUS eſt in mundo.

Seneca ad Lucil. IX. Propè DEUS eſt, tecum eſt, intus eſt. Ita dico, Lucili, ſacer intra nos Spiritus ſedet, bonorum malorúmque noſtrorum obſervator. Hic prout à nobis tractatur, ita & nos tractat ipſe: bonus verò vir ſine DEO nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab eo adjutus, exurgere? ille dat conſilia magnifica & erecta in unoquoque bono viro.

Lactantius Firmia- X. DEUS autem, qui eſt æterna mens, ex omni utique parte perfectæ conſummatæque virtutis eſt. Quod ſi verum eſt, unus ſit neceſſe eſt.

nus. l. 1. de div. juſt. c. 1.

Senec. l. de benef. XI. Quid enim eſt aliud, quàm DEUS, & divina ratio toti mundo, partibúſque ejus inſerta? ergo nihil agis, ingratiſſime mortalium, qui te negas DEO debere, ſed naturæ, quia nihil natura ſine DEO eſt, nec DEUS ſine natura, ſed idem eſt uterque, nec diſtat officio.

Lact. Firm. l. 2. c. 4. XII. Non placuit Perſio, quòd aurea vaſa templis inferrentur, eò quòd ſupervacuum putaverit, Dijs offerri, quod avaritiæ potiùs, quàm ſanctitatis eſt inſtrumentum; atque adeò potiùs illis offerri volebat,

Compoſitum jus, faſque animi, ſanctóſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.

Lucius Apul. de Deo Socrat. XIII. Nihil eſt DEO ſimilius, & gratius, quàm vir animo perfecto bonus, qui hominibus ceteris antecellit, quod ipſe à Dijs immortalibus diſtat.

Anton. in Meliſſâ p. 2. ſer. 77. XIV. Cùm Thales ſeptem Sapientum unus cælum conſiderans in foveam cecidiſſet, Ancilla eum deridens dixit: Et tu, quæ ſupra te ſunt indagabis; ſi quæ ante te erant, videre non poteras. Applica ad curioſam contemplationem DEI.

1. Reg. 6. XV. Apud Perſas, qui Reginam curioſè intuiti eſſent, morte plexi ſunt. Sed & qui Arcam fœderis curioſiùs inſpexerant, ſubitò interempti ſunt. Quantò magis, qui Deitatem & Trinitatem curioſè ſcrutari voluerint, opprimentur ab ejus gloria?

Faber. in feſto SS. Trin. co. 1. § 5. XVI. Epictetus Philoſophus dixit: ſi omnino eum declararem, vel ego DEUS eſſem; vel ille DEUS non foret.

§. XIII.

AUTHORES.

I. Leonardus Leſſius de divinis perfectionibus.

II. Juſtinus Michovienſis in Litanias Lauretanas diſcurſu 70. & ſeq.

III. Robertus Bellarminus de aſcenſione mentis ad DEUM.

IV. Joannes Nadaſi in anno Hebdomadarum Cæleſtium tota parte prima.

TITVLVS XIII.

EUCHARISTIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Caniſ. cap. 4. de Euch. §. 1. EST corpus & ſanguis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini, cum anima & divinitate realiter & ſubſtantialiter exiſtentis.

Vocatur autem Euchariſtia, id eſt, bona gratia, ſeu gratiarum actio, quia præcipuum & maximum DEI donum, ipsumque omnis gratiæ fontem & authorem continet, ſummorumque nos bonorum admonet, pro quibus acceptis gratiarum actionem, laudem, & gloriam ſummam DEO ſummo debemus.

Caniſ. §. 2. II. Tria præcipuè continet, ſpecies viſibiles, corporis & ſanguinis Dominici veritatem, & ſpiritualis gratiæ virtutem.

Caniſ. §. 3. III. Quinque capita de ea potiſſimùm ſunt ſcienda. 1. Veritas illius. 2. Tranſſubſtantiatio, ſeu panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti converſio. 3. Adoratio eidem debita. 4. Ejusdem oblatio & ſacrificium. 5. Sumptio illius ſub altera vel utraque ſpecie.

IV. Finis illius triplex eſt, ab ipſa Eccleſia ſequentibus verbis indicatus: O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Quem finem clarius explicavit Concilium Tridentinum *Seſſ. 13. c. 2.* his verbis: Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum &c. ſumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: qui manducat me, & ipſe vivet propter: & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à culpis mortalibus præſervamur: Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis, adeóque ſymbolum vivum illius corporis, cujus ipſe caput exiſtit, cuique nos tanquam membra arctiſſimâ fidei, ſpei, & caritatis connexione adſtrictos eſſe voluis.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Neceſſitas.

Iſaia 55. v. 1. I. OMnes ſitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite; venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione, vinum & lac.

II. Amen, amen, dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Ioan. 6. v. 13.*

III. Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. *Pſal. 101. v. 5.*

Utilitas.

IV. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. *Ioann. 6. v. 51.*

V. Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. *1. Cor. 11. v. 26.*

VI. Hic eſt panis de cælo deſcendens. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. *Ioan. 6. v. 50. & 51.*

VII. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. *Ioan. 6. v. 54.*

Jucunditas

VIII. Vincenti dabo manna abſconditum. *Apoc. 2. v. 17.*

IX. Comedi favum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini cariſſimi. *Cant. 5. v. 1.*

X. Pro quibus Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. *Sap. 16. v. 20.*

XI. Quid enim bonum, & quid pulchritudo ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines? *Zach. 9. v. 17.*

Dignitas.

XII. Calix meus inebrians quàm præclarus eſt. *Pſalm. 22. v. 5.*

XIII. Hic eſt panis Angelorum de cælo deſcendens. *Ioan. 6. v. 50.*

Præparatio.

XIV. Anima polluta, quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis. *Levit. 7. v. 20.*

XV. Leproſus aut patiens fluxum ſeminis non veſcetur de his, quæ ſanctificata ſunt mihi, donec ſanetur. *Levit. 22. v. 4.*

XVI. Nolite Sanctum dare canibus; neque mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos. *Matt. 7. v. 6.*

Digitized by Google

Matt. 22. v. 12. XVII. Amice, quomodo huc intrâſti, non habens veſtem nuptialem?

1. Cor. 5. v. 8. XVIII. Epulemur non in fermento veteri, neque in ſermento malitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.

1. Cor. 10. v. 21. XIX. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dœmoniorum.

1. Cor. 11. v. 29. XX. Qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Subſtantia.

S. Aug. de Eccleſ. dogm. I. HOc Sacramentum non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur Creatoris; nec bonorum diſpenſatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur.

S. Ambroſ. l. 3. de Sacram. II. Si tantùm valuit ſermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret, non valebit ſermo Chriſti, ut ſpecies elementorum mutetur? de totius mundi operibus legiſti: quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt. Sermo igitur Chriſti, qui ex nihilo potuit facere, quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt, mutare in illud, quod non ſunt? non enim minus eſt, novas rebus dare formas, quàm mutare naturas.

Ibid. III. Liquet, quia præter naturæ ordinem virgo generavit, & hoc, quod conficimus corpus, ex virgine eſt. Quid quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe partus ex virgine?

Euſeb. Emyſſen. hom. 5. de Paſch. IV. Sicut ad nutum præcipientis Domini repentè ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cælorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum, pari potentia in Spiritualibus Sacramentis verbi præcipit virtus, & ſervit effectus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui eſt author muneris, ipſe etiam eſt teſtis veritatis.

Neceſſitas.

S. Ambr. l. 5. de Sacram. V. Qui vulnus habet, medicinam requirat: vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus; medicina eſt cæleſte & venerabile Sacramentum.

S. Aug. tr. 26. in Ioan. VI. Fiant fideles corpus Chriſti, ſi volunt vivere de Spiritu Chriſti. De Spiritu Chriſti non vivit, niſi corpus Chriſti. Vis & tu vivere de Spiritu Chriſti? in corpore eſto Chriſti.

S. Cypr. in epiſt. ad Cornel. Pap. VII. Idoneus eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab Eccleſia corpore Chriſti & ſanguine non armatur ad prœlium; & mens deficit, quam non accepta Euchariſtia erigit, & accendit.

Utilitas.

S. Hieron. ſuper Lucam. VIII. Biberunt ex eo omnes: ebrietas felix, ſatietas ſingularis, quæ, quantò copioſiùs ſumitur, tantò ſobrietatem ſumentibus donare dignatur. Et Judas bibit, ſed non ſaturatur, nec ſitim extinguit ignis æterni, quia indignè ſumit myſteria Chriſti.

IX. Panis hic azymus cibus verus & ſincerus per ſpeciem & Sacramentum nos tactu ſanctificat, fide illuminat, veritate Chriſto confirmat. Et ſicut panis communis, quem quotidie edimus, vita eſt corporis, ita panis iſte ſuperſubſtantialis vita eſt animæ & ſanitas mentis. *S. Cypr. ſ. de cœn. Dom.*

X. Duo præcipuè in nobis hoc Sacramentum operatur, ut & ſenſum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Si quis veſtrûm non tam ſæpe modò non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujuſmodi, gratias agat corpori & ſanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. *S. Bern. ſ. de cœn. Dom.*

XI. Tanquam leones ignem ſpirantes, ab illa menſa recedimus, terribiles Diabolo effecti. *S. Chryſ. hom. 45. in Ioan.*

XII. Qui de hac vita migraturi ſunt, ſi myſteriorum hujuſmodi cum pura conſcientia fuerint participes, ſpiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumptum illud Sacramentum hinc rectâ ad cælum abducuntur. *S. Chryſ. lib. de Sacerd.*

XIII. Qui dignè comedit hunc panem, qui eſt corpus Chriſti, neceſſe eſt, ut moriatur præteritis, & vivat futuris. *S. Aug. ſ. 201. de temp.*

XIV. Non aliud agit participatio corporis & ſanguinis Chriſti, quàm ut in id, quod ſumimus, tranſeamus. *S. Leo ſ. 14. de paſſ. Dom.*

XV. Sic Chriſtophori efimus, id eſt, Chriſtum ferentes, cùm ejus corpus & ſanguinem in membra noſtra receperimus, atque ita, ut B. Petrus dicit, divinæ naturæ conſortes efficimur. *S. Cyrill. catech. 4.*

Jucunditas.

XVI. Quid ſuavius pane Angelorum? quomodo ergo non eſt ſuavis Dominus, quando panem Angelorum manducavit homo? *S. Auguſt. ſuper Pſ. 34.*

XVII. Quot nunc dicunt: vellem ipſius formam aſpicere, figuram, veſtimenta, calceamenta? Ecce eum vides, ipſum tangis, ipſum manducas. Igitur nemo accedat cum nauſea, nemo reſolutus; omnes accenſi, omnes ferventes & excitati. *S. Chryſ. hom. 60. ad pop. Antioch.*

XVIII. Quemadmodum vino iſto communi mens ſolvitur, & anima relaxatur, & omnis triſtitia ſeponitur; ita epoto ſanguine Domini, & poculo ſalutari, exponitur memoria veteris hominis, & fit oblivio converſationis ſæcularis, & mœſtum pectus ac triſte, quòd priùs peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitiâ reſolvitur. *S. Cypr. l. 2. epiſt. 3. ad Cæcilium.*

Dignitas.

XIX. Eſt communio DEI vivi, menſa divina, eſca in fide perfecta, tota cæleſtis. *S. Martialis in epiſt. ad Burdegal.*

XX. Quis Fidelium dubium habere poſſit, in ipſa immolationis horâ ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo JESU Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociati, terrena cæleſtibus jungi, unum quid ex viſibilibus atque inviſibilibus fieri? *S. Greg. l. 4. Dial. c. 58.*

Tempus ſumendi.

XXI. Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic vive, ut quotidie merea- *S. Aug. in Matth.*

ris accipere; qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.

S. Auguſt. in lib. de Eccl. dogm.

XXI. Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen Dominicis diebus ſuadeo & hortor, ſi tamen mens ſine voluntate peccandi ſit.

S. Ambroſ. de Sacram.

XXII. Si quotieſcunque effunditur ſanguis, in remiſſionem peccatorum funditur, debeo illum ſemper accipere, ut ſemper mihi peccata dimittantur: qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.

Caſſianus.

XXIII. Multò juſtius eſt, ut cum hac cordis humilitate, quâ credimus, & fatemur illa Sacroſancta myſteria nunquam pro merito nos poſſe contingere, ſingulis ea Dominicis ob remedium noſtrarum ægritudinum præſumamus, quàm ut vana perſuaſione cordis elati, vel poſt annum dignos eorum participio nos eſſe credamus.

S. Cyrillus in Ioann.

XXIV. Sciant baptizati homines, ſi longo temporis ſpatio propter ſimulatam religionem myſticè Chriſto communicare recuſent, ab æterna vita ſe procul depellere. Quippe recuſatio hujuſmodi quamvis ex religione proficiſci videatur, & ſcandalum facit, & laqueos inſtruit. Quare oporter omnibus viribus à peccato mundari, & rectè vivendi jactis fundamentis, magnâ cum fiduciâ ad ſumendam vitam concurrere.

Quidam S. Pater apud Beerling. them. 2. in feſt. corp. Chriſti.

XXV. Immunda es? accede, mundanda ad fontem puritatis. Eſuris? accede paſcenda ad panem vivificum. Ægrotas? erit hoc efficaciſſimum tuæ valetudinis medicamentum. Fluxum pateris? nec ſanari potes à medicis? tange plena fide cum hœmorrhoiſſa fimbriam, ſcilicet ſacram hoſtiam, ut purgeris.

Modus ſumendi.

S. Ambr. in orat. ante miſſ.

XXVI. Quanta cordis contritione & lacrymarum fonte, quantâ reverentiâ & tremore, quanta corporis caſtitate atque animi puritate illud divinum & cæleſte myſterium eſt celebrandum, Domine DEUS, ubi caro tua in veritate ſumitur, ubi ſanguis tuus in veritate bibitur, ubi ſummis ima, humanis divina junguntur? ubi adeſt Sanctorum præſentia Angelorum, ubi tu es Sacerdos & Sacrificium mirabiliter & ineffabiliter? Quis dignè hoc myſterium celebrare poteſt, niſi tu DEUS omnipotens offerentem feceris dignum?

S. Bern. in epiſt.

XXVII. Sacramentum DEI altiſſimum ſumendum eſt, non diſcutiendum: venerandum, non dijudicandum: fide ſortitum, non innatum: traditione ſancitum, non ratione adinventum.

S. Aug. ſ. 252. de temp.

XXVIII. Rogo vos, Fratres, nunquid eſt aliquis, qui in arca ſordibus plena velit mittere veſtem ſuam? Et ſi in arca ſordibus plena veſtis non mittitur pretioſa, quâ fronte in anima, quæ peccatorum ſordibus inquinatur, Chriſti Euchariſtia ſuſcipitur?

S. Greg. in Regiſt.

XXIX. Si quis ſuâ conjuge non cupidine voluntatis, ſed ſolùm procreandorum liberorum gratiâ utitur, ille profectò ſive de ingreſſu Eccleſiæ, ſive de ſumendo Dominici corporis ſanguiniſque myſterio, ſuo eſt relinquendus judicio: quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne poſitus neſcit ardere.

S. Chryſoſt. in orat. de S. Philogonio.

XXX. Communionis tempus non eſt feſtum, atque celebritas, ſed conſcientia pura, vitáque à peccatis repurgata.

Theophylact. in epiſt. 1. Paulo.

XXXI. Non alium Apoſtolus judicem hîc tibi attribuit, quàm teipſum. Judica igitur, & explora conſcientiam tuam, & ſic accede.

S. Chryſoſt. hom. 60. ad popul.

XXXII. Nónne videtis, quantâ infantes animi alacritate mammillas arripiunt? quâ preſſione papillis infigunt labia? non minore cupiditate nos quoque ad hanc menſam, & ad hujus calicis ſpiritualem accedamus papillam: imò verò majore deſiderio quaſi lactantes pueri gratiam Spiritûs ſugamus: unus ſit nobis dolor, una mœſtitia, ſi hoc alimento ſpirituali privamur.

S. Auguſt. ſerm. 1. de temp.

XXXIII. Quantùm poſſumus, cum DEI adjutorio laboremus, ut cum ſincera & pura conſcientia, & mundo corde, & caſto corpore ad altare Domini poſſimus accedere, & corpus & ſanguinem ejus non ad judicium, ſed ad remedium animæ noſtræ mereamur accipere. In Chriſti enim corpore vita noſtra conſiſtit. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Nam ſi non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam, & magis ex ipſa corrumpitur, quàm ſanetur: magis occiditur, quàm vivificatur.

S. Remigius ſuper Matth. *S. Chryſoſt. in c. 6. Ioann.*

XXXIV. Væ tradentibus Chriſtum ad crucifigendum; ſed væ cum maligna conſcientiâ ſub Sacramento ſumentibus illum. Nam ſi qui regiam purpuram coinquinant, haud ſecùs, qui ſcindunt, puniuntur: quid mirum, ſi, qui immundâ conſcientiâ Chriſti corpus accipiunt, idem ſupplicium ſubeant, quod qui eum clavis affixerunt?

S. Greg. hom. 22. in Evang.

XXXV. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, ſed aſſum tantùm igni. In Euchariſtia crudum agnum edunt, qui DEI præſentiam non ſatis expendunt.

S. Chryſoſt. hom. 27. in 1. Cor.

XXXVI. Quicunque ſis, manum tuam expurga, & caſtiga linguam & labia, quæ ingreſſuri Chriſti fuêre veſtibula.

S. Bern. apud Promard. lib. 1. c. 6.

XXXVII. Heu quàm temerarium, quámque nefarium eſt, cruentatis manibus tractare virginis Filium: quis auditus ſuſtineret aurium? quis oculus non confunderetur ad intuitum? quæ mens non raperetur in exceſſum, ubi mundi pretium mittitur in ſterquilinium? non eſt minùs deteſtabile, in os pollutum, quàm in lutum mittere Virginis Filium.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Neceſſitas.

Lib. 4. c. 11. §. 4.

I. DUo mihi permaximè neceſſaria ſentio in hac vita, ſine quibus mihi importabilis

Digitized by Google

bilis foret iſta miſerabilis vita. In carcere corporis hujus detentus, duobus me egere fateor, cibo ſcilicet & lumine. Dediſti itaque mihi infirmo Sacrum corpus tuum ad refectionem mentis & corporis, & poſuiſti lucernam pedibus meis verbum tuum. Sine his duobus bene vivere non poſſem, nam Verbum DEI lux animæ, & Sacramentum tuum panis vitæ.

Lib. 4. c. 3. §. 5. II. Neceſſarium mihi eſt, qui tam ſæpè labor, & pecco, tam citò torpeſco & deficio, ut per frequentes orationes, & confeſſiones, & ſactam corporis tui perceptionem me renovem, mundem, & accendam, ne fortè diutiùs abſtinendo, à Sancto propoſito defluam.

Utilitas.

Lib. 4. c. 4. §. 2. III. Eſt hoc altiſſimum & digniſſimum Sacramentum ſalus animæ & corporis, Medicina Spiritualis languoris: in quo vitia mea curantur, paſſiones frenantur, tentationes vincuntur, aut minuuntur, gratia major infunditur, virtus incepta augetur, firmatur fides, ſpes roboratur, & caritas augeſcit, & dilatatur.

Ibid. §. 3. IV. Multa bona largitus es, & adhuc ſæpius largiris in Sacramento dilectis tuis devotè communicantibus, DEUS meus, ſuſceptor animæ meæ, reparator infirmitatis humanæ, & totius dator conſolationis æternæ. Nam multam ipſis conſolationem adverſus variam tribulationem infundis, & de imo dejectionis propriæ ad ſpem tuæ protectionis erigis, atque novâ quâdam gratiâ eos intus recreas & illuſtras, ut, qui anxii primùm, & ſine affectione ſe ante communionem ſenſerant, poſtea refecti cibo potúque cæleſti, in melius ſe mutatos inveniant.

Lib. 4. c. 2. §. 6. V. Quoties hoc myſterium recolis, toties tuæ redemptionis opus agis, & particeps omnium meritorum Chriſti efficeris.

Jucunditas.

Lib. 4. c. 3. §. 3. VI. Hæc eſt una principalis fidelis animæ conſolatio, quamdiu peregrinatur à te in mortali corpore, ut ſæpius memor DEI ſui, dilectum ſuum devota ſuſcipiat mente.

Lib. 4. c. 13. §. 1. VII. O dulciſſime Domine JESU, quanta eſt dulcedo devotæ animæ tecum epulantis in convivio tuo: ubi ei non alius cibus manducandus proponitur, niſi tu unicus dilectus ejus, ſuper omnia deſideria cordis ejus deſiderabilis.

Lib. 4. c. 13. §. 2. VIII. O quàm ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cælo deſcendente illos reficere dignaris. Verè non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat DEOS appropinquantes ſibi, ſicut tu DEUS noſter ades univerſis fidelibus tuis, quibus ad quotidianum ſolatium, & cor erigendum in cælum, te tribuis ad edendum & fruendum.

Dignitas.

Lib. 4. c. 7. §. 4. IX. Non eſt oblatio dignior, & ſatisfactio major pro peccatis diluendis, quàm ſeipſum purè & integrè cum oblatione corporis Chriſti in Miſſa & Communione DEO offerre.

Lib. 4. c. 2. §. 5. X. Mira res ac fide digna, & humanum vincens intellectum, quòd tu, Domine DEUS meus, verus DEUS & homo, ſub modica ſpecie panis & vini integer contineris, & ſine conſumptione à ſumente manducaris.

Frequentia Sumptionis.

Lib. 4. c. 10. §. 1. XI. Frequenter recurrendum eſt ad fontem gratiæ & divinæ miſericordiæ, ad fontem bonitatis & totius pietatis: quatenus à paſſionibus tuis & vitiis curari valeas, & contra univerſas tentationes & fallacias Diaboli fortior atque vigilantior effici merearis.

Ibid. §. 2. XII. Propter aliquam parvam tribulationem vel gravitatem, Sacram ne dimittas Communionem, ſed vade citiùs confiteri, & omnes offenſiones aliis libenter indulge.

Lib. 4. c. 10. §. 4. XIII. Quid prodeſt, diu tardare Confeſſionem; aut Sacram Communionem? Expurga te cumprimis, expue velociter venenum, feſtina accipere remedium, & ſenties meliùs, quàm ſi diſtuleris. Si hodie propter iſtud dimittis, cras forſitan aliud majus eveniet, & ſic diu poſſes à Communione impediri, & magis ineptus fieri.

Ibid. §. 5. XIV. Heu quàm modicam caritatem, & debilem devotionem habent, qui Sacram Communionem tam facilè poſt ponunt!

Modus ſumendi.

Ibid. §. 7. XV. Qui aliter ſe non præparat, niſi inſtante feſto vel conſuetudine compellente, ſæpiùs imparatus erit.

Lib. 4. c. 7. §. 1. XVI. Super omnia cum ſumma humilitate cordis & ſupplici reverentia, cum plena fide & pia intentione honoris DEI ad hoc Sacramentum celebrandum, tractandum & ſumendum oportet DEI accedere Sacerdotem.

Lib. 4. c. 12. §. 1. XVII. Omnis amans ſuo dilecto amatori optimum & pulcherrimum præparat locum, quia in hoc cognoſcitur affectus ſuſcipientis dilectum.

Ibid. §. 4. XVIII. Oportet autem, ut non ſolùm te præpares ad devotionem ante Communionem, ſed ut etiam te ſollicitè conſerves in ea poſt Sacramenti perceptionem. Nec minor cuſtodia pòſt exigitur, quàm devota præparatio priùs. Nam bona poſtmodum cuſtodia, optima iterum eſt præparatio ad majorem gratiam conſequendam.

§. V.

EXEMPLA CATHOLICA.

Veritas.

Spec. Ex. diſt. 5. ex. 129. Vide ſimilem hiſtor. in Fabr. in feſto S. Barthol. co. 5. n. 6.

I. CONcionator quidam Hæretico promittens, ſe fidem ejus ſuſceptutum, ſi Chriſtum, B. Virginem & Apoſtolos oſtenderet, cùm hæc omnia hæreticus ope dæmonum phantaſticè repræſentâſſet, Chriſtum in Euchariſtia, quem ſecum attulerat, extrahens, & Matri DEI porrigens, ut, ſi vera eſſet DEI Mater, Filium agnoſceret & revereretur, totum cœtum diſturbavit, & hæreticum convertit.

Buſæus in Pannrio.

II. S. Ludovicus Rex Franciæ dum fatali lecto decumbens à Parocho, qui Sacrum illi viaticum deferebat, rogaretur, num crederet, DEI Filium verè in hoc Sacramento contineri? reſpondit: minùs hac de re dubito, quàm ſi hiſce oculis Chriſtum eâ formâ intueret, quâ cælum aſcendit. Unde alio tempore invitatus, ut puerulum in hoſtia viſibiliter apparentem conſpiceret, noluit videre, ſatis ſibi eſſe dicens, quòd fidei oculo illum intueri poſſit, & hâc ratione ejuſdem fidei meritum conſervare.

Faber. to. 1. in feſto S. Thomæ co. 6. n. 3.

Bredenb. collat. 1. c. 27.

III. Matrona quædam corpus Chriſti in hoſtia eſſe non credens, eò quòd ipſamet illam pinſuiſſet, orante S. Gregorio & populo, in carnem primùm, & mox iterum in antiquam ſpeciem converſam vidit.

Utilitas.

Spec. Ex. diſt. 10. ex. 5.

IV. Chriſtum in Euchariſtia ſumptum cùm Paſtor quidam rogaret, ut oviculam à lupo raptam reſtitueret, ſubitò lupus ipſam incolumen dimiſit.

Ibid. d. 6. ex. 15.

V. Cùm quidam miles jamjam in extremo vitæ periculo conſtitutus, concubinam ſe dimittere non poſſe diceret, ideóque Parochus Communionem ei negaret, S. Bernardus voluntate ejus exploratâ porrigi hoſtiam juſſit, itaque illius animum convertit, ut ſummè exoſus concubinam, nihil de illa audire ampliùs voluerit.

Ibid. diſt. 9. ex 27.

VI. Petrus Cocles Monachus Claræ vallis graviſſimo capitis dolore vexatus cùm ad Communionem accederet, ingens quaſi plumbi maſſa de capite ejus decidit, poſteà verò ſumpto SS. Chriſti corpore ab omni prorſus dolore liberatus eſt.

Diſcipulus ſ. 8. lit. T.

VII. In Thuringia cùm Sacerdos Euchariſtiam ad ægrum portaret, accedens meretrix & genua flectens dixit ad Chriſtum: ſi tu es ille, qui pro noſtra redemptione natus & mortuus es, rogo te per ineffabilem miſericordiam tuam, ignoſce mihi peccata mea. Et cùm Chriſtus reſpondiſſet: & ego tibi ignoſco peccata tua: illáque iterum diceret: Domine loquere germanicè: denuo ille dixit: & ego te recipio in gratiam meam. Cui illa: Et tu, Domine, me ſuſcipis, quæ per carnem toties te offendi. Ah gratias tibi, bone Domine JESU & ex hoc momento ſanctè vivere incepit.

Pad. Dauraltii.

VIII. Civis quidam Ferrarienſis de ſe narrare ſolebat, ſe adhuc Adoleſcentem gravibus carnis tentationibus agitatum, ſuaſu Confeſſarii uxorem duxiſſe: verùm eâ mortuâ iterum in antiquas tentationes incidiſſe, nec priùs ab iis liberatum fuiſſe, quàm ſuaſu alterius Confeſſarii ſæpiùs ad S. Communionem acceſſit.

Daur. in Cat. c. 5. tit. 16.

IX. S. Mechtildis Chriſtum poſt Communionem peractum ſibi dicentem audivit: tu in me, & ego in te, & in æternum non derelinquam te.

Faber. in feſto SS. Trin. co. 6. n. 4.

X. S. Bernardus dæmonem ejicere volens, Euchariſtiam aſſumpſit, & dixit ad illum: Adeſt, inique Spiritus, Judex tuus, adeſt ſumma poteſtas; jam reſiſte, ſi potes.

Daur. l. c. tit. 16. ex. 19.

XI. Ad S. Catharinam Senenſem hæc quondam dixit verba Chriſtus: ut pleniùs intelligas, quàm ardenti deſiderio cupiam vobiſcum eſſe útque magis accendaris ad ſubigendam mihi copulandámque meæ voluntatem tuam: vide, & altâ mente conſidera, voluiſſe me, ut Unigenitus meus incarnaretur, paráſſe inſuper menſam maximi, parúmque agniti Sacramenti Corporis ipſius & Sanguinis, ut in cibum ſumentes transformemini mutenuniq; in me. Et hoc eſt, quod Auguſtino ſervo meo his verbis dixi: Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me: nec tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me.

Annua. Soc. JESU 1593. in. Prov. Mediol. Colleg. Genuenſ.

XII. Juriſconſultus quidam à Fratris Filio luculentam in facie plagam acceperat, ad quam injuriam remittendam, vel deprecandam cùm neuter perſuaderi poſſet, tandem Pater quidam è Societate JESU hortatus eos eſt, ut ſecum coram Euchariſtia parùm orarent, quo facto ita mutati ſunt, ut ultrò veniam offenſæ peterent, remitteréntque.

Jucunditas.

Daur. c. 5. tit. 9. ex. 13.

XIII. Boarus Eques poſt converſionem ſuam communicare incipiens, diu in ſingulis Communionibus miram dulcedinem expertus eſt.

Specul. ex. diſt. 5. ex. 35.

XIV. Religioſus quidam quoties communicârat, miram ex ſumptione Hoſtiæ dulcedinem perceperat; ſed cùm quondam aſperiùs fratrem quendam corripuiſſet, penitùs eam amiſit, hoſtiámque felle quovis amariorem ſenſit.

Ibid. ex. 55.

XV. Alius quidam Religioſus, quoties communicabat, oſculum à JESU in hoſtia latente accepit; ſed & ipſe hanc gratiam amiſit, dum ad Communionem fratre necdum reconciliato acceſſit.

Lib. 5. insin. c. 30.

XVI. Cùm S. Gertrudis Domino diceret: quid in me omnium creaturarum periſpſemate poteris invenire, in quo taliter delecteris, & hoc amplexibus, & oſculis Sponſalis blanditatis æquiparare digneris? reſpondit Dominus: hoc, quod toties me tibi communico in Sacramento altaris. Et in hoc ego in infinitum plus

dele-

delectæ, quàm omnes ſimul, qui unquam in humanis amplexibus & oſculis ſunt delectati, potuerint experiri; nam delectatio amplexuum & oſculorum humanorum vilis eſt, & cum tempore tranſit, ſuavitas verò unionis illius, quâ egomet tibi communico per hoc Sacramentum Altaris, nobiliſſima eſt, nec unquam deficit, aut tepeſcit, ſed, quantò ſæpiùs renovatur, tantò efficaciùs viget in æternum.

Communio.

Vit. l. 4. c. 32. XVII. S. Mater Thereſia authoritate virorum præſtantiſſimorum nixa quotidie communicabat, idque ratum ſe habere oſtendit DEUS, dum alioqui ex ſtomachi debilitate manè & veſperi vomentem, deinceps, quò hoc Sacramento frui poſſet, manè ab ea moleſtiâ liberavit. Quæ tamen ſi Confeſſarius aut Chriſtus Communionem vetabat, ſtatim ſine triſtitia acquieſcebat.

Sur. to. 3. in vita. XVIII. Cùm S. Lutgardi ſingulis Dominicis communicare ſolitæ Antiſtes id prohiberet, hæc ſtatim afflicta morbo, non priùs ab eo liberari potuit, quàm eandem iterum permitteret.

Bloſius in monili c. 6. XIX. Cùm Sanctimonialis quædam alias à frequenti Communione abſterreret, Chriſtus de ea S. Gertrudi pro illa oranti dixit: non placet, quòd cæteras à Sacra corporis mei menſa abſterreat, cùm ſummæ mihi deliciæ ſint eſſe cum hominibus.

Ribad. in vita 19. Maij. XX. S. Bonaventura cùm aliquamdiu ex reverentia à S. Miſſæ Sacrificio abſtineret, alteri cuipiam Sacerdoti ad aram facienti aſſiſtens ſenſit unam Sacræ hoſtiæ particulam ab Altari in os mirabiliter transferri, ex quo intellexit, gratius eſſe DEO, ſi ex amore ad tremenda illa myſteria accedamus, quàm ſi ex timore quodam & reverentia ſubterfugiamus.

Ribad. in vita 19. Maij. XXI. S. Petrus Cæleſtinus dubitans, num DEO frequens Communio, quàm rarior magis placeret, ideóque aliquoties abſtinens, & ob id Romam, Pontificis conſulendi causâ, proficiſcens, Abbatem, à quo Monachi veſtem acceperat, jam vitâ functum obvium habuit, qui eum ita effatus eſt: Bene ſentis, fili mi, de auguſto corporis Chriſti myſterio, cùm nemo, ne Angelus quidem illo ſatis dignus ſit, ſed non idcirco illud minùs frequenter cum timore & reverentia uſurpabis. Quibus dictis nuſquam comparuit.

S. Anton. p. 2. tit. 23. c. 14. §. 8. XXII. Cùm S. Catharinam Senenſem Epiſcopus quidam ob frequentiam Communionis argueret, & illud S. Auguſtini objiceret; quotidie Euchariſtiam ſumere, nec laudo, nec vitupero, ſingulis tamen Dominicis diebus communicandum hortor: illa reſpondit: ex quo S. Auguſtinus me non vituperat, cur tu, Pater Reverende, me reprehendis? quo dicto Epiſcopus confuſus tacuit.

Vita. c. 3. XXIII. S. Catharina Genuenſis quando ex cauſa ad divinam menſam accedere non poterat, toto illo die dolore conficiebatur, & ſibi ipſi intolerabilis erat, unde qui apud illam morabantur, ei compatientes dicebant, clarum eſſe, placere DEO, ut quotidie cæleſte epulum accipiat.

Spec. ex. d. 2. ex. 75. XXIV. Cùm Mulier quædam incantationibus Magorum in equum converſa, & S. Macarii, ad quem à Marito deducta fuerat, precibus liberata eſſet, cauſam ille hujus permiſſionis eſſe dicebat, quòd per quinque ſeptimanas à Communione abſtinuiſſet.

Bloſius in Monil. c. 6. XXV. Cùm S. Gertrudis Communionem, quam valdè deſiderârat, conſilio Matris Spiritualis omiſiſſet, Chriſtus ei dixit: quia deliberâſti me omittere purè propter me, ego in gremio meo confovebo te.

Communio digna.

Pad. Chriſt. c. 16. §. 8. XXVI. In primitiva Eccleſia Diaconus populo Communionem præbiturus altâ voce clamabat: Sancta Sanctis. Si quis non ſit Sanctus, Sacramentum non accedat.

Ibid. §. 3. XXVII. S. Catharina Senenſis velut infans ad materna ubera, ad hoc Sacramentum anhelabat, acquieſcebátque.

Vita. c. 4. XXVIII. S. Catharina Senenſis quoties S. Hoſtiam inter manus Sacerdotis aſpiciebat, moræ impatiens dicebat: O citò, citò illud animæ meæ nutrimentum intima cordis immittere propera. Et cùm ſæpe Miſſâ durante rapta eſſet, ipſo tamen Communionis tempore ad ſe reverſa dixit: O mi Domine, mortua licet forem, ad vitam redirem, ut te frui poſſem.

Bloſius in monil. c. 6. XXIX. S. Melchtildem Chriſtus ſic inſtruxit: quando ad S. Euchariſtiam accedis, illud tibi veri honoris, amoríſque opta, quo nulla unquam creatura erga me fuit. Hoc enim amoris votum mihi ex voto tuo gratum acceptúmque erit.

Ibid. XXX. Cùm S. Gertrudem ingens cupido communicandi inceſſiſſet, & ipſa ſe ad eam minùs diſpoſitam crediſſet, triſtis ad DEI Matrem, Cælitéſque ſe convertit, rogavítque, ut, quidquid in illis olim gratiæ ad promerendos divinos favores fuerat, totum pro ſe DEO offerant, quo modo effecit, ut in oculis DEI talis viſa fuerit, qualis eſſe optabat, uti ipſe Chriſtus ei revelavit.

Vita. c. 4. XXXI. Ferdinandus II. Imperator ante Synaxin percipiendam ſemper ſeveriore abſtinentiâ cœnulam accidit. Ipſo verò Euchariſtiæ ſuſcipiendæ tempore tantum ardorem & pietatem, tot ſuſpiria & lacrymas præſeferebat, ut incenſus DEI amore animus, planè è corpore ſuo Servatori obvius ire velle videretur.

Annua 1589. f. 578. XXXII. Indi poſt acceptum Chriſti corpus, quod ſupereſt, temporis ad horam cibi capiendi uſque, precibus, gratiíſque agendis magnâ reverentiâ in templo ponunt. Multi etiam poſt cibum ſumptum in templum redeunt, manéntque uſque ad veſperam. Dies, quâ primo accedunt ad Euchariſtiam, eſt illis

feſtivâ

Digitized by Google

feſtivâ lætitiâ celebris. Hinc Mater quædam ſuæ filiolæ honorandæ causâ, primò eam nitidiſſimè ornavit. Deinde dum ea communicat, interea domum purgavit, junco (præcipuo illis partibus honore) ornavit, cubiculum ſingulari ornatu inſtruxit, odoribus replevit, redeuntem amplexibus oſculiſque excepit, divinam illi felicitatem gratulata eſt, & in cubiculum deductam luminibus accenſis illuſtre, hortata eſt, ut gratias agat DEO pro tanto beneficio, ideóque clauſo oſtio ipſam ſolum reliquit, arcanis cum DEO colloquiis inſtituendis.

D. Bonav. in vita. c. 9. XXXIII. S. Franciſcus flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis fervore omnium medullarum, ſtupore admirans permaximo illam cariſſimam dignationem, & digniſſimam caritatem. Sæpe communicabat, & tam devotè, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni deguſtationem ſuavem quaſi ſpiritu ebrius, in mentis plurimum rapiebatur exceſſum.

Indigna Communio.

Inſin. l. 3. c. 18. XXXIV. S. Gertrudis poſt ſumptam Communionem revolvens, quantâ diligentiâ os eſſet obſervandum, quod præcipuè inter alia membra eſt receptaculum pretioſorum Chriſti myſteriorum, hac ſimilitudine edocta eſt à Domino: ſi quis non obſervans os ſuum à verbis vanis, falſis, turpibus, detractoriis, & ſimilibus, impœnitens ad Sanctam accedit Communionem, tali modo ſuſcipit Chriſtum (quantùm in ſe eſt) ſicut qui hoſpitem in ipſo ingreſſu lapidibus in ſuperliminari congregatis obrueret, vel vecte duro caput ejus obtunderet.

Bromiar. dus in ſum. prædic. lit. e. c. 6. n. 35. XXXV. Cuidam, qui frequenter corpus Chriſti indignè acceperat, morienti Dæmon cum multis hoſtiis in patena apparens dixit: quia frequenter malè communicâſti, hodie de manu mea Communionem accipies. Infirmo verò renitenti, unam de hoſtiis illis ſuper manum ejus poſuit, quæ ſuo calore manum ſtatim perforavit.

Spec. Ex. d. 1. ex. 77. XXXVI. Cùm quidam luxurioſus Sacerdos indignè ſæpiùs celebraret, tam fœdo ulcere percuſſus eſt in capite, ut etiam oſſa hujus computreſcerent; à quo tamen morbo poſtea liberatus eſt, poſteàquam S. Macario juramentum fecit, ſe nunquam ampliùs in peccato mortali celebraturum.

Ibid. diſt. 1. ex. 164. XXXVII. Alii Euchariſtiam in die Paſchæ chorizationum vanitatibus dehoneſtantes, horribili plaga puniti ſunt, ut loc. cit. fuſiùs videre eſt.

Rodriq. p. 2. c. ult. XXXVIII. Quidam Sacerdos in ſumenda Euchariſtia magnam difficultatem expertus, vidit Chriſtum manibus pedibúſque reluctantem; juſſus ergo mores corrigere, vidit ſine reſiſtentiâ ingredientem.

Cultus Euchariſtiæ.

Faber. in feſto 88. Trin. conſ. 7. n. 2. XXXIX. Rudolphus Comes Habſpurgicus in Imperatorem electus eſt, quòd Euchariſtiam ad moribundum comitatus, equum ſuum Sacerdoti conceſſiſſet.

Spec. Exd. 6. ex. 72. LX. Cùm quidam miles conſuêſſet, quoties Euchariſtiam transferri viderat, genuflectere, & quondam novis veſtibus indutus conſuetudinis retinendæ gratia in lutoſam licet terram deſcendens ſe proſtrâſſet, magno miraculo veſtes ab omni macula ſervatas deprehendit.

Vita. c. 4. XLI. Ferdinandus II. quotannis Chriſto triumphanti, nudo capite, ſolâ floreâ redimitus corollâ, facem dextrâ præferens, famulatus eſt. Quando intrans aut exeuns ex aula occurrit Sacerdos Euchariſtiam ferens, illico curru deſiliebat, & fixis in lutulenta etiam humo genibus DEUM adorabat, & Sacerdotem ad ægrum comitabatur. Turbatis rebus, Euchariſtiam publicè jubebat exponi.

Hiſt. Ser. p. 1. l. 2. n. 27. XLII. Cùm quidam Sacerdos in Italia per campum in quo Aſini paſcebantur, cum Euchariſtia tranſiret, illi ex utroque viæ latere repentè diſcreti procumbentes in genua illum exceperunt, deinde ſecuti exſpectârunt, donec ab ægro recederet, & benedictione impertitâ eos dimitteret.

Annua 1589. f. 836. XLIII. Salſetani in India miro honore SS. Chriſti Corpus proſequuntur, cùm ad ægros defertur; non enim ſolùm cum facibus occurrunt, ſed etiam vias purgant, domum ægri, aliáſque vicinas ramalibus exornant. Cum SS. Euchariſtia in Eccleſia aſſervari cœpta eſt, Chriſtiani aliqui in armis jeuni vigilârunt.

Damrolt. c. 5. tit. 6. n. 2. 3. 4. XLIV. Ovis à S. Franciſco nutrita, cum Fratribus Eccleſiam ingrediens, cùm elevabatur S. Euchariſtia in Miſſa, flexis genibus Creatorem ſuum reverebatur. Idem agnellus S. Coletæ: idem boves, cùm non procul Ingolſtadio Paſtor Euchariſtiæ particulam in baculo ſuo aſſervatam, in terram conjecto poſt boves baculo, projeciſſet, fecerunt.

Ibid. tit. 6. 7. 8. XLV. Cùm Sacerdos quidam pyxidem, in qua Euchariſtiam portabat, amiſiſſet, apes convolantes Sacrariolum ex cere miro artificio illi compoſuerunt. Aliàs Euchariſtiæ à muliere in alveari poſitæ capellulam elegantem exſtruxerunt. Item alia vice eidem Euchariſtiæ à furibus ſub alveare projectæ ſexies de die ſuaviſſimo cantu reverentiam exhibuerunt.

Faber. in feſto 88. Trin. conſ. 7. n. 2. XLVI. Carolus V. in Comitiis Auguſtanis, & Philippus II. aperto capite, faces manibus gerentes Venerabile Sacramentum comitati ſunt; cùmque Philippus moneretur, ut ob ſolis æſtum cavendum caput tegeret, reſpondit: Hodie ſol non urit.

Sacchinus in Borgia l. 2. n. 156. XLVII. Petrus Savedra S. Didaco devotus, ſingulis diebus in ſacello ipſi dicato Sacrum audiens, quoties divina hoſtia attollebatur, audiebat Sacrum cadaver intra loculum commoveri, tanquam ad præſentem Dominum adorandum aſſurgeret, ſimúlque ſuaviſſimum

mum odorem afflari ſentiebat, qui aliquanto tempore permaneret.

Io. Nadaſi in anno hebd. cal. f. 465. XLVIII. Cùm Nicolaus Jaurienſis Epiſcopus S. Mauritio Ord. Prædic. 1336. juſta perſolveret, omnibus cernentibus Sacrum cadaver oculos tum ad hoſtiæ, tum ad calicis elevationem aperuit, & mox mirificâ odoris ſuavitate omnium nares recreavit.

Rho. virt. l. 3. c. 1. §. 6. XLIX. In Civitate Potoſina mos invaluit, ut, Magiſtratus ac Nobilitas omnis, ſi quando circumlatæ divinæ hoſtiæ obviam fiunt, illico arreptis facibus, veluti pueri honorarii Regem Regum comitentur.

Ibid. §. 32. L. Theodoſius II. Brigantinus Dux ſi quando noctu ad ægros deferenda erat Euchariſtia, mox aderat cum lampade, illúdque comitabatur, neque ſuorum quemquam ceſſare patiebatur, monens, tunc maximè id Principem officium pietatis facere par eſſe, quando reliqui per indulgentiam ſomni deficerent.

Bellarm. de Euch. l. 3. LI. Anno 1561. cùm S. Euchariſtia ad ægram ferretur, quidam ovum paſchale in manibus tenens dicebat: Ego citiùs ovum hoc deglutiam, quàm ægra deaſtrum ſuum. Quo dicto mox hæſit ovum in faucibus, &, cùm ſebaceam candelam pro detrudendo illo applicaret, non niſi lychnum extraxit. Jacuit ergo ſupinus, nigerrimus carbo, mutus, deſperatus. Itáque à Parocho redeunte repertus vivere & blaſphemare deſiit.

Per modum viatici ſumpta.

Daur. c. 5. tit. 13. ex. 1. LII. B. Virgini animam agenti Chriſtus ipſe læto vultu corpus ſuum obtulit dicens: accipe chara mater, quod mox complebitur tibi in regno meo unà cum Patre meo.

Ib. ex. 3. LIII. S. Maria Ægyptiaca cùm viaticum illi offerretur, extenſis in cælum manibus dixit: Nunc dimittis, Domine, ancillam tuam in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Ib. ex. 7. LIV. S. Hieronymus Viaticum ſumpturus de lectulo humi ſe proſterni, ſaccóque operiri juſſit; tunc genibus provolutus lacrymas fudit, pectus pugno percuſſit, & ſic ſacram oblationem hauſit.

Ib. ex. 9. LV. S. Lucianus Martyr, cùm aliter ob carcerem & vincula non poſſet, ſuper pectus ſuum ſacrificans, ſibi & aliis viaticum præbuit.

Ib. ex. 17. LVI. S. Nicolaus Tolentinus in ultimo morbo viaticum ſibi miniſtrari petens, hanc facti ſui rationem dedit: ut tanto viatico munitus non deficiam in via ad cæleſtem patriam profecturus: & ſi ob demerita mea improbus Belial hoſtis meus mihi occurrat, paſſim fidenter dicere: Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Tum ſolemni abſolutione perceptâ, viaticum ſumens dixit: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Io. Nadaſ. in anno LVII. S. Auguſtinus moribundus ſic Chriſtum pro viatico oblatum allocutus eſt: Ave principium noſtræ creationis, & reparationis: ave ſacrificium noſtræ reconciliationis: ave antidotum noſtræ curationis: ave viaticum noſtræ peregrinationis; ave ſolatium noſtri laboris: ave refugium noſtræ tribulationis: ave præmium noſtræ exſpectationis. *Euch. hebd. 95.*

LVIII. S. Ebrulphus audiens unum Fratrem ſine viatico obiiſſe, infremuit Spiritu, & orans cum lacrymis interrogavit, utrum vellet Euchariſtiam accipere? aperuit oculos mortuus, & annuit: accepit, & exſpiravit. *Vita 29. Dec.*

LIX. S. Chryſoſtomo migraturo SS. Petrus & Joannes aſſiſtentes amicè collocuti, contra dæmones victoriam, migrationem ad DEUM, lætam æternitatem, læti annunciârunt, & tum cæleſti epulo paverunt; ex quo tempore nihil ampliùs ciborum ſumpſit. *Io. Nadaſ. l. c.*

Communio Spiritualis.

LX. Cùm quidam converſus Monachos communicare vidiſſet, & ſibi hoc minimè licere vidiſſet, ſtans contra altare communicandi deſiderio ſuſpiravit. Et ecce pius Dominus ſine Sacerdotis Miniſterio de altari per Sacramentum deſcendere dignatus eſt in os ejus, qui mox hoſtiam aperto ore oſtendens, cauſam tantæ gratiæ manifeſtans, cunctas in ſtuporem convertit. Eandem enim hoſtiam defuiſſe repererunt in altari. *Daur. c. 9. tit. 18. ex. 1.*

LXI. Cùm S. Catharina Senenſis ob morbum communicare non poſſet, grandi tamen illius deſiderio teneretur, ideóque neſcio Raymundo tunc ſacrificante, Sacro intereſſet, ſubitò ille advertit, minimam hoſtiæ particulam à ſe amiſſam, quam cùm diu fruſtrà quæſiiſſet, & ob hanc cauſam multùm triſtaretur, illa tandem in colloquio mox ſecuto faſſa eſt, ſibi à Chriſto oblatum eſſe. *Ib. ex. 2.*

LXII. Bartholomæus Cajetanus civis cùm ad conſtructionem Eccleſiæ S. Franciſci cooperans, ruente trabe periculum vitæ incurriſſet, ideóque Viaticum peteret, Sacerdos hoc tam citò afferre non valens, illud S. Auguſtini interea pro ſolatio in memoriam revocabat: crede, & manducâſti. Sequenti verò nocte S. Franciſcus cum undecim Fratribus apparens, & agnellum inter ubera portans eidem dixit: Bartholomæe, noli timere, quia non prævalebit inimicus tuus, qui te à meo ſervitio voluit impedire. Hic eſt agnus, quem tibi dari petebas, quem & propter bonum deſiderium ſuſcepiſti, cujus etiam virtute ſanitatem conſequêris. Et ſic per vulnera manum ducens, ad opus, quod cœperat, eum redire juſſit. *Ib. ex. 5.*

LXIII. B. Joanna de Cruce affirmabat, ſe in Spirituali Communione iiſdem gratiis cumulari ſolitam eſſe, quibus in reali Communione fruebatur. Et ſuſpirans, ô præclaram, ajebat, communicandi methodum, in neque Confeſſario, neque Superioris facultate, neque ullius alloquio opus eſt, præterquam tuo, ô DEUS meus! *Barrius. die 10. med. 2. in ſolit.*

Hagiophila intent. 24. LXIV. B. Agatha à Cruce quotidie Communionem Spiritualem ducenties iterabat.

Euchariſtia miniſtrata.

Dawr. c. 5. tit. 21. ex. 21. LXV. Cùm S. Dionyſius Miſſam in carcere celebraret, horâ, quâ panis ille Angelicus frangebatur, Chriſtus cum magno ſplendore apparens hoſtiam illi dedit, dixitque: accipe hoc, clare fili, quod mox complebo tibi unà cum Patre meo, quoniam mecum eſt maxima merces tua, & his, qui audierint te, ſalus in regno meo. Nunc facias fortiter, & memoria tua erit in laude: dilectio autem & benignitas, quam habes ſemper, pro omnibus, pro quibus petierit, impetrabit.

Ibid. ex. 2. LXVI. Cùm S. Honoratus Epiſcopus Ambianenſis celebrans, Sacram hoſtiam manibus contingere vereretur, Chriſti imago ibi depicta, manu hoſtiam arripuit, eique porrexit; à quo tempore is ab omni inquinamento carnis illæſus permanſit.

Ibid. ex. 4. LXVII. S. Onuphrio Angelus per 30. annos ſingulis diebus Dominicis Sacram Euchariſtiam attulit, cujus virtute omnes Diaboli inſidias, quas plurimas pertulerat, fortiter ſuperavit.

Ibid. ex. 9. & Ribad. 21. Dec. LXVIII. Joannes Patriarcha Indorum anno 1120. narravit Calliſto Romano Pontifici, S. Thomam Apoſtolum omni anno communicare populum ſuâ manu, ſed dignis tantùm S. hoſtiam porrigere, non autem indignis.

§. VI.

EXEMPLA DOMBSTICA.

Ribad. in vita l. 5. c. 1. & 10. I. S. Ignatius tanto erga Euchariſtiam amore & reverentia ferebatur, ut inter ſacrificandum quaſi diffluere videretur. Ajebat, ex frequenti communione illum eſſe fructum eximium, quòd dignè communicans ita virtute S. Sacramenti confirmetur, ut vel in peccatum grave non labatur, vel brevi certè reſurgat.

Vita, l. 6. c. 6. II. S. Franciſcus Xaverius tanto ferebatur in S. Euchariſtiam affectu, ut, ubi poterat, quæreret cubiculum templo propinquum. Obſervatum eſt Malacæ, eum ferè in ſacrario, quaſi alterum Samuelem, pernoctare, humique cubare ſolitum, indeque in templum digreſſum, ante S. Euchariſtiam majorem noctis partem flexis genibus inter preces tranſegiſſe. Proprium illi erat, quando commodè id fieri poterat, Euchariſtiam ſubmiſſis genibus miniſtrare populo.

Hiſt. Soc. p. 3. l. 8. n. 149. III. De S. Franciſco Borgia ſic loquitur Sacchinus: ultra omnem vim eloquentiæ eſt, adverſùs præſentem in ſacroſancta Euchariſtia Dominum quantâ pietate ferretur, quámque ſanctis & dulcibus afficeretur motibus. Ubicunque degeret, ſecretam ſibi curabat cellam ad aræ maximæ latus. In eum velut portum, quàm licebat creberrimè, ab negotiorum æſtu recipiebat ſeſe: ibi ante DEUM ſuum effundebat cor ſuum: ibi divinitatis commercio & dulcedine fruebatur, beatæ vitæ prægustans ſuavitatem. Septies minimùm die quovis ſolebat inviſere. In ſingulis ſalutationibus, ſub Sancti cujuſpiam ductu quaſi admiſſionali Patrono adibat, & dona quædam propria pro temporum varietate, variè depoſcebat. Quoties pedem in templum inferebat, ſagaciſſimè ſtatim ſentiebat, quo loco SS. Sacramentum aſſervabatur; nec unquam fallebatur, etiamſi lampades ac cætera argumenta fallerent. Lectulo affixus, rem divinam quotidie audiebat, panéque cæleſti fruebatur. *Vita l. 5. c. 16.* Tanto autem hujus cibi deſiderio capiebatur, ut nemo unquam gulæ deditus, magis ejus cupedias deſiderare videretur. Hinc ipſo *Lib. 4. c. 4.* etiam Paraſceves & Sabbati S. die officium canebat, ne illo bono careret. Eboræ graviter ægrotans, & lethargo captus, evigilare per vim, medicorum juſſu, cogebatur; at allatâ Euchariſtia mox experrectus, agilis alacérque apparuit.

Vita. l. 2. c. 2. IV. B. Aloyſius tribus diebus prioribus hebdomadæ gratias agebat pro ſuſcepta Euchariſtia; poſterioribus petebat gratiam, ut dignè ſuſciperet. Pridie diei communionis id unum myſterium in ejus ſermoniverſabatur: cum hac cogitatione ibat cubitum, & ſurgebat. Unâ dein horâ de SS. Euchariſtia meditabatur, & totum matutinum tempus in ſpiritualibus exercitiis inſumebat. Antè, quàm ad Scholam accederet, &, cùm reverteretur, ſemper SS. Euchariſtiam viſitabat. Optabat in ejus octava mori, ídque evenit.

Vita hiſt. Soc. p. 3. l. 4. n. 59. V. B. Stanislaus in Dilingano itinere ubertim flebat, ſe divini hujus Epuli cupidum ſpe dulciſſimâ excidiſſe, quando Catholicum, ut rebatur, templum ingreſſus Acatholicum reperit; at exemit famem Angelus, quando feſſo itineris difficultatibus, & præ deſiderio lacrymanti Co-Angelo ſuo panem Angelicum porrexit. Sed & Viennæ cùm occaſione fumendæ Euchariſtiæ deſtitutus ad S. Barbaram confugeret, illa cum duobus Angelis Euchariſtiam ei porrigentibus apparuit.

Annua. 1610. VI. P. Thomas Sanchez SS. Euchariſtiam quinquies quotidie viſitabat; die Jovis (quem ſingulariter hanc ob cauſam venerabatur) octies, quo die etiam diſciplinam fecit, cilicium geſtavit, totóque penè die de illa cogitabat. Si tentabatur, ſolùm hæc verba dicebat: JESUS crucifixus, SS. Sacramentum, Beatiſſima Virgo: & ſtatim omni tentatione liberatus eſt. Et accidit aliquando, ut jumento inſidens cum mulo perterrito in præcipitium toto impetu ferretur, ſed prolatis his verbis mulus repentè in medio curſu ſubſtitit.

Hiſt. Soc. p. 5. l. 3. n. 178. VII. P. Antonius Cordubenſis ſive domi, ſive in templo verba faciebat, ante Sacramentum perſeverebat abjectus in genua, ex eóque accipiebat oracula, ad eam incendebat fornacem, quæ ad concionem ferret. Unde fiebat, ut potiùs tela, quàm verba mitteret, quæ in Auditorum corda intimè ſe pene-

netrantia tenaciter adhæreſcerent, & ſuum illic exequerentur opus. Ajunt inſtar cæleſtium Seraphin viſum.

Vita p. 2. pag. 155. VIII. Joannes Betchman in Novitiatu quotidie ſepties SS. Euchariſtiam viſitabat; dum verò è templo diſcedebat, B.B. Aloyſium & Stanislaum Vicarios ſibi ſubſtituebat. Incredibili ſe diligentia ad S. Communionem præpabat, dicens, ſe ex illa ſemper experiri novum quoddam Spiritus ſtabilimentum; cùm verò per hebdomadem abſtinuiſſet, affici quâdam fame, quam ſolo hoc epulo expleret. Adorabat S. Euchariſtiam abalienato ferè à ſenſibus animo. Quotidie orabat pro impetrando affectu erga Euchariſtiam.

Vita l. 2. c. 3. IX. P. Petrus Faber ſic incitabatur admiratione pietatis, ut cuperet, ubicunque terrarum hoc diviniſſimum Sacramentum aſſervaretur, poſſe præſens adeſſe venerabundus, nec inde recedere. In peragrandis terris cùm in conſpectum urbs aut opidum veniret, inprimis Dominum venerabatur, qui in templis eorum maneret. Cupiebat perfectum aliquod templum cogitatione ſibi effingere, in quo ſuus animus dies ac noctes habitaret, quod nunquam exiret: ubi crux eſſet, & B. Virginis, & Sanctorum imagines, ſancta aqua & reliquiæ Sacræ, ſed ante omnia diviniſſimum Chriſti corpus, quæ cuncta aſſiduè ipſe ſpectaret, & circumferret ſecum, debitáque gratiarum actione & cultu, prout cuique rei conveniret, proſequeretur. Patronum ad præparationem pro Euchariſtia ſuſcipienda exiſtimabat idoneum S. Joannem Baptiſtam, ut cujus Officium ſit, viam Domino præparare.

Vita c. 11. n. 57. & 58. X. P. Leonardus Leſſius etſi graviſſimis calculi aliíſque doloribus cruciatus, non omittebat tamen frequentius Euchariſtiam non ſine grandi moleſtia viſitare, dicens, non admodum ſe habere, quod de doloribus quæreretur, quamdiu cæleſte illud epulum ſibi relinqueretur.

Vita c. 6. XI. P. Balthaſar Alvarez dicere ſolebat, cur multi recuſent accipere arcam vivam novi teſtamenti in SS. Sacramento latentem, aut eam recipiant cum exiguo ſenſu ac fructu, cauſam eſſe, quòd velint in altari cordis ſui idolum Dagon, id eſt, creaturam, quam inordinatè diligunt, retinere, quæ niſi in terram cadat, & mortificationis gladio ita ejus manus ac caput amputent, ut ampliùs non audeat cogitare, loqui ac facere, quòd ſolebat, non efficiet in tali corde divina hæc arca ſtupenda miſericordiæ ſuæ opera, ſed juſtitiæ, puniendo illos magnâ ariditate, tenebris, cordis duritiâ, aliíſque internis, deſertionibus, donec verè ſe emendent, aut indurati arcam à ſe rejiciant, judicantes eſſe grave & planè inſulſum frequenter communicare.

Hiſt. Soc. p. 2. l. 2. n. 33. XII Conimbricæ Fratres noſtri tanto ardore, tantáque lacrymarum vi communicare ſolebant, ut ad id pietatis ſpectaculum non modico itinere plures Academici concurrerent.

XIII. S. Tereſia in quodam templo Societatis noſtræ cùm videret Fratres noſtros communicantes, vidit protenſam veſtem ſeu umbellam ſupra caput illorum; *Gloria S. Ign. c. 19.*

XIV. Michaël Sartre Coadjutor aliquot ſubinde milliaria ad ſumendam Euchariſtiam conficiebat. Semel in via propter longitudinem deficiens, retrò converſus vidit panem candidiſſimum, quo ſumpto ſe refecit, & perrexit. *Ann. 1598. Coll. Aven.*

XV. Jacobi Fernandez unica voluptas erat, feſtis diebus à manè uſque ad meridiem Sacris miniſtrare. Et notabant guſtum quendam & animi ſenſum in hoc obſequio etiam externi homines, templum frequentare ſoliti, ut vel hoc ſolo nomine hominem uti ſanctum quendam venerarentur. *Ann. 1608. Coll. Mon. f. 881.*

§. VII.

SIMILITUDINES.

Veritas Euchariſtiæ

I. Sicut idem ſol eſt modò, qui fuit à principio: & una vox in in auribus plurium auditur; ita mirum non eſt, quòd idem Chriſtus nobis detur, qui primis Chriſtianis datus eſt. Et quòd in pluribus hoſtiis & locis reperiatur. *Bromiar. in ſumma. V. Euch. n. 3.*

II. Sicut fracto ſpeculo in plures partes non frangitur faciei ſimilitudo, quæ in eo relucet, ſed in quâlibet particulâ integra perſeverat; ita fractâ hoſtiâ DEI Filius, qui eſt imago Patris, non frangitur, ſed integer manet ſub quâvis particulâ. *Ibid. n. 6.*

Utilitas.

III. Sicut ſanguis agni Paſchalis fronti ædium præfixus, eas ab Angelo exterminatore præſervabat; ita Dæmones cùm ſanguinem Dominicum in nobis vident, in fugam vertuntur. *S. Chryſ. hom. 45. in Ioan.*

IV. Sicut guſtato melle caligo ab oculis Jonathæ evanuit; ita guſtato corpore Chriſti cæcitas mentis ab anima tollitur. *Beirl. in prompt. fol. 11.*

V. Sicut ſi quis ceræ liquefactæ aliam infuderit, alteram cum altera permiſceat, neceſſe eſt; ſic qui carnem & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur. *S. Cyrillus apud Beirl. l. c.*

VI. Sicut ignis ſenſibilis ea, quibus inſederit, in ſuum traducit officium, omnibúſque quomodolibet ſibi propinquantibus ſui conſortium tradit; ita Dominus noſter & DEUS, qui eſt ignis conſumens, nos per cibum hunc Sacratiſſimum in ſui traducit effigiem, & DEIformes efficit. *S. Dionyſ. de cal. Hier.*

Neceſſitas.

Pædag. Chriſt. p. 2. c. 16. §. 1.

VII. Sicut ſine cibo corpus diu vivere non poteſt, quia, cùm humidum radicale, vitæ noſtræ fons, ſenſim ab inſito calore conſumatur, per alimentum reſtaurari debet; ita niſi divinæ gratiæ, quæ ſola animæ vita eſt, humor nutrimento cæleſtis panis foveatur, neceſſe eſt, ut concupiſcentiæ ardoribus quàm citiſſimè pereat.

Jo. 15.

VIII. Sicut palmes non poteſt ferre fructum, niſi in vite maneat; ita anima, niſi Chriſto in Euchariſtia uniatur, ſterilis & arida permanebit.

Jucunditas.

IX. Sicut Hebræi, qui Manna guſtaverunt, omne guſtûs delectamentum in eo repererunt; ita anima cæleſti hoc Manna refecta, quid ad delectationem ſuam requirere poteſt, copioſè invenit, uti Eccleſia indicat, dum ei accommodat verba illa: Panem de cælo præſtitiſti eis, omne delectamentũ in ſe habentem.

Eccl. in officio Corp. Chriſti.

Vita.

X. Sicut S. Franciſcus Seraphicus, B. Stanislaus Koſtka, & alii, ingentem animi conſolationem perceperunt, dum Chriſtum infantulum in ulnas ſuas à ſanctiſſima DEI Matre acceperunt; ita non poterit non cæleſtibus gaudiis & deliciis affluere, qui eundem DEI Filium à Patre cæleſti non tantùm, ut in ulnas acciperet, ſed etiam mentè uniret, datam credit, & meminit.

Diſpoſitio ad Euchariſtiam ſumendam.

Nierenb. in lib. de adorat. in ſpiritu & veritate.

XI. Sicut ſi pauperi diceretur, aperto regio theſauro, dari ei facultatem tantum pecuniarum inde auferendi, quantum ſaccus ab eo allatus caperet, haud dubiè ſaccum capaciſſimum afferre ſtuderet; ita cùm Chriſtus in Euchariſtia tantùm gratiæ promittat, quantùm diſpoſitionis attulerimus, æquiſſimum ſanè eſt, ut maximam & gratiæ DEI capaciſſimam diſpoſitionem afferamus.

S. Cath. Senenſ. c. 10. Dialog.

XII. Sicut ſi plures candelam accendant, omnes quidem lucem, calorem, & colorem accipiunt, ſed plus ille, qui majorem habuit cereum; ita in Euchariſtiæ perceptione omnes quidem accipiunt gratiam, ſed plus, qui magis eſt diſpoſitus & capax.

S. Chryſ. hom. 5. ſup. Matth.

XIII. Sicut corporalis cibus cùm ventrem invenerit malignis humoribus occupatum, ampliùs lædit, & nullum præſtat auxilium; ita & iſte Spiritualis cibus ſi aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, quàm proderit, non naturâ ſuâ, ſed accipientis vitio; hinc Eccleſia canit: mors eſt malis, vita bonis; vide, paris ſumptionis, quàm ſit diſpar exitus.

Pædag. Chriſt. p. 2. c. 16. §. 3.

XIV. Sicut ignis fortiùs ac citiùs in ligno ſicco, quàm viridi exardeſcit; ſic Chriſtus in Euchariſtia citiùs & copioſius amore ſuo incendit eum, qui à terrenis cupiditatibus exiccatus eſt, quàm quem iiſdem adhuc repletum invenit.

Reyrl. in feſto Corp. Chriſti. them. 2. f. 24.

XV. Sicut Arca teſtamenti per terras Philiſtiim tranſiens, magnam illis cladem attulit, Iſraëlitas autem ab interitu vindicavit; ita Arca divina Euchariſtiæ peccatoribus fatalis eſt, ſi per eos tranſeat; juſtis autem ſalutem affert.

Vita P. Balth. Alv. c. 6. §. 1.

XVI. Sicut ſol atque ignis lutum indurat, ceram liquefacit; ita Euchariſtia à peccatoribus accepta ampliùs eos indurat, juſtos verò amore divino liqueſcere facit.

Bromiardus V. Euchar. n. 8.

XVII. Sicut ſol ſuper fimetum lucente, ipſum ampliùs fœtet, ſole ipſo nec fœtente, nec aliud damnum patiente; ita Chriſtus peccatorem ipſum ſumentem magis fœtere facit, nec tamen propterea ipſe inquinatur.

§. VIII.

M O T I V A.

I. FRequenter & Dignè ſuſcipienda Euchariſtia, propter Chriſti mandatum (hoc facite in meam commemorationem) deſiderium (deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum) & gaudium (nam deliciæ ejus ſunt, eſſe cum filiis hominum.

II. Quia ut verus panis vitam Spiritualem conſervat; ſi enim quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et hic affectus attribui poteſt Corpori Chriſti.

III. Quia creſcere & pingueſcere facit in Spiritu, juxta teſtimonium S. Auguſtini, cui dictum à Chriſto: Cibus ſum grandium. Creſce, & manducabis me; & non mutabis me in te, ſed tu mutaberis in me. Et hic effectus animæ Chriſti, cujus officium eſt nutrire, convenit.

IV. Quia robur tribuit contra hoſtes, juxta illud Davidis: Paráſti menſam in conſpectu meo adverſus eos, qui tribulant me.

V. Quia ſingularem animo delectationem affert, juxta teſtimonium Eccleſiæ in officio Corporis Chriſti canentis: O quàm ſuavis eſt Domine Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cælo præſtito, eſurientes reples bonis, faſtidioſos divites dimittens inanes. Et hic effectus divinitati rectè tribuitur, quæ eſt fons omnis ſuavitatis & dulcedinis.

VI. Quia mirè conducit ad mentem illuſtrandam, & ſapientiam cæleſtem acquirendam; uti expertus eſt S. Edmundus, poſt acceptam Euchariſtiam altiſſimè de SS. Trinitate diſputans. Et hic effectus ſanguini Chriſti (ex quo Spiritus animales tantopere ad intelligengendum neceſſarii hauriuntur) adſcribi poteſt.

VII. Quia optimum & efficaciſſimum eſt medium ad progreſſum in perfectionis ſtudio faciendum; ut olim Elias in fortitudine

panis

panis ab Angelo dati quadraginta diebus celerrimè cucurrit uſque ad montem DEI. Et hic effectus toti Sacramento attribuendus eſt.

VIII. Quia mirum in agone ultimo ſolatium affert, utpote pignus gloriæ, de quo Eccleſia canit: O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Et hic effectus Euchariſtiæ ut viatico convenit.

IX. Quia ipſi Patri æterno ſummè placet, filios huic menſæ ſpirituali aſſiſtentes videre, juxta illud Davidis pſ. 127. Filij tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ.

§. IX.

MEDIA.

Ad amorem & cultum Euchariſtiæ excitandum.

I. M*Agna æſtimatio*, quæ obtinebitur, ſi bene ponderentur tres admirandæ qualitates, quæ nobis illam amabilem & ſummè æſtimabilem efficiunt. Nimirum 1. Quòd ſit ex amore tota compoſita, &, ut S. Thomas vocat, Sacramentum amoris, vel juxta S. Bernardum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum; vel ut alij, mamilla DEI Patris. 2. Quòd ſit tota admirabilis, tum propter plurima miracula, quæ in ea conficienda interveniunt; tum ob Deificationem carnis noſtræ; tum ob epitomen & Anacephalæoſin omnium beneficiorum à DEO in nos collatorum, omniúmque admirandorum, juxta illud Davidis: Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus.

II. Quòd ſit Paradiſus terreſtris; ſi enim eſſe cum JESU per amorem eſt dulcis paradiſus, teſte Thoma Kempenſi, quantò magis hæc gratia illi concedetur, qui per realem quodammodo unionem Chriſto unitur, uti fit in hoc Sacramento.

III. *Frequens viſitatio & converſatio* per orationem coram ven. Sacramento inſtitutam; per talem enim converſationem cognoſcitur magis ejus amabilitas, & amor infinitus, animáque viciſſim ad amorem mutuum incitatur. Hinc S. Catharina Senenſis intuens S. hoſtiam, videbatur ſibi intueri fornacem ardentem ad inflammandos omnes, qui propiùs acceſſiſſent idoneam. Expertus id eſt F. Cherubinus ordinis S. Franciſci, qui in concionibus non niſi ignem ſpirare videbatur, eò quòd coram SS. Sacramento ſuos affectus conceperit. Hinc ſexaginta ſex millia animarum ab eo converſarum in morte illi adfuerunt, & ad cælum duxerunt.

IV. *Crebra & digna realis ſumptio*; ut enim per amplexum & conjunctionem carnalem amor carnalis maximè demonſtratur, & demonſtratur, & augetur; ita per unionem, quæ fit inter animam & Chriſtum in hoc SS. Sacramento, tantò magis creſcit amor ſpiritualis & Euchariſticus, quantò firmior & intimior & ſapidior eſt dicta unio, quàm carnalis.

V. *Sæpius iterata ſpiritualis communio*; cùm enim, teſte Concilio Tridentino, illi, qui voto cæleſtem panem edentes, fide vivâ, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & utilitatem ſentiant, meritò tantò efficacius hæc communio medium ad augendum amorem erga S. Euchariſtiam cenſendum eſt, quantò frequentiùs ea per diem iterari poteſt. Hinc S. Gertrudis tali modo communicans, lateri JESU admota audivit: Bibe nunc de corde meo ſpiritualiter ſuaviſſimæ divinitatis meæ efficacem influxum. Certè B. Agatha à Cruce hujus fructus conſcia & cupida quotidie ducenties hanc communionem ſpiritualem iterabat.

Seſſ. 13. c. 8.
Lib. 4. inſin. c. 13.
Hagioph. intent. 24.

VI. *Frequens de hoc SS. Sacramento ſermocinatio*; ſic Braſili docuerunt, qui die ſumptionem Euchariſtiæ præcedente non niſi de illo miſcuêre colloquia, uti in vita P. Anchietæ legitur. Hic ſanè vel maximè impletur illud Eccleſiaſtici: lingua Eucharis in homine bono abundat. Et: ex abundantia cordis os loquitur.

Eccl. c. 6.

VII. *Feſtorum aut dierum ab Eccleſia huic cultui deſtinatorum peculiaris obſervatio*; ſi enim, qui amant, natalem amati diem ſingulari feſtivitate lætitiáque celebrant; quantò magis natalem Euchariſtiæ diem, uti Ludolphus vocat feriam quintam, peculiari devotione celebrari convenit ab ijs, qui creſcere in illius amore cupiunt.

VIII. *Reverentia ſingularis Sacerdotibus exhibita*; hæc enim quantò major fuerit, tantò magis creſcet æſtimatio, & per conſequens etiam amor Sacramenti. Certè S. Franciſcus dicere auſus eſt, ſe, ſi Sanctus aliquis de cælo & pauperculus Sacerdos ſimul obviarent, ad manus Sacerdotis exoſculandas priùs accurſurum, eò quòd verbum vitæ illæ contrectent, & ultra humanum aliquid poſſideant. Imò Juniperus ejus diſcipulus nunquam ſacerdotes, niſi flexis genibus allocutus eſt, ſciens nimirum, quod S. Ignatius M. dixit, ſacerdotium eſſe omnium bonorum, quæ in hominibus ſunt, apicem.

Martyr. Franc. 4. Oct.
Ib. 7. Dec.

Ad eandem dignè ſumendam.

IX. *Ardens deſiderium*; ita enim Chriſtus ipſe indicavit, dum dixit Apoſtolis: deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum. Et hoc nimirum videtur præfiguratum per cœnaculum amplum, quod parari juſſit ad hoc SS. Sacramentum inſtituendum. Nam, ut rectè S. Auguſtinus dixit, deſiderando capax efficeris, ut implearis.

X. *Evacuatio ſui*; ita iterum Chriſtus S. Gertrudem docuit, dum illi dicenti: quali dignitate obviabo tibi, cùm tam largifluus dignaris venire ad me? reſpondit: nihil aliud ſequiro à te, quàm quòd evacuata venias ad

Lib. 4. inſin. c. 6.

recipiendum, quia omne, quod mihi placuerit in te, hoc per donum meum totum accipies.

Apoc. 2. v. 17. XI. *Generoſa victoria*, juxta illud S. Joannis: vincenti dabo manna abſconditum. Debet autẽ triplex eſſe hæc victoria juxta Ludovicum de Ponte. *to. 1. de perf. tr. 4. c. 7.* 1. Contra peccata tam venialia, quàm mortalia, ut ea deleantur per pœnitentiam. 2. Contra inordinatas paſſiones ad voluptates & delicias quinque ſenſuum propendentes; nec enim priùs Iſraëlitæ manna guſtabant, quàm farina, quam ex Ægypto ſecum exportaverant, defecit. 3. Contra cordis diſtractiones & vagationes, quæ adumbratæ olim ſunt per Ægyptios, qui ſequebantur Iſraëlitas, eóſque à cultu divino impedire volebant.

Rodriq. p. 2. tr. 7. c. 12. XII. *Immaculatæ vitæ ſtudium*; quam quidem Chriſtus diſpoſitionem per pedum lotionem indicavit, DEUS verò per Arcæ pro manna deputatæ interiorem conſtitutionem, dum totam auream eſſe voluit, indicavit. Et ſanè qui hoc medium adhibet, gratiſſimam DEO diſpoſitionem attuliſſe cenſeri, dicerėque cum Davide poteſt: Totis viribus præparavi impenſas domûs Domini, non enim homini præparatur habitatio, ſed DEO.

Bloſius in monil. Spir. c. 6. XIII. *Imploratio Sanctorum ad ſupplendam per merita ſua indignitatem ſuſcipientis*; ita Chriſtus S. Mechtildem docuit dicens: Quando ſacram communionem perceptura es, deſidera, & opta ad laudem nominis mei, habere omne deſiderium, omnémque amorem, quò unquam cor aliquod erga me flagravit, & ita ad me accede; nam ego amorem illum in te attendam atque ſuſcipiam, non ſicut in te eſt, ſed ſicut velles eum in te eſſe.

XIV. *Effuſionis poſt communionem vitandæ ſtudium*; ita Thomas Kemp. indicavit, dum *Lib. 4. c.* dixit: oportet, ut non ſolùm te præpares ad devotionem ante communionem, ſed ut etiam te ſollicitè conſerves in ea poſt Sacramenti perceptionem. Nam bona poſtmodum cuſtodia iterum eſt præparatio ad majorem gratiam conſequendam. Hinc virginem non vulgari *Rodriq. p. 2 tr 7. c.* ſanctitate præditam dicere ſolitam accepimus; Quo die communico, omni cuſtodia ſervo cor meum, Chriſtum quaſi ibi quieſcentem cogitans, omnes exterioris modeſtiæ, quà in verbis, quà in viſu, quà in inceſſu numeros obeo, ut, qui digito ori ſilentium innuit, necunde dormiens quiſpiam obturbetur.

XV. *Mortificatio & caſtigatio carnis*; id quod Servator forte indicare voluit, dum aſino (per quem multi Sancti corpus ſuum intellexerunt,) inſidens, in Jeroſolymitanam civitatem (per quam anima DEUM videndi & fruendi cupida intelligi poteſt,) introductus eſt. Pulchrè etiam id ipſum docuit Hugo de S. Victore, dum tria eſſe ſacrificiorum genera dicit. Unum Dominici corporis: alterum contriti cordis: tertium mortificatæ carnis; atque adeò oportere præcedere ſacrificium humilitatis in mente, afflictionis in carne, ut habeatur devotio in Dominici corporis conſecratione.

§. X.

ASCETICA.

ETſi plurima, & quaſi infinita ſint, quæ circa hoc Sacramentum conſiderari poſſunt, cùm in eo fecerit memoriam mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, ſpecialiter tamen ſequentia obſervare debet Aſceta, ut ſe & alios bene dirigere poſſit ad optatum fructum ex hoc S. Sacramento referendum.

I. Benè perpendat finem, ob quem inſtitutum eſt, qui quidem triplex eſt potiſſimùm ab Eccleſia his verbis indicatus: O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ pignus datur. Primus ergo finis eſt, ut eſſet memoriale paſſionis, & infiniti amoris per paſſionem oſtenſi; quam ob cauſam per modum Sacrificij inſtituit, & ipſi Eccleſiæ inſpiravit, ut in eo offerendo tales potiſſimùm cæremonias eligeret, quæ ad cruentum ſacrificium in Cruce oblatum vel maximè eſſent accommodatæ. Hinc ſicut olim Thales Mandrayto Prienenſi, quem nova *Drexel. in Roſis p. 2. c. 7. §. 5.* quædam de cælo & ſideribus docuerat, pecuniam quantam vellet, offerenti reſpondit, ſe non aliud petere præmium, quàm ut Thaleſem non celet authorem, cùm horum inciderit mentio; ita Chriſtus pro hoc beneficio non aliam magis exigit gratiarum actionem, quàm ut, quotieſcunque hoc fecerimus, faciamus in ejus commemorationem. Secundus eſt, ut eſſet fons gratiæ & conſolationis, ad quem in omnibus noſtris neceſſitatibus recurreremus; hinc per modum convivij inſtituit, cujus principale officium eſt, nutrire, augere, & delectare. Tertius eſt, ut ſit pignus futuræ gloriæ: hinc Deitatem ſuam etiam & ſubſiſtentiam corpori ſuo unitam dare voluit, ut, quò præſtantius foret pignus, tantò firmiorem ſpem conciperemus promiſſæ gloriæ offerendæ.

II. Bene perpendat, in quo conſiſtat verus & ſolidus cultus Euchariſtiæ, quem Chriſtus à nobis in grati animi ſignum requirit, nimirum in ſequentibus tribus officijs. 1. *In crebra viſitatione*: ut ſcilicet, ſicut ipſe per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitavit nos oriens ex alto, faſſúſque eſt delicias ſuas eſſe cum filijs hominum; ita nos quoque viciſſim ipſum frequenter in hoc ſanctiſſimo Sacramento latentem viſitaremus, noſtráſque cum ipſo delicias eſſe oſtenderemus. 2. *In digna ſumptione*: hanc quippe potiſſimùm intendit, dum ſanctiſſimum corpus & ſanguinem obtulit nobis, ut non moreremur, ſed viveremus in æternum, cæleſti hoc epulo recreati. 3. *In Zeloſa invitatione & diſtributione hujus Sacramenti*: ut ſcilicet buccellam noſtram non comederemus ſoli, ſed potius clamaremus ad proximos noſtros: Venite, & emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac. Comedite Bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.

III. Bene

Digitized by Google

1. Cor. 11. III. Bene perpendat, quæ ad dignam ſumptionem hujus SS. Sacramenti pertineant, ſcilicet probatio ſui (juxta illud S. Pauli: probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.) Hæc autem probatio in quatuor potiſſimùm capitibus conſiſtit, teſte Caniſio. *Cap. 4. de Euchar. §. 10.* 1. *In fide viva*, quâ firmiter & ſimpliciter credatur, quidquid DEUS de hoc myſterio auguſtiſſimo per Eccleſiam revelavit. 2. *In ſeria pœnitentia* per peccatorum confeſſionem coram Sacerdote factam; nam, ut rectè S. Auguſtinus advertit, in Chriſti corpore vita noſtra conſiſtit; mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. 3. *In mentis attentione*: ut ſcilicet animus præſens accedat, & per meditationes & precationes pias ad hoc tantum Sacramentum ſeriò ſe convertat; nam, ut S. Chryſoſtomus monet, adſtat menſa regia, adſtant Angeli menſæ hujus miniſtri, & tu oſcitabundus adſtas? 4. In decenti habitu & compoſitione, ut ſcilicet, nemo niſi caſtus, jejunus, modeſtus, ſupplex, minimèque ſordidus accedat. Si enim Pericles interrogatus, cur longè cultior, quàm aliàs ſoleret, ad nuptias accederet? reſpondit: in gratiam ſponſi, ut pulcher ad pulchrum veniam; quantò magis in gratiam tanti Hoſpitis ſimilis præparatio adhibenda eſt ab eo, qui ad ejus convivium accedit.

IV. Bene perpendat, quæ ad communionem ſpiritualem dignè & fructuosè peragendam requiruntur, nimirum. 1. Ut ſciatur, quid ſit; nempe incenſum quoddam deſiderium ſacramentaliter communicandi; hoc modo enim impletur, quod DEUS per Davidem *Pſalm. 118.* dixit: Dilata os tuum, & implebo illud. 2. Ut ſciatur, quòd, qui panem hunc fide vivâ *Seſſ. 3. c. 8.* per dilectionem operante comedunt, fructum ejus & utilitatem conſequantur, uti Concilium Tridentinum dixit. Certè non defuerunt, qui expertos ſe faſſi ſunt, non minorem fructum ex hac, quàm reali communione ſe percepiſſe. 3. Ut privilegia hujus communionis bene intelligantur, quòd ſcilicet oculos aliorum fugiat, atque adeò vanæ gloriæ non ſit expoſita: quódque ſingulis diebus, imò ſæpiùs eodem die iterari queat.

V. Bene perpendat cauſas, ob quas ex frequentiori communione minùs proficitur, ut prudenter occurre poſſit. Sunt autem quatuor *Faber in fer. 2. Paſch. 10. 2.* potiſſimùm ejuſmodi cauſæ. 1. *defectus intentionis*, quia ſcilicet tantùm ex conſuetudine peragitur hæc communio, aut certè ex timore. 2. *defectus legitimæ diſpoſitionis*: quia ſcilicet vel conſcientia non eſt ſufficienter purgata à peccatis, vel certè terrenis cupiditatibus eſt infecta. 3. *defectus devotionis in ipſa ſumptione*: eò quòd ad hanc menſam non aliter ferè, quàm ad corporalem cœnam accedatur. Qui cibum non præmanſum deglutit, parùm aut nihil guſtûs percipit: pari modo neque Euchariſtiæ fructum dulcedinémque percipiet, qui non attenta conſideratione ſummi doni ac beneficij ſe ad devotionem excitare ſtudet. 4. eſt *defectus collectionis* poſt communionem; quid enim prodeſt, potionem medicam ſumpſiſſe, ſi cauſa morborum non tollatur? quid prodeſt hypocauſtum vel balneum calefieri, ſi mox apertis undique januis calor inde exulet? quid juvat unguentum pretioſum infundere in vas fractum, unde ſtatim iterum profluat? Talibus ergo ſequentes veritates ponderandas Cornelius à Lapide offert. *In Zach. c. 9.* 1. Infirmus, Domine, qui tecum non exhilaratur, valde propè eſt, ut cadat. 2. Anima, quæ tecum non exultat, unde potent exultare? 3. Qui tecum, Domine, non eſt contentus, quomodo non crepat. 4. Qui, dum te Hoſpitem habet, properat, ut domo exeat, facilè oſtendit, ſe cor habere alibi obſtrictum. 5. Cui tecum manere tædium eſt, neſcit, quòd tu ſis DEUS, & totum bonum ejus. 6. Qui tecum non manet libenter, oſtendit, ſe phreneſi laborare, cùm hujus rei cauſa natus ſit.

VI. Bene perpendat tentationes & dubia circa communionem occurrere ſolita, quæ ad tres ſpecies revocari poſſunt. 1. *Eſt circa fides difficultatem*: ob quam pluribus contigit, quod Ariſtoteli, qui, quia Euripi fluxum comprehendere voluit, nec valuit, ſeipſum in illum præcipitavit. Contra hanc tentationem op- *Vit. l. 4. c. 23.* timum remedium, piam & diligentem ipſius myſterij frequentationem, S. Franciſcus Xa- *Imit. l. 4. c. 18.* verius cenſuit. Id quod etiam Thomas Kemp. judicavit, dum dixit: Fides à te exigitur, & ſincera vita, non altitudo intellectûs, neque profúnditas myſteriorum DEI. Perge ergo cum ſimplici & indubitata fide, ac reverentia ad Sacramentum accedere, & quidquid intelligere non vales, DEO omnipotenti ſecurè committe. 2. *Eſt circa frequentiam communionis*; quam aliqui frequenter peragere horrent ob indignitatem; alij nimis tarò concedi queruntur ob deſiderium. Qua quidem in re optimum erit conſilium, quod S. Ignatius S. Franciſco Borgiæ de hac re eum conſulenti dedit, nimirum non eſſe unâ amuſſi omnia ingenia metienda: alijs rariùs, alijs frequentiùs ad divinam menſam accedere, utile videri. Suadere itaque & hortari, prudentem aliquem, piúmque virum è multis eligeret, cujus potiſſimùm conſilio in ſtudio pietatis uteretur. 3. *Eſt circa diſpoſitionem debitam afferendam*, maximè à conjugatis, quâ in re bene notandum eſt conſilium S. Franciſci Saleſij his verbis declaratum: *Introduct. p. 2. c. 20.* Si ſatis prudens ſis, tibi nec Mater, nec Uxor, nec Maritus, nec Pater impedimento erunt, quò minùs ſæpe ſacram Communionem obeas; cùm enim ipſâ Communionis die, officij tui partes pro ſtatu tuo convenienter expleas, & erga illos tum benignior, tum affabilior ſis, nullúmque genus obſequij illis deneges, veriſimile certè non eſt, illos hoc in exercitio ullatenus te impedire velle, cùm nullum ipſis ex hoc ſecuturum ſit incommodum, niſi forſan admodum impertinentes, moroſi, & rationi diſſentanei forent. Hoc in caſu ſi director tuus ita faciendum ſuaſerit, illorum voluntati forſan condeſcendum erit.

Pro

Pro Conjugatis hîc aliquid addam oportet. In veteri lege vetuerat DEUS, ne creditores diebus feſtis debitum à Debitoribus ſuis expoſcerent; at non damnabat, ſi debitores ijs diebus ea, quæ debebant, exigentibus ſolverent. Indecens eſt, quamquam non magnum peccatum, matrimoniale debitum eâ die exigere, quâ ſacram quis adijt communionem; at indecens non eſt, imò meritorium, ipſum reddere. Non ergo ob debiti ipſius redditionem communione quis privandus eſt, ſi alio qui devotio ad ipſam adeundam feratur. Certè in primitiva Eccleſia Chriſtiani quotidie communicabant, eſto eſſent conjugati, & prolibus operam darent.

§. XI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

De Euchariſtia ſecundùm ſe.

I. EXponi poſſunt tres cauſæ principales, ob quas Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum. Videlicet 1. ad gloriam majorem Patris cæleſtis, cui gratius eſt hoc ſacrificium, quàm infinita alia, unde etiam magis honoratur per unicum ſacrificium, quàm per omnes poſſibiles actus creaturarum. 2. Ad majorem gloriam ſuam, quæ mirè augetur per tot templa ei ædificata, per tot Proceſſiones inſtitutas, & per tot communiones cum ſumma religione & fervore à plurimis peractas. 3. Ad majorem gloriam noſtram; quæ obtinetur tum per unionem Chriſti cum anima noſtra, tum per copioſiſſimam gratiam, quæ in hoc Sacramento non tantùm ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato confertur, & eſt ſemen gloriæ olim ſecuturæ; tum ex honore, qui ex hoc inæſtimabili beneficio nobis ſolis exhibito oritur, utpote ratione cujus meritò nobis applicatur illud Deuteronomij: Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi. Excitandi proinde Auditores, ut hoc triplici funiculo obſtricti ſatisfacere ſtudeant obligationi ſuæ, & ad prædictum finem triplicem frequenter debita cum diſpoſitione hoc SS. Sacramentum ſumere ſtudeant. Quòd ſi magis placet, poſſunt aliæ tres cauſæ inſtitutionis afferri, nempe illæ, quas Eccleſia indicat, dum in feſto corporis Chriſti canit: O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Aut afferri poſſunt tres rationes à S. Thoma datæ, ſcilicet ut eſſet memoria paſſionis, ſacrificium novi teſtamenti, & cibus hominum. Quas cauſas videre eſt fuſiùs explicatas à P. Mathia Fabro. in fer. 5. cœnæ Domini. conc. 2.

II. Explicari poteſt, cur Chriſtus hoc Sacramentum ſub duplici ſpecie, cur ſub ſpeciebus panis & vini, & cur tandem ſub ſpeciebus viſibilibus inſtituerit, quæ cauſæ iterum fuſiùs explicatæ videri poſſunt apud Fabrũ. l. c. conc. 3.

III. Oſtendi poteſt, quomodo memoriam fecerit mirabilium ſuorum in hoc Sacramento, dum ſcilicet in eo exhibuit compendium omnium ſuorum potiorum attributorum, nempe potentiæ, ſapientiæ, bonitatis &c. de quibus videri poteſt Faber l. c. conc. 5.

IV. Comparari poteſt Euchariſtia cum Manna Iſraëlitis olim dato. ob quatuor cauſas. 1. ob convenientiam in ſubſtantia. 2. ob ſimiles effectus. 3. ob ſimilitudinem ſuſcipientium. 4. ob miniſtrorum convenientiam; de quibus Faber in Dom. 4. quadr. conc. 6. & Beirlinch in feſto corporis Chriſti them. 3. ubi fusè differentias Mannæ & Euchariſtiæ explicat.

V. Comparari poteſt Euchariſtia arbori vitæ. ob tres cauſas. 1. *Ob loci paritatem*, quia ſicut illa in medio Paradiſi, ita hæc in medio Eccleſiæ, quæ rectiùs Paradiſus ſeu habitatio juſtorum vocari poteſt, poſita eſt. 2. *Ob ſimilitudinem qualitatum*, quia utrumque erat pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave. 3. *Ob finis æqualitatem*; quia utraque ordinata fuit ad humidum radicale reſtaurandum, vitámque conſervandam. Excitandi proinde Auditores, ut ſæpe ad hanc arborem accedant, & de fructibus ejus guſtent; econtrario verò à fructibus vetitis peccati ſtudioſè abſtineant, ut in Paradiſo hoc permanere, & de fructibus hujus ſuaviſſimæ arboris diutius frui poſſint.

VI. Comparari poteſt Euchariſtia Carboni ignito, quem Seraphin forcipe ad Iſaiam attulit. Circa quem tria ſpectari poſſunt Euchariſtiæ perbene convenientia. 1. Ipſe carbo ignitus, qui, ſicut ex duabus rebus, carbone ſcilicet & igne compoſitus erat, ita rectè Chriſtum ex divina & humana natura compoſitum ſignificat. 2. Seraphin, qui apportabat, per quem rectè amor divinus, qui Chriſtum impulit, ad hoc Sacramentum inſtituendum, intelligitur. 3. Forceps, quo cum apprehendit; per quem ſignificari poteſt reverentia & diſpoſitio, quâ Chriſtum in Euchariſtia latentem ſuſcipere convenit. Addi fortè etiam poſſet 4. effectus, qui ex carbone illo ori impoſito ſecutus eſt, quémque Seraphin his verbis indicavit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. Viden hæc poſſunt fuſiùs à P. Drexelio in Roſis p. 2. c. 7. §. 3. & 4. explicata. *Iſaia. c. 6. v. 5.*

De Euchariſtiæ fructibus.

VII. Comparari poteſt Euchariſtia cœnæ magnæ, de qua Chriſtus apud S. Lucam parabolam propoſuit, probavíque, quòd magna ſit 1. propter Regis inſtituentis excellentiam & dignitatem. 2. propter invitatorum hoſpitum multitudinem, comparatione à convivio Regis Aſueri deſumpta. 3. Propter epularum præſtantiam. 4. Propter effectuum præſtantiam. Excitandi proinde Auditores, ut ipſi quoq; magno cum deſiderio, præparatione, devotione & gratiarum actione accedant, de quibus fuſiùs Faber in Dom. 2. poſt Pentec. conc. 1. *Luc. c. 14.* *Eſther. c. 1.*

VIII. Comparari poteſt Euchariſtia cum celebri illo convivio a quodam viro primario quondam Norimbergæ conſtituto, quod tribus

menſis

menſis ſibi mutuò impoſitis conſtabat. Prima non niſi cibis oculos paſcentibus (Bſchau-Eſſen) repleta erat; ubi miracula in Euchariſtia contenta explicari poſſunt. Secunda cibis ſolidis referta fuerat, ubi oſtendi poteſt, quomodo Euchariſtia per modum cibi ſatiet, nutriat, pinguefaciat, & roboret animam. Tertia non niſi bellarijs (Confect) exquiſitiſſimis conſtabat, ubi dulcedo & ſuavitas Euchariſtiæ explicari poteſt. Excitandi proinde Auditores, ut triplici huic menſæ triplicem diſpoſitionem correſpondentem afferant, & pro prima quidem magnam fidem; & præparationem ante ſumptionem, pro ſecunda magnam devotionem in ipſa ſumptione; pro tertia magnam gratiarum actionem, & gaudium ſpirituale poſt ſumptionem. Quem in finem ſervire poteſt concio ſeu thema. 1. apud Beyrlinck. in feſto Corp. Chriſti. Item concio 1. in feſto S. Thomæ. apud Fabrum in auctario. p. 2. f. 51.

IX. Explicari poſſunt fructus Euchariſtiæ per comparationem Euchariſtiæ cum cithara (nam Euchariſtia per anagramma *Cithara JESU* dici poteſt,) oſtendendo in prima parte, quòd Euchariſtia perinde ut cithara conſtet duabus partibus, *quantitate* loco ligneæ cavitatis, & tum virtutum præſtantiſſimarum (puta humilitatis, obedientiæ, caritatis, patientiæ, religionis) quæ inferiorum chordarum vicem ſubeunt; tum attributorum divinorum (puta ſapientiæ, potentiæ, bonitatis, immenſitatis, providentiæ) quæ ſuperiores chordas repræſentant, elucentium *qualitate*. In ſecunda explicari poſſunt effectus citharæ hujus, quòd ſcilicet multò efficaciùs & veriùs, quàm cithara Orphei aut Amphionis, aut Davidis pellat triſtitiam, attrahat feras (peccatores) fuget Spiritus malos, (Dæmones) adducat ſaxa, (homines juſtos) polita ad ædificium terreſtris & cæleſtis Jeruſalem (Eccleſiæ) perficiendum, maximè in agone: reducat animas purgatorii ab inferis; & ante omnia ad DEUM in ſono citharæ laudandum conducat. In tertia parte oſtendi poteſt, quomodo pulſanda ſit, ſcilicet quinque digitis ſeu affectibus, innocentiæ ſeu charitatis per confeſſionem procuratæ, fidei, ſpei, humilitatis, gratitudinis. Servire ad hunc finem poteſt concio Fabri priori numero indicata.

X. Poteſt Euchariſtia comparari arcæ teſtamenti. 1. Propter ſimilitudinem qualitatis, ſicut enim illa foris vilis, & pellibus tantùm tecta, intus autẽ plena auro erat; ita Euchariſtia quoad ea, quæ videntur, non niſi viles ſpecies panis repræſentat; intus verò tota aurea eſt, quia ex ſumma caritate à Chriſto inſtituta. 2. Propter res contentas, nam ſicut arca continebat tabulas Moyſis, Manna, & virgam Aaron, quæ erant figura tantùm, ita Euchariſtia continet ipſum Legiſlatorem, & eum, qui per Manna & virgam Aaronicam præfiguratus erat. 3. Propter effectus ſimiles, ſicut enim arca ſpecialiter conduxit ad omnia à DEO impetranda (quia DEUS ſe ibi maximè propitium fore promiſit, in dubiis rebus conſilium dedit, & occulta manifeſtavit: hoſtes fugavit: domui Obededom copioſam benedictionem attulit: & irreverenter eam tangentibus, aut indignè poſſidentibus exitium attulit; ita hæc omnia S. Euchariſtia modò longè perfectiori præſtat, uti ex effectibus ſuprà recenſitus patet. Excitandi proinde erunt Auditores, ut ad exemplum Davidis cum magna reverentiâ, lætitiâ, & jubilo eam in domum corporis ſui introducant; neque dicteria & irriſiones Micholis, id eſt, hominum obloquentium curent.

XI. Ex occaſione thematis: *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*: poteſt Chriſtus in Euchariſtia exiſtens Medico comparari, & oſtendi, quàm perfectè contineat omnes dotes in Medico requiſitas. 1. *Peritiam*: quia novit omnia genera morborum, & remedia; hinc ſolus genus humanum curare potuit. 2. *Felicitatem*: nam ſanabat omnes, cœcos (id eſt, errantes in fide) claudos (id eſt, acedioſos) hydropicos (id eſt, ambitioſos, & à ſuperbia inflatos) paralyticos (id eſt, deſperantes) leproſos (id eſt, luxurioſos) phreneticos (id eſt, iracundos) ictericos (id eſt, invidioſos &c. 3. *Caritatem*, quâ vult curare, & promptè operam ſuam offert: veniam, & curabo eum. 4. *Liberalitas*, quâ ſine pretio curat infirmos, quin imò ipſemet illis varia dona & gratias offert. Excitandi proinde, Auditores, ut & illi Medicum hunc ad ſe vocent, reverenter excipiant, confidenter morbos ſuos & miſerias aperiant, & conſilia ipſius diligenter arripiant, & exequantur. Servire poteſt ad hunc finem. Faber in feſto S. Barth. co. 5. Luc. c. 6. v. 19.

XII. Poteſt oſtendi utilitas, quam morientes percipiunt à S. Euchariſtia in articulo mortis ſumptâ, & ea probari ex rebus viatori neceſſarijs. 1. teſtimonium vitæ honeſtæ. 2. viæ dux & index. 3. Gladius ad defenſionem, vel certè Salvaguardia. 4 Viaticum ad vires reparandas. Probetur, hæc omnia Chriſtum in Euchariſtia abundè præſtare, atque adeò communionem in eo articulo à nemine negligendam eſſe. Videri poſſunt hæc quatuor puncta fuſiùs explicata apud Fabrum in Dom. 20. poſt Pent. co. 3.

De diſpoſitione ad Euchariſtiam recipiendam.

XIII. Poteſt dici optimum eſſe modum, fructuosè communicandi, ſi obſerventur in morali ſenſu illa capita, quæ populus à Chriſto in deſerto paſtus docuit. Et 1. quidem ſi magnam famẽ, id eſt, deſideriũ panis hujus Angelici ſentiamus. 2. Si per triduum ſequamur Chriſtum; poteſt autem per hoc triduũ intelligi vel triplex via, per quam tenditur ad perfectionem, ſcilicet purgativa, illuminativa, unitiva; vel tres partes Pœnitentiæ, attritio, confeſſio, & ſatisfactio: vel tres virtutes Theologicæ, fides, ſpes, caritas. 3. Si diſcumbamus, id eſt, omnes curas & cogitationes impertinentes deponamus, & nos per noſtri ipſorum ſeriam vilipenſionem humiliemus. 4. Gratias ferventer agamus tanto Benefactori. 5. Fragmenta & reliquias colligamus, ne pereant; id eſt, propoſita, illuſtrationes & affectus pios, quæ ſub cõmunione accepimus aut concepimus ſæpius per diem revolvamus, & exequi deinceps ſtudeamus; ſic enim implebitur id, quod David dixit: reliquiæ cogitationũ diem feſtũ agent tibi.

XIV. Eadem præparatio explicari poteſt per actiones à Turba, quæ die Palmarum Chriſtum in urbem Jeroſolymitanam introduxit, obſervatas. Et 1. quidem veſtes (id eſt, peccata, inordinatas paſſiones, cogitationes ſæculares &c.) exuamus. 2. Obviam eamus per ardens deſiderium, excitatum per conſiderationem noſtræ neceſſitatis ex una, ex altera verò parte potentiæ, quam habet Chriſtus ad dictam neceſſitatem ſublevandam. 3. Cædamus ramos de arboribus, & ſternamus viam, id eſt, reverentiam tam externam modeſtè compoſiti corporis, quàm internam mentis in pijs precibus & affectibus occupatæ exhibeamus. 4. Accinamus Chriſto laudes per debitam gratiarum actionem pro tanto beneficio perſolutam; invitemus omnes vites, ut debitum ei ſervitium præſtent. Excitandi proin AA. ad hæc officia ita exhibenda, ut tamen ſimul caveant, ne, quemadmodum Iſraëlitæ fecerunt, ſtatim illum iterum dimittamus, aut omnino iterum crucifigamus, & occidamus. Videatur Faber in Domin. Pſalm. conc. 4.

X V. Poteſt hæc diſpoſitio explicari per quinque digitos à S. Thoma lateri Chriſti impoſitos; nimirum 1. per intenſam fidem. 2. per affectum pudoris ac timoris ob præterita delicta. 3. Per profundam reverentiam & humilitatem. 4. Per gaudium ſpirituale. 5. Per affectum amoris intenſi. De quibus fuſiùs diſcurrit Faber in auctario & Feſto S. Thomæ them. 5.

Luc. 14. v. 21. XVI. Occaſione illorum verborum: *Exi citò in plateas civitatis, & voca pauperes &c.* Oſtendi poteſt, quomodo conſtituti eſſe debeant, qui dignè ad SS. Euchariſtiam accedere volunt, nimirum 1. *pauperes*, (id eſt, ab omni affectu erga res creatas liberi) & *famelici*, id eſt, magno deſiderio hujus cibi accenſi. 2. *Debiles*, id eſt, nobis diffidentes, confidentes verò in Chriſti bonitate & caritate. 3. Cæci, tum per captivitatem intellectus in obſequium fidei; tum per cuſtodiam ſenſuum, ne inordinatum quid, aut indignum tali hoſpite admittant. 4. *Claudi* per reverentiam & humilitatem; uti fuſiùs explicat Faber in auctario Dom. 2. poſt Pentec. Them. 2.

De frequentia Communionis.

XVII. Poteſt oſtendi diverſitas, quæ in Eccleſia floruit quoad frequentiam communionis, per ſtatuam olim à Nabuchodonoſore viſam. Nam 1. in primitiva Eccleſia erat caput aureum, dum Chriſtiani quotidie communicabant. 2. Argentea erat tempore S. Baſilij, S. Hieronymi, & S. Auguſtini, ubi non quotidie quidem, ſed frequentiſſimè tamen communionem ſumebant. 3. Ærea tempore S. Chryſoſtomi, ubi rariùs communicabatur. 4. Ferrea poſterioribus ſæculis, ubi vix quiſquam ſumebat Euchariſtiam, aut certè non niſi poſt longum tempus. 5. Partim ferrea, partim lutea noſtro ævo, dum ſcilicet aliqui ſemel in anno tantùm, aliqui aliquoties in anno communicant. Subinde proponi poſſunt aliquot prudentes & ſalubres regulæ, juxta quas ſe quivis Chriſtianus quoad hanc materiam dirigere queat; quæque videri poſſunt partim apud Fabr. in feſto S. Thomæ conc. 5. n. 4. 1. partim & valde bene apud Ludov. de Ponte to. 1. de perfect. tract. 4. cap. 6. §. 4.

XVIII. Occaſione illius thematis: *Et cœperunt ſe omnes excuſare:* poſſunt tria potiſſima impedimenta, à quibus non pauci à frequentiori communione abſterrentur, proponi, & removeri; quorum primum indicatur per verba illa: *villam emi*: & ſignificat varia negotia & occupationes, quas aliqui pro excuſatione prætendunt. Secundum per verba: *quinque juga boum emi*: indicatur, & grave jugum inimicitiarum, contentionum, conſuetudinum malarum, reſtitutionum debitarum ſignificat, quo aliqui oppreſſos ſe, & à communione impeditos fatentur. Tertium per verba: *uxorem duxi*: indicatur, & conjugalem amorem ac debitum, quod non pauci pro excuſatione afferunt, ſignificat. Oſtendatur proinde, quàm inanes & frivolæ ſint hæ excuſationes, & probetur, potiùs inde occaſionē & cauſam ſumendam frequentis cōmunionis. Quem in finem conc. 5. n. 3. in Dom. 2. poſt Pent. in opere tripart. Fabri ſervire poterit. Luc. 14. v. 18.

XIX. Ex occaſione Evangelij, in quo Mulier, quæ fimbriam Chriſti tetigit, ſanata fuiſſe commemoratur, explicentur cauſæ potiores, ob quas ex frequentiori licet communione optatū fructum non referimus. 1. Videlicet, quia non credunt à Chriſto ſanari ſe poſſe, adeòque deſiderium ardens illum tangendi & ſumendi non concipiunt. Excitentur ergo hi ad majorem fidem & deſiderium, demonſtratâ virtute Euchariſtiæ ad graviſſimos etiam peccatores convertendos, idque probetur, tum ex potentia & caritate Chriſti, tum ex ipſa experientiâ aliquot exemplis comprobatâ. 2. Quia non *reverenter* tangunt, ut mulier illa, quæ fimbriam tantùm attigit, non auſa ipſum Dominicum corpus palpare. Excitentur proinde & hi ad ſimilem deinceps reverentiam exhibendam, tum dignitate illius, qui tangitur & ſumitur, demonſtratâ, tum varijs eum in finē exemplis tam brutorum, quàm hominum allatis. 3. Quòd non *tangant*, id eſt, non cooperentur Chriſto, vitando occaſiones, adhibendo media ad peccata vitanda, habitúſq; malos extirpandos. Excitentur proinde ad hanc cooperationem tum ipſa rei æquitate oſtensâ, tum exemplis ægrorum corporali infirmitate laborantium allatis. Servire ad hanc concionem non parùm poterit concio 2. Fabri in Fer. 2. Paſchæ. Item Lud. de Ponte in to. 1. de perf. tr. 4. c. 8. §. 1. Rodriq. p. 2. tr. 8. c. 13.

XX. Eadem materia per parabolam ſeminis varium fructum afferentis explicari poteſt, dicique 1. quod ſemen hoc, id eſt Chriſtus, interdum conjiciatur ſecus viam, apud illos ſcilicet, qui omnino indignè communicant, utpote in mortali peccato conſtituti. 2. Interdum cadat in petroſam terram, apud eos ſcilicet, qui per malos habitus, & politica ac ſæcularia Mundi principia ſunt indurati. 3. Quandoque cadat in ſpinas, apud eos, qui bonæ quidem voluntatis, ſed varijs curis & negotijs ſæcularibus, puta Matt. 13. v. 8.

rei

rei familiaris, officiorum, liberorum educandorum &c. ſunt implicati. 4. Tandem in terram bonam cadit, apud eos ſcilicet, qui debitam diſpoſitionem afferunt, &, prout major vel minor eſt hæc diſpoſitio, trigeſimum, ſexageſimum, aut centeſimum fructum referunt. Oſtendatur ergo, quàm malè agant, quantùmque damnum patiantur priores, dum tam nobile ſemen ſine fructu quaſi perire ſinunt, & excitentur omnes ad terram optimam, id eſt, mentem optimè diſpoſitam deinceps offerendam. Videri poteſt Bromiardus. in Summa. V. Euchariſtia. c. 6. n. 20.

De cultu publico ſeu proceſſione ad honorem S. Euchariſtiæ inſtituta.

XXI. Explicari poſſunt cauſæ, cur ſimiles Proceſſiones inſtitutæ ſint, nimirum 1. ad publicam fidei conteſtationem. 2. ad debitum honorem Chriſto exhibendum. 3. ad gratum animum pro tam ineffabili & planè divino dono demonſtrandum. 4. ad compenſandas injurias à Judæis olim, & hodie à malis Chriſtianis toleratas. 5. ad oppida & urbes muniendas, uti S. Clara feliciter ſuo exemplo docuit, dum S. Sacramento in manus accepto hoſtibus urbē obſidentibus ad portam ſe ferri curavit, & in fugam eos conjecit. Quæ omnia fuſiùs explicata videri poſſunt apud Fabrum conc. 7. in feſto SS. Trinitatis & in auctario Dom. 2. poſt. Pent. them. 3. & apud Rupertum Lomeſſe in conc. 1. de feſto Corp. Chriſti.

XXII. Eadem materia percommodè explicari poteſt per Solemnem illam proceſſionem, quâ David Arcam fœderis in civitatem ſuam introduxit. Et 1. quidem inſtitui poteſt comparatio inter Euchariſtiam & Arcam fœderis, & inde oſtendi, quantò major reverentia illi, quàm huic debeatur; pro quo fine ſervire poſſunt ea, quæ ſupra n. 11. dicta ſunt. 2. exemplo David oſtendi poteſt, quomodo deductio iſta fieri debeat, nimirum cum *gaudio*: cum quinque *choris*, id eſt, orationibus ferventibus; *congregatione populi univerſi*, id eſt, omnibus viribus tam interioribus, quàm exterioribus: *immolatione victimarum*, id eſt, ſui ipſius oblatione (ad quod pulchrè Thomas Kemp. l. 4. c. 8. de imit. oſtendit,) *ſaltatione coram arca in Ephod lineo*, id eſt, deſiderio proficiendi in via virtutis & ſervitio DEI: *contemptu reſpectuum humanarum, & irriſionis à tepidis Chriſtianis factæ*. Ad quæ omnia melius explicanda videantur, quæ Rodriq. p. 2. tr. 8. cap. 3. 4. 5. diſcurrit.

XXIII. Oſtendi poteſt, qui potiſſimùm proceſſioni huic intereſſe debeant. videlicet 1. *Cæci*, id eſt, Acatholici. 2. *Claudi*, id eſt, tepidi Chriſtiani, Chriſtum ore confitentes, opere verò negantes. 3. *Debiles*, id eſt, debitam reverentiam & devotionem non oſtendentes. 4. *Pauperes*, id eſt, omnes Chriſtiani variis miſeriis & oneribus quoad animam preſſi; quæ omnia fuſè & pulchè probata videri poſſunt apud Fabrum in auctario Dom. 2. poſt Pentec. them. 4.

XXIV. Explicari poteſt tota Proceſſio à Chriſtianis inſtitui ſolita, & oſtendi, quomodo omnes illæ ceremoniæ ſpiritualiter in communione, per quam Chriſtus in templum animæ introducitur, obſervare debeant. Et 1. quidem *Crux præferri*, id eſt, confeſſio inſtitui. 2. *Pertica floribus ornata, & lumine accenſo inſtructa portari*, id eſt modeſtia & decentia exterior corporis præſeferri. 3 *Muſici congregari*, id eſt, laudes Chriſti per varias orationes decantari. 4. *Pueri, Angelorum in morem veſtiti comitari*, id eſt, variæ virtutes, fidei, ſpei, & caritatis, humilitatis &c. exerceri. 5. *Hoſtia in argentea & deaurata theca portari*, id eſt Chriſtus purâ per innocentiam, & per caritatem deauratâ mente recipi. 6. *Sequi Proceres & plebs*, id eſt, Cæli Cives ad communionem invitari. 7. *Ignes feſtivi per tormenta majora, minora, & minima ſeu ſclopeta excitari*, id eſt, caritas erga DEUM, proximum, & ſeipſum oſtendi. 8. *Hymnus Ambroſianus decantari*, id eſt, debitæ pro tanto beneficio grates perſolvi; ad quem finem iterum Rodriq. l. c. cap. 7. & 8. videri poteſt.

§. XII.

MISCELLANEA.

De Euchariſtia ſecundùm ſe.

I. S. Catharinæ Senenſi DEUS dixit: uniuſcujuſque creaturæ rationalis cor ex amore ſolvi deberet, quo DEUS nos afficit, dando nobis ſuum SS. corpus & ſanguinem in Euchariſtia. Et meritò: nam ut S. Laurentius Juſtin. rectè dixit, hoc beneficium nec humanus valet explicare ſenſus, nec Angelicus intellectus, ſed ſolus ille novit, qui ſolus voluit & potuit facere in eo tanta ac talia, ubique omnipotens, ubique glorioſus. *Dial, c. 112* *S. Laur. l. 1. de caſto conn. c. 24.*

II. Artaxerxes Perſarum Rex cùm ad eum Themiſtocles à ſuis expulſus veniſſet, tanto gaudio repletus eſt, ut ter noctu à ſomno evigilans exclamârit: Themiſtoclem habeo. Quid faciet, qui Chriſtum hoſpitem habere meretur? *Plutarch. in Themiſt.*

III. Jonathas amorem ſuum erga David oſtenſurus expoliavit ſe tunicâ ſuâ & reliquis veſtibus uſque ad carnem, teſte Toſtato; quantus amor Chriſti, qui ipſâ etiam carne ſuâ ſe expoliavit, & illam nobis dedit? *Toſtatus. q. 10. in l. 1. Reg. c. 18.*

IV. Arthemiſia Cariæ Regina tanto Maritum ſuum amore dilexit, ut non tantùm Mauſolæum miraculis mundi annumeratum erexerit, ſed etiam oſſa & cineres illius odoribus permixtos imbiberit, ut ſic vivum Mariti ſepulchrum fieret: ſed major Chriſti amor, qui etiam quoad carnem nobis uniri voluit. *A. Gellius 10. noct. attic.*

V. Veteres Chriſtiani peractâ S. communione Chriſtophori vocitabantur, quaſi Chriſtum ferentes. *S. Cyrill. catech. 4.*

VI. Theodoſius Imper. ſacris interdictus in hæc verba erupit: Ego gemo calamitatem meam, quia ſervis & mendicabulis parent templa DEI, & Dominum ſuum exorantes ingrediuntur; mihi verò ad eum ingreſſus non patet; inſuper & cæli mihi clauſi. Ita ille, quid *Niceph. l. 12.*

quid ad hoc illi, qui ſponte ſua ſe hoc ſupplicio puniunt, & communione privant?

VII. Incredibilis erat amor Davidis in Jonatham, cujus filio Miphiboſeth claudo dixit: *2. Reg. 9. v. 7.* Reſtituam tibi omnes agros Saul, & tu comedes panem in menſa mea ſemper. Quantus amor Chriſti, qui etiam ſe ipſum nobis in cibum apponit?

Curtius l. 8. c. 9. VIII. Perſæ Regis ſellam tam eximio cultu venerantur, ut in ea quemquam alium ſedere capitale ſit. Hinc Alexander militem frigore penè enectum in ſua ſede collocans, dixit: ecquid intelligis, quantò meliore ſorte, quàm Perſæ, ſub Rege vivatis, nam illis in Sella Regis ſedere, capitale foret, tibi ſaluti fuit. Sed quantò melior conditio Chriſtianorum, qui etiam in ſinum à Chriſto recipiuntur.

De Effectibus.

Cramat. in Silva. v. Euchar. f. 696. IX. Inter mirabilia mundi hoc omnulli graves Authores referunt, eſſe fontem quendam, ad quem ſi placidis oculis, & in eum ſemper defixis acceſſeris, aquam puram invenies: ſin ab eo oculos aliò deflectas, aut cum alio loquaris, turbidam. Sic Euchariſtia, de qua rectè S. Thomas: Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitûs.

Ibid f. 699. X. Duo inſignia Xenodochia in ægrotantium ſubſidium Toleti deſtinata ſunt, alterum ad ægrotos decumbentes: alterum ad reconvaleſcentes reficiendos, ne iterum in morbum relabantur. Sic Chriſtus duo Sacramenta inſtituit, Pœnitentiæ pro peccatoribus lapſis: Euchariſtiæ pro juſtis, ne amplius labantur.

S. Aug. in ſerm. 18. Sec. Lucam. XI. Rahab meretrix ſalutem conſecuta eſt cum tota domo ſua, quia Ducis à DEO miſſi exploratores ſemel excepit; quid non ſperabit, qui Filium DEI à Patre cæleſti miſſum, ſæpius devotè receperit?

Vita. p. 4. c. 4. XII. B. Magdalena de Paz aiebat, animam ſuſceptâ Euchariſtiâ poſſe verè dicere cum Chriſto: conſummatum eſt: quia in hoc cæleſti cibo omnia bona continentur, utpote per quem Chriſtus producit omnes virtutes, & bona, & gratias, adeò ut nihil ampliùs deſiderare poſſit, cùm in eo ſint omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ DEI. Aliàs dicebat, unam communionem bene factam ſufficere ad animam faciendam perfectam. *Vit. 1. p. c. 65.* Hinc dicebat ſuis Novitijs: ſi deſideratis brevi venire ad perfectionem magnam, accipite pro Magiſtro veſtro Chriſtum Crucifixum, attentas illi præbete aures, quia perpetuò loquitur in corde, ſed præcipuè in illa hora, quando recepiſtis SS. Sacramentum. *Vita. p. 4. c. 13.* Alio tempore vidit ordines Religioſos ſignificatos per multas ſenitas ornatas arboribus & vitibus, & in eis vidit aliquos paſci uvis, eos videlicet, qui cum magno fervore Euchariſtiam ſuſcipiebant: alios evellere vites, & earum loco ſpinas ſerere, nempe eos, qui cum exiguo fervore & guſtu communionem *Ibid. c. 15.* peragunt. Quondam ex divino lumine cognoſcebat, Euchariſtiam eſſe mamillas Chriſti, per quas divinæ dulcedinis ſuavitatem ſugimus.

XIII. Hippocratis jusjurandum erat: in quamcunque domum ingreſſus fuero, ad ægrotantium ſalutem ingrediar. Sed rectiùs hoc Chriſto attribuitur. *Nadaſi in anno Euchariſtico, hebd. 10.*

XIV. Achilles cervorum medullis ſub Chirone educatus, adeò valebat curſu, ut Pindarus dicat, eum cervos ſine canibus aſſecutum; quàm agilis fiet ad perfectionem aſſequendam, qui carne Filij DEI paſcitur? *Ibid. hebd. 44.*

XV. Quamprimum ſacerdotes arcam fœderis portantes, aquam Jordanis ingreſſi ſunt, ſteterunt illæ, & montis inſtar intumeſcebant; poſteriores verò omnino in mare mortuom deſcendebant. Quantò magis ſperandum, ſi Chriſtus corpus noſtrum ſubeat, peccata præterita omnino delenda, ea verò cohibenda, quæ de novo nos aggrediuntur? *Joſue 3. v. 15.*

XVI. Cùm miles quidam in caſtris Gedeonis vidiſſet in ſomno ſubcinericium panem ex hordeo in caſtra Madian devolvi, eàque percutere & ſubvertere, Gedeon hoc audiens adoravit, & reverſus ad caſtra Iſraël dixit: ſurgite, tradidit enim Dominus in manus noſtras caſtra Madian; quidni magis Chriſtus per panem hunc figuratus, ſimilem effectum in anima producet? *Jud. 7. v. 13.*

XVII. Si Eliſæus cum pallio ab Elia relicto accepit duplicem Spiritum eiusdem, ita ut alter Elias crederetur; quantò magis corpus Chriſti nobis unitum, etiam Spiritum illius nobis communicabit? *4 Reg. 2. v. 15.*

XVIII. Macrobius ait: in moribus induleſcendis magnam ferè partem nutricis ingenium & natura lactis tenet. Hinc Romus & Remulus lacte lupæ lactatò, ad latrocinia propenſi. Uxor Marci Catonis etiam ancillæ filios lactabat, ut iiſdem moribus, quibus proprij Filij præditi fuerant, imbuerentur, eóſque uti germanos amarent. Imò Niceſias hortabatur Alexandrum, ne muſcas abigeret, ſic enim ejus ſanguine paſtas excellentiores longè fore, quàm cæteras; qualis fiet, qui à Chriſto velut mammilla DEI paſcitur, & lactatur. *Lanzin. ſpaſc 13. l. 4 c. 4.*

XIX. Si Jacob dixit ad Laban: Modicum habuiſti antè, quàm venirem ad te, & nunc diveſ effectus es, benedixítque tibi DEUS ad introitum meum. Quid non ſperabimus ad Chriſti ingreſſum? *Gen. 30. v. 30.*

XX. Mithridates Ponti Rex cùm mithridaticum medicamentum inveniſſet, ita ſuum corpus per hoc corroboravit, ut, cùm poſtea ad Romanam captivitatem evitandam veneno vitam abrumpere vellet, non potuerit. Quantò magis, qui cæleſtem hanc medicinam frequenter & piè ſumet, efficiet, ut mori æternum non poſſit? *S. Franc. Saleſ. in Introd. P. 2. c. 21.*

XXI. Si fructus molliores, & corruptioni præ alijs obnoxij (puta ceraſa, poma annenia, & fraga) facili negotio per totum annum conſervantur, ſi ſaccharo aut melle condiantur; quantò magis ſperandum erit, corda noſtra, tametſi fragilia & imbecilla, à peccati corruptione præſervatum iri, ſi ab incorruptibili carne & ſanguine Filij DEI ſaccharata & condita fuerint? *Ibid.*

XXII.

Ibid. XXII. Quemadmodum homines in Paradiſo terreſtri agentes, ſecundùm corpus mori non poterant, idque vi & efficaciâ ligni illius vitæ, quod in medio ejus Dominus plantârat; ſic ſpiritualiter iidem mori non poterunt, ſi de fructu hujus SS. Sacramenti, quod eſt verè arbor vitæ æternæ, guſtaverint.

De Communione.

Drex. in roſis. p. 2. c. 6. XXIII. Lupus, cùm ſævâ urgetur fame, nec tamen prædam reperit, terram vorat; verùm mox iterum hanc evomit, ſi ovem aut aliam feram devorandam reperiat; quidni ergo & peccator terram, id eſt, terreſtres & vanas voluptates, aut peccata evomat, quando tam pinguem & pretioſum agnum in Euchariſtia reperit?

Drex. in roſis. p. 2. c. 7. XXIV. Apud Longobardos mos erat, ut Regis filius non priùs ad paternam menſam admitteretur, quàm in bello alteri Regi ſervuiſſet. Optima nempe diſpoſitio, vir autem ſuam in militia probaſſe, videbatur; quantò magis erit optima pro hac menſâ, de qua DEUS Joanni dixit: Vincenti dabo manna abſconditum.

Ibid. XXV. Apud Sybaritas mos fuit, ut feminæ integro anno priùs, quàm ſacrificandum aut convivandum erat, invitarentur, quo intentea ſe magis ornare poſſent. Sed & Reges Perſarum nullam admittebant feminam, niſi priùs per annum excultam. Quid anima ad convivium Angelicum invitata faciet? *Eſther. c. 2. v. 12.*

4. Reg. 6. v. 25. XXVI. Mulier, quæ tempore famis in Syria graſſantis, ex pacto coxerat filium, meritò ab altera quoq; filium coquendum petebat; quidni cùm Pater æternus dederit nobis filium ſuum unigenitum, & nos noſtrum, id eſt, rem illam, quam inordinatè diligimus, demus?

Clemens Alex. l. 7. ſtrom. XXVII. Vetuſtiſſima olim in januis inſcriptio erat: nihil ingrediatur mali. Quæ ſi uſpiam, certè in homine Chriſtum frequenter ſuſcepturo locum habet.

Nadaſi in anno Euch. hebd. 2. XXVIII. Epictetus literarum ſtudioſo, moribus improbo, acclamabat: O homo, vide, quò mittas doctrinam: num ſit ab omni vas labe purgatum? quantò magis hoc de Chriſto dicendum?

Ibid. hebd. 6. XXIX. Alphonſus Rodriquez Coadjutor è Societate JESU, & Janitoris officio fungens, quoties campanulâ ſignum dabatur, cogitare aſſueverat, illam à Chriſto pulſari, ideóque ſtatim dicebat: Vado Domine, quæ promptitudo adeò Chriſto placebat, ut non rarò ipſemet aſpectabili formâ, à ſanctiſſima Matre, aliiſque Angelis & Sanctis comitatus, Alphonſo fores pandente, Collegiũ ingredi ſit dignatus. Quidni hoc magis communicaturus dicat & faciat, Chriſto fores animæ pulſante, & dicente illud Apocal.: Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum? *Apoc. 3. v. 20.*

XXX. Tanagæi omnium, quos habent, adoleſcentum pulcherrimum ſeligunt, qui feſto die agnum humeris circa urbis muros, magno populi comitatu circumferat, judicantes, ita eâ, quâ agnus circumfertur, parte muros inexpugnabiles fieri. Quid fiet animæ, Chriſtum Urbaniſſimâ pietate in corpus inducenti? *Nadaſi hebd. 40.*

XXXI. Anno Domini 1611. in inſula S. Michaëlis in viridi promontorio maxima formicarum vis toti inſulæ maxima damna inferebat, & in ipſum etiam tabernaculum S. Sacramenti irrepſerat, ſed illæſo in patenâ Sacramento, totum agmen circumcirca exanime jacuit. Quantò magis ſpirituales formicæ, id eſt, peccata & paſſiones inordinatæ concident, ſi Chriſtum ſuper patenâ aureâ, id eſt, corde debitè diſpoſito jacentem reperiant? *Chronicon. illius loci.*

XXXII. Cùm Patriarcha Jacob ſacrificium DEO offerre vellet, præcepit univerſæ domui ſuæ: abjicite DEOS alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra, ſurgite &c. Quidni magis communicaturus dicat hoc omnibus membris ac potentiis ſuis? *Gen. 35. 2.*

XXXIII. Betſamitæ olim gravi à DEO percuſſione fuerant puniti, eò quòd arcam DEI vidiſſent, & propterea quinquaginta millia, & ſeptuaginta viri interfecti ſunt; quantò magis non levem pœnam timebit is, qui arcam novi teſtamenti indignè ſumere præſumpſerit? *1. Reg. 6. v. 13.*

§. XIII.

AUTHORES.

I. Ludovicus de Ponte. tom. 1. de perfect. tract. 4.

II. Alphonſus Rodriquez. p. 2. de exercitio perfectionis tract. 7.

III. Hieremias Drexelius in Roſis ſelectis. part. 2. c. 8. Item in Zodiaco. Symbol. 3.

IV. Nicolaus Lancicius. opuſculo ſpirituali 14. de efficacia Euchariſtiæ.

V. Philippus D'outreman in Pœdagogo Chriſtiano. part. 2. c. 16.

VI. Joannes Nadaſi in anno hebdomadarum cæleſtium Fer. V. ſeu anno Euchariſtico.

VII. S. Franciſcus Saleſius in Introductione ad vitam devotam. p. 2. c. 20. & 21. Item in Regulis ſeu directionibus Chriſtianis part. 4. c. 6.

VIII. Antonius Suquet in via vitæ æternæ l. 2. c. 6. & ſeqq.

IX. Paulus de Barry in ſolitudine Hagiophilæ Die decimo diſſert. 1. & in ſancto fervore apud JESUM. devot. 2. & 8, c. 8.

X. Thomas de Kempis l. 4. de imit. Chriſti.

XI. Ludovicus Granatenſis de frequenti communione.

XII. Joannes Buſæus in Viridario Chriſtianarum Virtutum. Verbo. Communio Euchariſtiæ.

TITVLVS XIV.

EXAMEN CONSCIENTIÆ.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Pſ. 4. v. 5. ESt ſeria ſuper actiones ſuas quotidianas reflexio: ad quam jam olim S. David hortatus eſt dicens: Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.

Diviſio.

Rodriq. p. 2. tr. 7. c. 2. II. Dividitur in *Univerſale* & *Particulare*: illud circa omnes diei actiones; hoc circa unam duntaxat ac particularem materiam occupatur.

Actus Generalis Examinis.

III. Primus eſt, *DEO pro acceptis beneficiis gratias agere*: quæ quidem actio, ut S. Bernardus monet, debet eſſe devotione pleniſſima, & deliciis affluens; ne contingat nobis, ut tantò graviùs de ingratitudine judicemur, quantò magis accumulatis beneficiis ingrati probaremur extitiſſe. Clariùs verò, quomodo hæc gratiarum actio fieri debeat, explicat alibi, dum ait: diſce in referendo gratiam non eſſe tardus aut ſegnis, diſce ad ſingula dona gratias agere. Diligenter conſidera, quæ tibi apponuntur, ut nulla videlicet DEI dona debitâ gratiarum actione fruſtrentur, non grandia, non mediocria, non puſilla. Denique jubemur colligere fragmenta, ne pereant, id eſt, nec minima beneficia oblviſci. Sic enim, ut inquit S. Chryſoſtomus, continuam gratiarum actionem Domino poterit exhibere. Hoc maximum eſt ſacrificium. Hæc oblatio perfecta. Hoc fiduciæ nobis fiet occaſio.

S. Bern. ſ. de 4. mod. orandi.

Serm. 51. in Cant.

S. Chryſ. ho. 72. ad pop.

IV. Secundus eſt, *Lumen à DEO petere ad peccata ſua cognoſcenda & deflenda:* quod tantò ardentiùs faciendum eſt, quantò clariùs nobis conſtat, nos in vitiis alienis lynces, in propriis perſpiciendis talpas eſſe.

V. Tertius eſt, *Rationem à ſe cogitationum, verborum, ac operum exigere*: quis enim, inquit Hierocles Ethnicus, ita alium alius, atque ſe commonefacere valeat? Quòd enim ſui juris eſt, ſi naturæ libertate utatur, aliorum conſilia facere reſpuit, cùm illis parere non ſtatuit, at non poteſt non audire ſe neceſſariò, quæ intus eſt ratiocinandi vis. Iſtam DEUS eſſe voluit, quæ noſtri curam gereret, iſtam Ducem atque Magiſtram. Iſtam etiam tunc Judicem diurnorum operum ratio efficit, & factum ab ea judicium complectitur, ut ſuum ipſa calculum adjiciat, quidnam in ſe vel laude, vel reprehenſione dignum judicet. Hinc S. Laurentius Juſtinianus ait, quiſquis virtutum amator eſt, ſui diligens inquiſitor ſit. Quo impulſa, quóve affectu ipſius moveatur mens, conſiderare non negligat. Multivarii ſunt interioris animi motus, & ad cognoſcendum difficiles. Quid verò potiſſimum examinandum ſit, jam olim Pythagoras Diſcipulos docuit, dum eoſdem monuit, ut manè & veſpere ſe de tribus examinarent: quid feciſſent? quo pacto feciſſent? & quid tandem eorum, quæ facere oportebat, omiſiſſent?

Apud Stobaeum ſ. 3.

VI. Quartus eſt, *dolere de peccatis commiſſis:* quod quotieſcunque facit homo, toties DEI Filius inæſtimabili novæ exultationis ſuavitate affectus, eadem verba (ſcilicet: vidi civitatem ſanctam Jeruſalem) concinit DEO Patri, uti S. Gertrudis divinitus intellexit. Hinc teſte S. Bernardo, diligit DEUS animam, quæ in conſpectu ejus & ſine intermiſſione conſiderat, & ſine ſimulatione dijudicat ſemetipſam. *Lib. 4. in fin. c. 60.* *S. Bern. ſ. 3. de adv.*

VII. Quintus eſt, *propoſitum emendationis concipere*: cum hoc enim, ut eadem S. Gertrudis intellexit, veraciter efficitur homo tabernaculum DEI, in quo tanquam in domo propria habitare dignatur Dominus Majeſtatis, Sponſus animæ amantis.

Actus Examinis particularis.

VIII. Primus eſt, *manè propoſitum ſerium concipere, vitandi aliquem certum defectum, aut virtutem exercendi*; cui propoſito non immeritò illud Aſcetæ applicari poteſt: Secundùm propoſitum noſtrum, curſus profectus noſtri. *Lib. 1. c. 19. §. 2. de imit. Chriſti.*

IX. Secundus eſt, *dolere de lapſu manu pectori admotâ*, quoties ceciderit, electi enim, teſte S. Gregorio, culpis ſuis nunquam ſciunt parcere, ut poſſint culparum Judicem placatum invenire. *S. Greg. l. 11. mor. c. 17.*

X. Tertius eſt, *ſub noctem numerum lapſuum examinare*, & ſic quodammodo cum S. Job dicere: quantas habeo iniquitates & peccata? ſcelera & delicta mea oſtende mihi. *Job. 13. v. 23.*

XI. Quartus, *diem cum die, hebdomadem cum hebdomade conferre*: uti S. Chryſoſtomus monuit dicens: ne ita ſimpliciter jejuniorum hebdomadæ prætereant, ſcrutemur ſuam qui- *S. Chryſ. ho. 11. in Gen.*

que

que conſcientiam, & rationem examinemus, & conſideremus, quidnam in hac hebdomade probè actum ſit, quid in alia, & quale augmentum fecerimus ad ſequentem; quas in nobis affectiones correxerimus. *Idem ho. 11. in Io.* Cujus collectionis fructum alibi oſtendit, dum ait: Diſcamus igitur & vitia noſtra recenſentes, ea tempore corrigamus, & hoc menſe unum, alio aliud, & ita ſubſequenter meliores efficiamur. Sic enim tanquam per gradus aſcendentes per ſcalam Jacob ad cælum perveniemus. Etenim ſcalæ illæ mihi per illam viſionem paulatim per virtutes aſcenſum ſignificare videntur, per quam à terra ad cælum aſcendere nobis licet, non gradibus ſenſibilibus, ſed morum incremento & correctione.

XII. Quintus eſt, *Pœnitentiam ſibi pro numero lapſuum injungere*: juxta S. Petri conſilium dicentis olim Simoni: *Act. 8. v. 22.* Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia, & roga DEUM, ſi fortè tibi remittatur hæc cogitatio cordis tui. Quod quidem ille de interna potiſſimùm Pœnitentia intellexit, meritò tamen etiam in hac materia de externa intelligi poteſt; nam Judicis officium eſt, non tantùm accuſationes audire, & abſolvere, ſed etiam damnare, & mulctam dicere.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Pſ. 4. v. 5. I. IRaſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.

Pſ. 50. v. 4. II. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Pſ. 76. v. 6. III. Meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.

Ier. 1. v. 10. IV. Ecce conſtitui te hodie, ſuper Gentes & regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.

Ier. 31. v. 21. V. Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulaſti: revertere Virgo Iſraël, revertere ad civitates tuas iſtas, Uſquequo deliciis diſſolveris Filia vaga?

Iob. 42. v. 5. VI. Nunc autem oculus meus videt te (& me:) idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.

Iſ. 21. v. 8. VII. Super ſpeculam Domini ego ſum ſtans jugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam, ſtans totis noctibus. *Pſ. 31. v. 5.* Confitebor adverſum me injuſtitiam meam, & Dominus remittet impietatem peccati mei.

Neceſſitas.

Iob. 9. v. 28. VIII. Verebar omnia opera mea, ſciens, quòd non parceres delinquenti.

Prov. 24. v. 30. IX. Per agrum pigri hominis tranſivi, & per vineam viri ſtulti (ſeipſum cognoſcere & ſcrutari negligentis) & ecce totum repleverant urticæ, & operuerunt ſuperficiem ejus ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.

Utilitas.

X. Verumtamen vias meas in conſpectu ejus arguam, & ipſe erit Salvator meus. *Iob. 13 v. 15.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. DIſce in eo ſecundùm Communis inſtituti leges tu tibi præeſſe, & vitam ordinare, & mores componere, & temetipſum judicare: teipſum apud teipſum judicare, ſæpe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. *S. Bern. ſ. de int. dom. c. 32.* Sedeat judicans juſtitia, ſtet rea, & ſeipſam accuſans conſcientia. Nemo te plùs diligit, nemo fideliùs judicabit. Manè præteritæ noctis fac à temetipſo exactionem, & venturæ diei tu tibi indicito cautionem. Veſpere præteritæ diei rationem exige, & ſupervenientis noctis fac indictionem.

II. Ecce habes Codicem, ubi ſcribas quotidianum expenſum. *S. Chryſ. in Pſ. 50.* Habeto codicem conſcientiam tuam, & ſcribe quotidiana peccata. Quando accubueris ſuper ſtratum tuum, profer in medium codicem conſcientiam tuam, & reminiſcere peccata tua. Dicito in corde tuo. Expendimus diem, ô anima, quid boni fecimus, aut quid mali operati ſumus? & ſi quid boni feciſti, gratias age DEO: ſi quid mali, de cætero ne facias.

III. Reproborum eſſe proprium ſolet, ſemper prava agere, & nunquam, quæ egerint, retractare; *S. Greg. l. 35. mor.* omne enim, quod faciunt, cæcâ mente pertranſeunt, factùmque ſuum, niſi cùm puniti fuerint, non agnoſcunt. At contra Electorum eſt, actus ſuos quotidie ab ipſo cogitationis fonte diſcutere, & omne, quod turbidum profluit, ab intimis exiccare.

IV. Optimus ille Trapezita eſt, qui quotidie veſperi lucrum ac detrimentum omnino computat. *S. Climac. gr. 5.* Quod ſcire manifeſtiùs non poteſt, niſi horis ſingulis in tabulis omnia denotet; nam cùm calculi ſingulis horis ponuntur, totius diei ratio clariùs poſtmodum cognoſcitur.

V. Efficiamur ſecundùm præceptum Domini, probabiles Trapezitæ, quorum ſumma peritia eſt ac diſciplina, probare, quodnam ſit aurum puriſſimum, &, ut vulgò dicitur, obryzum, quódve ſit minùs purgatione ignis excoctum, æreo quoque viliqúe denario, ſi pretioſum numiſma ſub colore auri fulgentis imitetur, prudentiſſima diſcretione non falli: *Caſſ. coll. 1. c. 20.* & non ſolùm numiſmata tyrannorum vultum exprimentia ſapienter agnoſcere, ſed etiam illa, quæ ſunt veri Regis quidem imagine inſignita, ſed non legitime figurata, peritia ſagaciore diſcernere: deinde, ne quid illis à legitimo pondere diminutum ſit, cenſurâ trutinæ diligenter inquirere. Quæ omnia nos quoque debere ſpiri-

ſpiritualiter obſervare, Evangelicus ſermo ſub hujus nominis demonſtrat exemplo.

S. Bern. ſ. 58. in Cant. VI. Scrutemur juxta Prophetam vias noſtras, & ſtudia noſtra, & in eo ſe quiſque judicet profeciſſe, non cùm invenerit, quod reprehendat, ſed cùm, quod invenerit, reprehendet. Tunc te non fruſtra ſcrutatus es, ſi turſum opus eſſe ſcrutinio advertiſti. Et toties te non fefellit inquiſitio tua, quoties iterandam putaveris. Si autem ſemper hoc, cùm opus eſt, facis, ſemper facis.

Neceſſitas.

S. Bern. ſ. 58. in Cant. VII. Quis ita ad unguem omnia à ſe reſecavit ſuperflua, ut nihil habere ſe putet putatione dignum? Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, ſi vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa. Medium denique vitiorum virtus tenet, ac proinde ſedulâ eget non ſolùm putatione, ſed & circumciſione. Alioquin verendum, ne circumquaque à lambentibus vel potiùs à rodentibus vitiis, illa, dum neſcis, paulatim elangueat, aut ſi ſupervenerint, ſuffocetur. Unum in tanto diſcrimine conſilium eſt, obſervate diligenter, & mox, ut renaſcentium capita apparebunt, promptâ ſeveritate ſuccidere. Non poteſt virtus cum vitiis creſcere. Ergo ut illa vigeat; iſta creſcere non ſinantur. Tolle ſuperflua, & ſalubria ſurgunt: utilitati accedit, quidquid cupiditati demis. Nobis, Fratres putationis ſemper eſt tempus, ſicut ſemper eſt opus.

S. Chryſ. ho. 4. in Pſ. 50. VIII. Nihil eſt, quod ſic quiſque debeat cogitare, niſi ut in ſeipſum oculos conjiciat, ſe diſcat, ſe diſcutiat, ſe inſpiciat, ſe quærat, & ſe inveniat; & quod diſplicet, necet; & quod placet, optet & plantet.

S. Greg. l. 25. mor. c. 7. IX. Sicut non ſentimus, quomodo creſcunt membra, proficit corpus, mutatur ſpecies, nigredo capillorum albeſcit in canis (hæc enim omnia nobis neſcientibus aguntur) ita mens noſtra per momenta vivendi ipſo curatum uſu à ſemetipſa permutatur, & non agnoſcimus, niſi vigilanti cuſtodia ad interiora noſtra reſidentes, profectus noſtros quotidie, defectuſque penſemus.

Ibid. X. Cùm indiſcuſſa mens relinquitur, in quodam ſenio torporis ſopitur: quia ſui negligens, & propoſitum robur inſenſibiliter perdens, à forma prioris fortitudinis, dum neſcit, ſeneſcit.

Utilitas.

S. Chryſ. ho. 43. in Matt. XI. Itaque lectum atque quietem petiturus hoc judicium ineas; idoneum ad hanc rem hoc tempus eſt, & conſentaneus locus, camera, & lectulus, quod Propheta quoque denotavit dicens: Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini. Neque res parvas conterime, ſed magnas etiam earum rationes repete. Hoc modò magna faciliùs evitabis delicta. Id ſi quotidie diligenter facies, terribili futuri Judicis tribunali lætus aſſiſtes.

XII. Hæc fiant ſingulis diebus, nec priùs dormieris, ô homo, quàm mente verſaveris, quæ à te interdiu perperam acta ſunt, & die ſequenti eris omnino tardior ad ea ipſa rurſus aggredienda. *Idem ho. in Pſ. 4.*

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. MAnè propone, veſpere diſcute mores tuos: qualis hodie fuiſti in verbo, opere & cogitatione, quia in his ſæpiùs fortè DEUM offendiſti & proximum. *Lib. 1. c. 19. §. 4.*

II. Si non continuè te vales colligere, ſaltem interdum, & ad minus ſemel in die, manè videlicet aut veſpere. *Ibid.*

III. In ſilentio & quiete proficit anima devota. Ibi invenit fluenta lacrymarum, quibus ſingulis noctibus ſe lavet & mundet, ut Conditori ſuo tantò familiarior fiat, quantò longiùs ab omni ſæculari tumultu degit. *L. 1. c. 20. §. 6.*

IV. Vigila ſuper teipſum, excita teipſum, admone teipſum; & quidquid de aliis ſit, non negligas teipſum. *L. 1. c. 25. §. 11.*

V. Diligenter examina conſcientiam tuam, & pro poſſe tuo vera & humili contritione ac confeſſione eam munda & clarifica, ita ut nihil grave habeas, quod te remordeat. *L. 4. c. 7. §. 1.*

§. V.

E X E M P L A.

I. S. Birgittæ quondam Angelus de B. Virgine revelavit, quòd ex ejus honeſtiſſimis actionibus diſcebant Virgines honeſtè ſe gerere, & virginalem pudicitiam ſuam uſque ad mortem firmiter conſervare, multiloquium & omnes vanitates fugere, ac omnia opera ſua diligenter præmeditatione diſcutere, & ſpirituali libramine, æquâ lance juſtiſſimè examinare. *Lancic. opu. c. D. 74.*

II. S. David de ſeipſo fatetur: Meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. *Pſ. 76.*

III. Ezechias quoque dixit ad DEUM: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. *Iſ. 38. v. 15.*

III. S. Climacus teſtatur, olim antiquos Monachos libellum cingulo appenſum habuiſſe, in quo omnes ſuas cogitationes annotabant, ut eas noctu faciliùs cognoſcerent, & ſuo Paſtori referrent. *S. Clim. grad. 4.*

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius horis ſingulis animum colligere conſueverat, ac ſepoſitis curis examine conſcientiam urgere. Tum, ſi vis afferretur, quæ horam ei conſuetudini negâſſet, proximâ confeſtim reſarcire. Cùm primo converſionis ſuæ hominum aſpectu ad *Rib. l. 5. vit. c. 1.*

riſum

riſum commoveretur, verberibus ipſum depulit, quibus ſe totiès ad numerum afficiebat, quoties vel leviter riſiſſet. Sed & tam conſtanter poſtea huic exercitio incubuit, ut illo ipſo adhuc die, quo mortuus eſt, omiſſiones actuum annotârit, uti libellus ſub cervicali repertus indicavit. Imò per hoc, & Electionis regulas, ad eam, quam in eo miramur, perfectionem pervenit, Orlandino teſte.

Turſel l. 6. vit. c. 6. II. S. Franciſcus Xaverius eodem prorſus ſtudio fervens, de die ſæpiùs accurata perſcrutatione intimos animi receſſus inſpiciebat, & cæteros ad idem faciendum magnopere hortabatur, ratus in eo perfectæ vitæ cardinem verti.

Vita l. 4. c. 4. III. S. Franciſcus Borgias non tantùm bis de die, ſed ad exemplum S. Patris ſingulis horis diurnis in dicta, cogitata ac facta inquirebat.

IV. Joannes Berchman ajebat, nullum Examine particulari præſtantius eſſe remedium, aut vitiis exſcindendis, aut virtutibus acquirendis; unde ipſe ſervabat ad amuſſim regulas à S. P. Ignatio ad hunc finem traditas.

Vita Balt. Alv. c. 31. V. Joannes Ortunus uſque ad diem, quæ mortem præcedebat, idipſum faciebat.

Anno 1596. VI. Joannes de Cannas reliquit libellum, in quo à triginta annis accuratiſſimè annotata erat materia pro examine particulari.

§. VII.

EXEMPLA PROFANA.

Sen. l. 3. de ira. I. SExtius conſummato die, cùm ad nocturnam quietem ſe recipiebat, ſemper animum ſuum quærebat: quod hodie malum tuum ſanâſti? cui vitio obſtitiſti? quâ parte melior es?

ibid. II. Seneca quoque de ſeipſo ſcribit: Utor hâc poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico. Cùm ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit uxor, moris jam mei conſcia, totam diem mecum ſcrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi abſcondo. Nihil tranſeo. Quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cùm poſſim mihi ipſi dicere: Vide, ne iſtud ampliùs facias: nunc tibi ignoſco.

Cicero de Senectute. III. Cicero etiam eandem conſuetudinem habuit, ut ipſe de ſe ſcribit his verbis: Pythagoræorum more exercendæ memoriæ gratiâ, quid quoque die dixerim, audiverim, egerim, commemoro veſperi.

Plut. l. de cohibenda ira. IV. Plutarchus pariter de ſe ſcribit: inſtruebam animum meum, ut qui non minùs amet pietatem, quàm Philoſophiam, ut primùm paucos dies ſacros ſine irâ tranſigerem, velut abſque temulentia vinóque, non aliter, quàm celebrâſſem Nephalia aut Meliſponda, in quibus vinum attingere, aut luxui vacare nefas eſt: deinde idem faciebam menſem unum aut duos, paulatim meiipſius periculum faciens. Sic tempore proficiebam ad ulteriorem malorum tolerantiam, diligenter attendens & conſervans meipſum.

V. Apud Indos ſapientes Adoleſcentes antè, quàm ad menſam admittantur, à Magiſtris interrogantur, quid boni à primo ortu diei uſque ad occaſum fecerint? ubi varii varia facta bona recenſent; qui autem nihil ejuſmodi dicere poteſt, impranſus ad opus extruditur. *Drex. l. 1. Triſmeg. c. 8.*

VI. Phocylides, Stobæo teſte, primus omnium videtur docuiſſe, quomodo quotidie ſeipſum quis ad conſcientiæ tribunal citare debeat. *Ibid.*

§. VIII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut ij, qui coram Regibus cum beſtiis congrediuntur, quaſcunque fortiores robore, vel feritatis rabie conſpexerint diriores, adverſus eas primæ congreſſionis certamen arripiunt, quibus devictis reliquas utpote minùs terribiles, eum faciliore proſternunt; ita & vitiis ſemper robuſtioribus ſuperatis, atque infirmioribus ſuccedentibus, parabitur nobis abſque ullo diſcrimine perfecta victoria. *Caſſian. coll. 5. c. 14.*

II. Sicut in pecuniâ non ſinis, ut duo dies prætereant, quin cum Famulo rationem ineas, ne confuſionem inducat oblivio; ita hoc etiam fac in actionibus, ſingulis diebus veſperi ab anima rationem exige, & cogitationem, quæ peccavit, condemna, eam velut in ligno ſuſpende, & torque, & jube, ne ampliùs ea aggrediatur. *S. Chryſ. in Pſ. 4.*

III. Sicut ij, qui cubiculum purgare volunt, priùs ſordes per ſcopas congerunt in unum cumulum, & poſtea ejiciunt; ita per examen priùs peccata colliguntur, ut poſtea per contritionem vel confeſſionem ex animo ejiciantur. *Iac. Alv. de adept. vir. l. 5 p. 5. ſect. 2. c. 8.*

IV. Sicut Medicus humores malignos quos ejicere ex corpore cupit, priùs per medicinam commovet, & tum primùm per potionem expellit; ita examen peccata movet, & quaſi à ſede ſua priùs extrahit quàm per contritionem aut confeſſionem foras ejiciat. *Ibid.*

Neceſſitas.

V. Sicut ſi infecundæ arboris ſuperiora circumcideris, eâdem novos edente ramuſculos, nihil videbis, vel radicibus altè tendentibus effeciſſe; ita niſi radices vitiorum ſcrutatus per examen fueris, ſuſtuleriſque, fruſtra in evellendis vitiis laborabis. *S. Chryſ. ho. de malis avert.*

VI. Sicut vulpes interdum fingit ſe mortuam, ut aves advolantes capere queat; ita vitia noſtra ſe mortua ſimulant, ut faciliùs iterum ad ipſa redeamus. *Lauriz. opuſc. 5. n. 44.*

Utilitas.

VII. Sicut Artifices, dum ea, quæ fecerunt, accuratè examinant, latentes defectus deprehendunt, totúmque opus expoliunt; ſic per examen occulti animæ defectus cognoſcuntur, ac corriguntur. *Idem n. 73.*

S. Gertr. inſin. l. 3. c. 18. VIII. Sicut homines, dum unam maculam evidentiorem conſiderant, manus totas abluunt, itaque etiam ab aliis ſordibus mundantur, quas alioqui non abluiſſent; ſic anima, dum per examen graviora delicta deprehendit, de iis & omnibus aliis dolendo, ab omnibus ſimul mundatur.

Buſam in Virid. tot. eod. c. 4. IX. Sicut in domibus, ubi frequens ſcoparum uſus eſt, nullæ apparent araneæ: ita, ubi frequenter examen conſcientiæ adhibetur, Diabolus laqueos ſuos extendere veretur.

Ibid. X. Sicut pavimentum, quò ſæpiùs everritur, eò purius redditur; ita quò ſæpius conſcientia per examen purgatur, tantò purior, teneriorque efficitur.

Ibid. XI. Sicut in Academiis, in quibus ſunt frequentiora & ſeveriora examina, plùs etiam in ſtudio literarum proficitur; ita ubi frequens examinis eſt uſus, major quoque in ſtudio virtutis profectus reportatur.

S. Clim. de vita relig. XII. Sicut Mercatores quotidie rationes lucri & damni exigentes, præ reliquis augent opes; ita & lucra virtutum ij potiſſimùm augent, qui eorum vel incrementum, vel decrementum quotidie examinant.

Jac. Alv. l. 3. p. 5. ſ. 2. c. 8. de adept. virt. XIII. Sicut Artifices illi præ reliquis opera perfecta efficiunt, & propterea copioſiùs etiam laudantur, & præmiantur, qui eadem opera diligenter ad regulam examinant; ita ij quoque homines perfectiores plerumque exiſtunt, qui per hoc examen accuratiùs diſcutiunt, quàm opera ſua divinæ voluntati ac propriæ rationis dictamini ſint conformia.

§. IX.

M O T I V A.

Gen. 1. I. E*Xemplum DEI*: qui teſte Moyſe, ipſemet poſt creatum mundum, vidit & examinavit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.

II. *Exemplum Ethnicorum*; qui, ut §. 7. videre eſt, ſolo rationis ductu hoc medium velut præcipuum ad virtutem Inſtrumentum adhibuerunt.

III. *Neceſſitas*: Sicut enim nec Diſcipuli in Scholis debitam diligentiam, nec famuli requiſitam fidelitatem, nec Artifices neceſſariam curam adhibent, niſi diligenter ab iis ratio ſuo tempore exigatur; ita niſi hoc examen in omnibus actionibus crebrò & accuratè adhibeatur, nullus in profectu virtutis ac perfectionis fructus ſperandus erit; unde meritò Seneca, deſinet, inquit, ira, & moderatior exiſtet, quæ ſciet ſibi quotidie ad Judicem eſſe veniendum.

S. Chryſ. S. quales duc. uxor. IV. *Utilitas*: tum ad *vitiorum* extirpationem; nam licet ſatius eſſet, ut ait S. Chryſoſtomus, omnino à peccato abſtinere, non parum tamen ad ſalutem momentum eſt, agnitum peccatum damnare, & caſtigare diligenter conſcientiam, utpote cùm hoc juſtificationis pars ſit, & in poſterum à peccato arceat. Imò, ut Abbas Pimenius olim dixit, hæc ſola hominis juſtitia eſt, ut ſemper ſemetipſum reprehendat, & tunc juſtificabitur, cùm ſua peccata condemnat. *Roſweid. p. 519. & 672. Heſ.* Tum ad *virtutes acquirendas*, pro quibus cudendis Examen officina vocatur, ab aliis verò Cornucopiæ commodorum, chariſmatumque ſpiritualium, quæ in animam infert. Tum ad *notitiam ſui*, quæ omnium ſcientiarum altiſſima eſt, & utiliſſima comparandam.

V. *Æquitas*: quis enim Reus, oblatâ optione, ut pro Judice vel amicum ſui amantiſſimum, vel alium valde ſeverum & rigoroſum eligat, non ab illo potiùs, quà hoc judicari præeligeret? cùm ergo DEUS idipſum nobis indicet, an non præſtat, ut in hac vita nos ipſos priùs dijudicemus, quàm ab ipſo in altera tam rigoroſè judicemur, & corripiamur?

VI. *Jucunditas*: nam ut ſapienter S. Dorotheus advertit, illud potiſſimùm ut turbemur, in cauſa eſt, quòd ſedulò noſmetipſos non accuſamus, nec eâ quâ debemus diligentiâ, quærimus nos ipſos privatim arguere. *S. Doroth. ſerm. 7.* Hinc omnis noſtra moleſtia & afflictio promanat. Hinc eſt, quòd quietem nunquam, & nullibi alibi pacem naneiſcimur. Neque id quidem mirum, quandoquidem ore Sanctorum omnium celebratum ac conteſtatum habemus, nullam præter hanc ad DEUM patere viam, nec unquam aliquem vidimus, aut audivimus, qui aliâ, quàm hac ad DEUM acceſſerit viâ, aut ad quietem pervenire valuerit. Eandem jucunditatem paulò aliter explicat Seneca, dum ait: Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur? quàm tranquillus, altus ac liber? cùm aut laudatus eſt animus, aut admonitus, & ſpeculator ſui, cenſorque ſecretus cognoſcit de moribus ſuis. *Sen. l. 3. de ira. c. 36.*

§. X.

M E D I A.

Ad examen hoc diligenter faciendum.

I. Æ*Stimatio puritatis ſeu pulchritudinis internæ*: ſicut enim Virgines hujus mundi pro conſervanda & augenda ſua pulchritudine corporali aſſiduò ſpeculis utuntur; ita non minùs diligenter hoc examen adhibebit, quiſquis vehemens pulchritudinis ſuæ internæ amator extiterit.

S. Bern. de vit. ſol. col. 6. II. *Amor DEI*: nam, ut S. Bernardus dixit; Homini DEUM amanti vel amare volenti ſuus ſemper conſulendus eſt animus. Examinanda conſcientia, quid ſit, quod in totum vult, & propter quod vult, quidquid aliud vult Spiritus vel odit, quidquid contra illud caro concupiſcit.

III. *Deſiderium perfectionis*: ſic enim non modicè incitabitur ad hoc exercitium accuratè uſur-

uſurpandum, utpote quod à Patribus Spiritualibus meritò inter difficillima media numeratur perfectionem brevi tempore conſequendi.

IV. *Timor judicii divini*: hic enim efficiet, ut hîc omnia opera noſtra ipſi ſeverè priùs diſcertiamus & judicemus, ne in altera vita in manus ſeveri Judicis DEI incidamus, cùm notum ſit, quod S. Paulus dixit, ſi noſmetipſos judicaremus, non utique judicaremur.

1. Cor. 11. v. 31. V. *Odium Sathanæ*: ſic enim non modicè incitabimur ad fraudes illius per examen indagandas, ut contra eaſdem nos convenienter armare, & feliciter evitare valeamus.

§. XI.

ASCETICA.

I. TRia ſunt, quæ præcipuè de Examine conſcientiæ obſervanda ſunt Aſcetæ. Primum eſt, ut magnam æſtimationem concipiat de illo; quod obtinebit, ſi perpenderit, hoc medio multos ſanctos Viros, & præcipuè S. Ignatium, præ reliquis uſos fuiſſe ad magnam ſanctitatem comparandam; & præterea bene conſiderârit, quod S. *S. Bern. l. de conſil.* Bernardus de conſcientiæ noſtræ dirigendæ neceſſitate ſequentibus verbis inſinuavit: unicuique liber eſt ſua conſcientia, & ad hunc librum diſcutiendum & emendandum omnes alii libri inventi ſunt. Anima verò cùm de corpore egreditur, nullum alium librum, præter librum conſcientiæ, ſecum poterit portare, atque in illo cognoſcet, quò debeat ire, vel quid debeat recipere.

Rodriq. p. 2. tr. 7. II. Alterum eſt, ut bene percipiat finem & fructum præcipuum, qui per hoc exercitium quærendus eſt, & non eſt alius, quàm puritas conſcientiæ, vitæque emendatio, & in tribus præcipuè conſiſtit, nempe ut, ſi hactenus fuerunt multi in nobis defectus, poſthac ſint pauci: deinde ut, ſi fuerunt majores, deinceps ſint minores: & tandem ut non ſint ſemper iidem; eandem enim culpam iterum, iterùmque ac ſæpius repetere, magnæ ſocordiæ & negligentiæ eſt argumentum.

III. Tertium eſt, ut ſolidum ſciat modum, utrumque hoc examen fructuosè peragendi; qui quidem in eo potiſſimùm conſiſtit, ut 1. regulas & induſtrias à S. Ignatio & aliis eum in finem præſcriptas accuratè obſervet. 2. Ut in actuali diſquiſitione plùs dolori, & emendationis propoſito, quàm diſcuſſioni & inquiſitioni defectuum inſiſtat, cùm totus fructus examinis utriusque in morum emendatione conſiſtat, ad quem ſine dubio dolor ſerius & efficax propoſitum, plùs, quàm omnes *Vit. p. 4. c. 29.* aliæ induſtriæ conducunt. Addit B. Maria Magdalena de Pazz. DEUM plùs ſibi complacere in anima viatrice, quæ ſe conformat per dolorem, quàm quæ ſe conformat per amorem (quamvis dolor, quem ſentit anima ex offenſis DEI, non poſſit naſci niſi ex amore, quem habet erga DEUM, qui eſt abſolutè perfectior dolore (quia per viam doloris plùs exercetur anima in amore proximi, dum alienos defectus deplorat; & præterea hic dolor eſt ſpecies Martyrii, quo animæ fiunt ſimiles in cruce pendenti, & dolore ſuo poſſunt compati ejus magnis pœnis, & flere amoris lacrymis ejus paſſionem. Et cùm dolor ſit afflictivus, purgat animam à peccatis. Amor eſt delectabilior, ſed cùm ſimus in hoc mundo, ut purgemur, eſt magis tempus dolendi & patiendi pro amore DEi noſtri, ideqóue DEUS ſibi magis complacet de dolore, quàm amore. 3. Ut in hoc exercitio magnâ cum conſtantia progrediatur, nec animum abjiciat, etiamſi frequentiùs in eoſdem defectus labatur, ſed potiùs in memoriam revocet id, quod S. Gertrudi *Lib. 3. inſ. c. 38.* petenti, ut certum aliquem defectum à ſe DEUS tolleret, idem Dominus reſpondit, dum dixit: quare velles, ut ego privaret honore illo, & tu infinito fraudareris præmio, quod lucraris, quotieſcunque illum defectum vel ſimilem recognoſcens de cetero cavendum proponis? nam quandocunque aliquis ſtudet, pro amore meo defectus ſuos vincere, tantùm mihi exhibet amoris ac fidelitatis, quantùm miles aliquis Domino ſuo exhiberet, ſi ſtrenuè in bello contra inimicos ſe opponens, omnea manu forti viriliter expugnaret, ac proſterneret.

§. XII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Elegit ſibi quinq; limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit* *1. Reg. 17. v. 40.* *eos in peram*: poteſt peccatum Goliatho; Examen autem quinque punctis conſtans quinque lapidibus de torrente (id eſt, fonte lacrymarum) collectis comparari, & oſtendi, quòd licet peccatum, perinde ut Goliath, aſpectu terribile & quodammodo inſuperabile appareat, poſſit tamen non difficultet per hos quinque lapides ſuperari, uti defacto jam à pluribus ſuperatum eſt.

II. Ex occaſione thematis: *Ecce conſtitui te* *Jer. 1. v. 10.* *hodie ſuper Gentes & Regna* (id eſt teipſum & paſſiones tuas) *ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*: poteſt finis examinis copioſius explicari. Et 1. quidem oſtendi, quòd debeat deſtruere aliqua peccata, ut non tam multa ſint: dein diſperdere illa, quæ remanent, ut non tam gravia ſint: & tandem diſſipare illa, ut non eadem ſemper recurrant. 2. Quòd debeat evellere, id eſt, radices etiam exſcindere, uti ſapienter monuit S. Dorotheus *S. Doroth. ſ. 12.* his verbis: certamen primum ſit adverſus malos mores & vitia, causáſq; eorum, quæ radices ſunt. Quas ſanè radices, niſi quisque extripaverit, neceſſe erit iterum ſpinas erumpere, & excreſcere. 3. Quòd ædificare & plantare virtutes vitiorum loco debeat; id quod examinis particularis adminiculo præcipuè obtinetur.

Prov. 31. 27. III. Ex occaſione thematis : *Conſideravit ſemitas domûs* : poteſt narrari hiſtoria de divite, qui, quia nullam curam domûs habuit, ad ſummam propè egeſtatem reductus eſt. Unde vicinus ejus hoc advertens, promiſit illi, ſe medium oblaturum, quo brevi antiquas opes recuperare poſſit, ſi diligenter eo uti velit. Annuenti itaque pyxidem obtulit, eo pacto, ut in omnes quondie domûs partes circumferret, non tamen priùs aperiret, quàm ipſe facultatem dediſſet. Cùm ergo ſecutus fuiſſet conſilium, &, quia in omni loco peſſimè rem familiarem adminiſtrari advertens, in meliorem omnia ordinem redux iſſet, brevi etiam divitias iterum augeri ſenſit. Quare putans eam virtutem à pyxide provenire, aperuit, & hos verſus in ſchedâ deſcriptos invenit.

Wilſt, daß dir dein Sach wohl geling?
Sih all Tag fleiſſig zu deim Ding.

Hæc hiſtoria applicetur illis, qui examinis quotidiani uſum negligunt, ſuadeatúrque, ut ſimili modo pyxidem hanc in omnes diei actiones circumferant, nec dubitent, quin majorem etiam in perfectione Chriſtiana progreſſum ſint ſortituri.

2. Par. 18. v. 30. IV. Ex occaſione thematis : *Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum, niſi contra ſolum Regem Iſraël* : poteſt oſtendi modus, vitia ſua per examen particulare oppugnandi; ut ſcilicet 1. contra unum duntaxat pugnetur, exemplo Horatii, qui contra tres Curiatios pugnans fugam ſimulavit, & dum hâc ratione effecit, ut ob inæquales vires inæqualiter quoque ipſum curſu ſequerentur, ſubitò ſe convertens, & contra ſingulos pugnans facilè victoriam obtinuit. 2. Ut contra Regem pugnetur, id eſt, illud vitium, quod eſt caput ceterorum; ſic enim devicto Rege etiam reliqua faciliùs vincentur; nam, ut Abbas Serapion ait, impoſſibile eſt, eum, qui pro ſui cordis immundatione ſollicitus, erga impognationem vitii cujuslibet intentionem ſuam mentis armaverit, adverſus cetera quoque vitia generalem quendam horrorem, & cuſtodiam ſimilem non habere. *Caſſian. coll. 5 c. 14.*

§. XIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Sen. l. 10. de ira. c. 3. I. NOn malè Seneca, videamus, ait, quid ſit, quod nos maximè concitet. Alium verborum, alium rerum contumeliæ movent. Hic vult nobilitati ſuæ, hic famæ parci &c. non omnes ab eadem parte feriuntur. Scire itaque oportet, quid in te imbecillum ſit, ut id maximè protegas.

II. Et alibi : initium ſalutis eſt notitia peccati. Egregiè mihi hoc dixiſſe videtur Epicurus; nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Ideo quantùm potes, teipſum coargue, inquire in te, accuſatoris primùm partibus fungere, deinde Judicis, noviſſimè deprecatoris, aliquando te offende. *Idem ep. 28. ad Luc.*

III. Et iterum : quid autem tecum loquaris? quod homines de aliis libentiſſimè faciunt, de te apud te malè exiſtima. Aſueſce & & dicere verum, & audire, præſertim à teipſo. Id autem maximè tracta, quod eſſe infirmiſſimum ſenties. *Idem ep. 68.*

IV. Apud Ægyptios Thebas Memnonis ſtatua videbatur è nigro lapide ad ortum ſolis converſa, quæ imberbem Adoleſcentem referebat, ambabus manibus ſic ſedi innitentem, ut ſurgere velle videretur; ſed & os ſic conformatum habentem, ut jamjam locuturus crederetur; huic ſtatuæ ſimiles ſunt, qui conſcientiam examinant ſed abſq; ſerio dolore & fructu. *Drex. in Triſm. l. 1. c. 8. §. 12.*

V. Ruth Moabitis collegit in agro uſque ad veſperam, & quæ collegerat, virgâ cædens & excutiens, invenit hordei tres modicas. Idem à nobis per Examen faciendum; quid enim eſt frumentum virgâ cædere, inquit S. Gregorius, niſi rectitudine judicii à vitiorum paleis virtutum grana ſeparare? *Ruth. c. 2. v. 17.*

Neceſſitas.

VI. Hoc nos peſſimos facit, inquit Seneca, quòd nemo vitam ſuam reſpicit. Quid facturi ſimus, cogitamus, & id raro : quid fecerimus, non cogitamus. Atqui conſilium futuri ex præterito venit. *Sen. ep. 83.*

VII. Ephratæi à Galaaditis interrogati, qui eſſent, & vocem Sclubboleth, hoc eſt, ſpica granis plena, proferre juſſi, quia Sibboleth, id eſt, culmus grano vacuus, pro Schibboleth dixerunt, pro hoſtibus agniti & jugulati ſunt. Idem multis in judicio extremo eveniet. *Iud. 12. v. 6.*

§ XIV.

AUTHORES.

I. IOannes Buſæus in Viridario Verb. Conſcientiæ Examen.

II. Alphonſus Rodriquez p. 1. tr. 7.

III. Jeremias Drexelius in Triſmegiſto l. 1.

IV. Jacobus Alvarez de adept. virt. l. 3. p. 5. ſect. 2. c. 8. & ſeq.

V. Mathias Faber co. 6. in Dom. 4. poſt. Pent.

VI. Antonius Dauroltius in Catech. hiſtor. c. 5. tit. 49.

VII. Philippus D'outreman in Pædago Chriſtiano p. 2. c. 13.

TITV-

Digitized by Google

TITULUS XV.

EXEMPLUM.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

EST factum aliquod ad imitationem alijs propoſitum; ſi enim in occulto & abſque arbitro aliquid fiat, aut admiratione potiùs, quàm imitatione ſit dignum, exemplum dici non poteſt.

Diviſio.

II. Dividitur in *Bonum* & *Malum*; illud ad bonas actiones imitandas allicit; hoc ad peccata perpetranda incitat, & plerumque ſcandalum à Doctoribus vocatur.

Actus.

III. Primus eſt, *ſolo facto ad imitationem allicere*: quo modo Seniores coram Junioribus peccantes, exemplum malum dare dicuntur.

IV. Secundus, *etiam verbis ad imitationem*
Jud. 9. v. *allicere*: quo modo Abimelech ſuis exemplum
48. dedit, dicens: Quod me vidiſtis facere, citò
facite.

V. Tertius, *etiam minis vel præmiis ad imitationem allicere*; quo modo Tyranni olim Chriſtianos ad fidem deſerendam impulerunt.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Luc. 12. v. I. SInt lumbi veſtri accincti, & lucernæ ar-
35. dentes in manibus veſtris.
Ibid. c. 11. II. Nemo accendit Lucernam, & ponit
v. 33. eam in abſcondito, neque ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant.
Rom. 15. v. III. Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo pla-
2. ceat in bonum ad ædificationem.
Matt. 5. v. IV. Sic luceat lux veſtra coram hominibus,
16. ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.
Tit. 2. v. 7. V. In omnibus præbe teipſum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum ſanum, irreprehenſibile.
1. Tim. 4. VI. Exemplum eſto fidelium in verbo &
v. 12. converſatione, in caritate, in fide, in caſtitate, ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.
Iac. 3. v. VII. Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos?
13. oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ.

Neceſſitas.

VIII. Converſationem veſtram inter Gen- *1. Petr. 2.*
tes habentes bonam, ut in eo, quod detre- *v. 12.*
ctant de vobis, tanquam de Malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent DEUM.

IX. Nemini dantes ullam offenſionem, ut *2. Cor. 6. v.*
non vituperetur miniſterium noſtrum. *3.*

Utilitas.

X. Quod, cùm vidiſſem, poſui in corde *Prov. 24.*
meo, & exemplo didici diſciplinam. *v. 32.*
XI. Scio enim promptum animum ve- *2. Cor. 9. v.*
ſtrum, pro quo de vobis glorior apud Mace- *2.*
dones. Quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit plurimos.
XII. Mementote Præpoſitorum veſtrorum, *Hebr. 13.*
qui vobis locuti ſunt verbum DEI, quorum *v. 7.*
intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.
XIII. Exemplum accipite, Fratres, laboris *Iac. 5. v.*
& patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in no- *10.*
mine Domini. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus & miſerator.

Exemplum malum.

XIV. Væ homini, per quem ſcandalum *Matt. 18.*
venit. Qui ſcandalizaverit unum de Puſillis *v. 6. & 7.*
iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.
XV. Peccantes in Fratres, & percutientes *1. Cor. 8. v.*
conſcientiam ipſorum infirmam, in Chriſtum *12.*
peccatis.
XVI. Noli cibo tuo perdere illum, pro quo *Rom. 14. v.*
Chriſtus mortuus eſt. Noli deſtruere opus *15. & 20.*
DEI.
XVI. Ne ponatis offendiculum Fratri, vel *Ibid. v. 13.*
ſcandalum.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. DOmus Epiſcopi & converſatio quaſi *S. Hier. in*
in ſpeculo poſita, Magiſtra eſt publicæ *epiſt. ad*
diſciplinæ. Quidquid fecerit, id ſibi omnes fa- *Heliod.*
ciendum putant.
II. Qui in occulto bene vivit, ſed alieno *S. Greg. ho.*
profectu minimè proficit, carbo eſt: qui ve- *5. ſup. E-*
rò in imitatione Sanctitatis poſitus, lumen re- *zech.*

ctitudinis ex ſe multis demonſtrat, lampas eſt, quia & ſibi ardet, alijs lucet.

Idem ho. 11. III. Sic ſit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ ſoli DEO placere quærimus, ſemper optemus ſecretum.

Idem l. 10. mor. IV. Nullum ego conſilium melius arbitror, quàm ſi exemplo tuo Fratrem docere ſtudeas, quæ oporteat fieri, provocans eum ad meliora, & conſulens ei neque verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate.

S. Bern. in Epiſt. V. Noveris hujus trinitatis Sacramentum in nullo fruſtratum à te, ſi paſcas verbo, paſcas exemplo, paſcas orationum ſuffragio.

Idem in ep. 72. VI. Pulcherrimus ordo eſt & ſaluberrimus, ut onus, quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te diſcas, qualiter oporteat alijs moderari.

S. Chryſ. ſ. 31. ſup. Gen. VII. Propterea Sanctorum vitas & converſationem in divinis ſcripturis præſcriptam Spiritus Sancti gratia reliquit, ut diſcentes, quòd, licet ejusdem fuerint naturæ, virtutibus tamen ſtuduerint, ne ſimus nos ignavi, & deſides in ijsdem exercitijs.

S. Hier. ep. ad Nepot. VIII. Delicatus Magiſter eſt, qui pleno ventre de jejunijs diſputat. Accuſare avaritiam & Latro poteſt. Sacerdotis os, mens, manuſque concordat.

S. Greg. ho. 17. in Luc. IX. Debemus penſare, quòd à Domino Sanctis Apoſtolis dicitur, & per Apoſtolos nobis: Vos eſtis ſal terræ; ſi igitur ſal ſumus, condire mentes Fidelium debemus, ut, quiſquis Sacerdoti jungitur, quaſi è ſalis tactu æternæ vitæ ſapore condiatur.

S. Chryſ. ho. 83. ad pop. X. Externæ dignitates meritò ex ſignis extrinſecus circumpoſitis manifeſtæ ſunt, noſtras autem ab anima notas eſſe decet. Fidelem enim non ex ſolo munere videri oportet, ſed ex vitæ novitate.

S. Ign. in ep. 14. ad Eph. XI. Qui profitentur ſe Chriſti eſſe, non modo ex ijs, quæ dicunt, ſed & ex iis, quæ faciunt, cognoſcantur; ex fructu enim arbor dignoſcitur. Præſtat enim eſſe & tacere, quàm loqui, & non eſſe, non in ſermone regnum DEI, ſed in virtute.

Neceſſitas.

Caſſiod. l. 5. epiſt. XII. Claras ſuas maculas reddunt, ſi illi, ad quos multi reſpiciunt, aliqua reprehenſione ſordeſcunt; alioqui expedit non videri, quàm cunctorum irriſione ſignari. Omnis ergo, qui gratiarum celſa petimus, vitiorum humilia deſeramus: ſit in nobis frons libera, ut aliorum poſſimus emendare peccata: æquat crimen omne, quod inquinat, & ideo diſſimilis ab accuſato debet eſſe, qui judicat.

S. Aug. ſ. 163. XIII. Nemo ſe circumveniat, Fratres cariſſimi, nullus homo ſibi ſolummodo vivet, &, ſicut frequenter, ſuggeſſi, quantoſcunque aliquis exemplo ſanctæ vitæ ædificaverit, cum tantis & pro tantis mercedem retributionis beatæ vitæ accipiet: & quantiſcunque exemplum malæ converſationis, etiamſi illi eum non ſequantur, præbuit, pro tantis ſe malis rationem noverit redditurum.

XIV. Omnis doctrina generatio quædam eſt, ut, quemadmodum homines non generantur niſi in perfectione ætatis, & virium, ita nec Filios ſpirituales, niſi à perfectione virtutum progigni contingat. *S. Clem. Alex. l. 5. ſtrom.*

Utilitas.

XV. Multò fidelior & certior eſt, doctrina operum, quàm ſermonum. Nam qui talis eſt, etiam ſilens, & cùm non videtur, docere poteſt; & alios quidem, qui illum vident, alios verò, qui de illo audiunt; & multâ fruetur DEI gratiâ non tantùm propter ſe, ſed & propter alios, qui illum vident, & incitentur, ut glorificent Dominum. Talis per mille linguas & multò plures, gratias referet & laudes DEO. *S. Chryſ. ho. 22. ad pop.*

XVI. Citò ſedet animis, quod docetur exemplis. *S. Valerian. Ep. ho. 17.*

XVII. Eſt inſitum bonis, ut caſtum pudicus, ſapientem prudens, miſericors liberalem affectu pio diligat, & virtutes ſuas in alijs amet. In pleriſque juſti aſpectus, admonitio correctionis eſt, perfectionibus lætitia eſt. *S. Ambroſ. ſup. Beati immacul.*

XVIII. Volantia animalia ſe viciſſim feriunt alis ſuis, quia Sanctorum mentes in eo, quòd ſuperna appetunt, conſideratis invicèm alternis virtutibus excitantur; alâ enim ſuâ me percuſſit, qui exemplo ſanctitatis me ad meliùs accendit; & alâ meâ vicinum animal ferio, ſi aliquando alteri opus bonum, quod imitetur, oſtendo. *S. Greg. 24. moral.*

XIX. Sunt nonnulli, quos ad amorem cæleſtis Patriæ, plùs exempla, quàm prædicamenta ſuccendunt. *Idem l. 1. Dial.*

XX. Fit plerúmque in audientis animo duplex Adjutorium in exemplis Patrum, quia amore venturæ vitæ ex præcedentium comparatione accenditur, &, ſi ſe aliquid eſſe exiſtimat, dum meliora de alijs cognoverit, humiliatur. *Ibid. in proœm.*

XXI. Dabis voci tuæ vocem virtutis, ſi, quod ſuades, tibi priùs perſuaſiſſe cognoſcaris; validior operis, quàm oris vox eſt. Fac, ut loqueris. *S. Laur. Iuſtin. l. de conflict. inter.*

XXII. Illa vox libentiùs Auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo imperat, oſtendendo adjuvat, ut fiat. *S. Greg. p. 2. Paſt. l. 3.*

XXIII. Non difficile æſtimatur, quod jam factum conſpicitur. *S. Ambroſ.*

XXIV. Tonitru erat ejus oratio, quia vita erat fulgur; unius námque ſplendor alterius incendium eſt. *S. Nazianz. de S. Baſil.*

Exemplum malum.

XXV. Qui in conſpectu Populi malè vivit, quantùm in illo eſt, eum, à quo attenditur, occidit. *S. Aug. l. de Paſt.*

XXVI. Nemo ampliùs in Eccleſia nocet, quàm qui perversè agens, nomen vel ordi- *S. Greg. in paſtor.*

nem

nem Sanctitatis habet. Delinquentem námque hunc redarguere nullus præſumit, & in exemplis culpa vehementiùs extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.

S. Bern. in ſerm. XXVII. Non tibi videtur graviorem ab eo Chriſtus ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione malignâ, exemplo pernitioſo, ſcandali occaſione pervertit animas, quas redemit, quàm à Judæo, qui ſanguinem ſuum fudit?

S. Chryſ. ho. 38. ad pop. XXVIII. Si non habueris opera, tantùm loquens, non profuiſti, ſed & potiùs læſiſti. Melius eſt tacere. Quare? opus mihi reddis impoſſibile. Cogito námque, quòd, ſi tu tanta diſſerens non efficis, multò magis ego veniâ dignus ſum.

S. Bern. l. 2. de conſid. XXIX. Simia in tecto, Rex fatuus in ſolio ſedens. Monſtruoſa res, gradus ſummus, & animus imus: ſedes prima, & vita infima: lingua magniloqua, & manus otioſa: ſermo multus, & fructus nullus: vultus gravis, & actus levis.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

L. 1. c. 18. §. 1. I. INtuere SS. Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulſit, & Religio, & videbis quàm modicum ſit, & penè nihil, quod nos agimus.

L. 1. c. 25. §. 5. II. Ubique profectum tuum capias, ut, ſi bona exempla videas vel audias, ad imitandum accendaris; ſi quid reprehenſibile conſideraveris, cave, ne idem facias.

L. 1. c. 18. §. 4. III. Dati ſunt in exemplum omnibus Religioſis, & plùs provocare nos debent ad bene proficiendum, quàm tepidorum numerus ad relaxandum.

L. 2. c. 4. §. 1. IV. Si rectum cor tuum eſſet, tunc omnis creatura ſpeculum vitæ, & liber ſanctæ doctrinæ eſſet.

L. 3. c. 18. §. 2. V. Etſi oneroſa ſit præſens vita, facta eſt tamen jam per gratiam tuam valdè meritoria, atque exemplo tuo Sanctorum tuorum veſtigijs, infirmis tolerabilior & clarior.

Ibid. § 3. VI. Vita tua via noſtra. Niſi tu nos præceſſiſſes, & docuiſſes, quis ſequi curaret? Heu, quot longè, retróque manerent, niſi tua præclara exempla inſpicerent!

§. V.

EXEMPLA.

Qualitas.

S. Baſil. c. 6. in conſt. Monaſt. I. CHriſtus, teſte S. Baſilio, ideo naturam humanam ſuſcepit, ut in ſe velut tabula quâdam, veram nobis pietatem depingeret, eámque omnibus ante oculos ſtatutam pro viribus imitandam ceu archetypum proponeret. Nec enim alia de cauſa corpus noſtrum geſſit, niſi ut, quoad fieri poſſit, ad imitanda vitæ ipſius ſtudia conformemus.

S. Ambr. l. 2. de virgin. II. De B. Virgine ſic loquitur S. Ambroſius: ſit vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitáque B. MARIÆ, in qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis & forma virtutis. Hinc ſumatis exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari Magiſteria expreſſ[illegible] bitatis, quid corrigere, quid fugere debeatis, oſtendunt.

S. Aug. l. 1. conf. c. 2. III. S. Auguſtinus de ſeipſo ſcribit: Exempla ſervorum tuorum, quos de nigris lucidos & de mortuis vivos feceras, congeſta in ſinum cogitationis noſtræ urebant, & abſumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus, & accendebant nos valde.

Vita. IV. S. Franciſcus cum Fratre ſuo, exiens ut, concionaretur, cùm totam civitatem circumiviſſet, denique domum redijt, dicens, ſe exemplo concionatum eſſe.

Surius in vita 4. Aug. V. S. Dominicus, ſciens homines magis exemplis, quàm verbis moveri, incredulorum familiares, Dominàſque nobiles adivit ibique in ſumma vitæ auſteritate & ſanctitate cum ſocio vixit, ut exemplo, & ſancta quâdam, ut ipſe aiebat, hypocriſi eos ad veram fidem allicerer.

Rodr. p. 1. VI. S. Macarius cùm alicubi miræ ſanctitatis, Monachos vidiſſet, domum reverſus dixit: vidi Monachos, ſed non ſum ego Monachus.

Ioh. Pat. de mort. c. 37. VII. S. Thomas Aquinas acta Sanctorum Patrum aſſiduò in manibus & pectore ferebat, ut ex eorum recordatione ad imitationem accenderetur.

Utilitas.

VIII. Duo Aulici Theodoſij, ex lecta S. Antonij vita uſque adeò immutati ſunt, ut & ſponſas, quas ducere decreverant, reliquerint, & Religionem fuerint ingreſſi.

Sur. 7. Aug. IX. S. Afra, cùm apud eam adhuc Ethnicam S. Narciſſus divertiſſet, uſque adeò exemplis ab eo datis ædificata eſt, ut & baptizari petierit, & paulò pòſt fidem glorioſo Martyrio propugnârit.

Spec. Ex. diſt. 5. ex. 12. X. Quidam Prælatus ſæcularis, eò quòd ſuis ſubditis exemplo vitæ per viginti annos ſummâ diligentiâ præluxiſſet, in morte tantâ luminis coruſcatione circumdatus eſt, ut per unam leucam & ampliùs clariſſima dies videretur.

Surius in vita S. Romualdi. XI. Reynerius Marchio homo impudicus dicere ſolebat: Nec Imperator, nec alius homo tantum mihi poteſt metum incutere, quantùm me Romualdi terret aſpectus. Ante ejus quippe vultum neque, quid dicam, ſcio, neque, quibus me defendere valeam, invenio.

Idem in vita S. Bernardini. XII. Quidam Franciſcanus interrogatus, cur ipſius conciones, licet facundiſſimæ, non eandem efficaciam haberent, ac S. Bernardini conciones? reſpondit, ſe comparari poſſe carboni calido, ſed non ignito S. Bernardinum verò ignito carboni ſimilem eſſe ob vitæ ſanctitatem; unde mirum videri non debere, ſi non perinde ſuæ, ac S. Bernardini conciones accenderent.

P. Io. Ribo. l. 7. c. 5. §. 90. XIII. Dum Ludovicus Granatenſis noctu acriter in ſe flagellis animadvertit, duo laſcivi Adoleſcentes, qui caſu propè ipſius cubiculum prætecierant, adeò immutati ſunt, ut & à [illegible]tato ſcelere abſtinuerint, & ſequenti die ad confeſſionem ei faciendam accurrerint.

Spec. Ex. deſ. 9. ex. 96. XIV. Quidam Latro à S. Abbate ad Monaſterium perductus, cùm ei à Fratre quodam omnia neceſſaria liberaliter ſuppeditarentur, ipſe verò poſtea coram eo panem in terra & aquam ſumeret, adeò tanto exemplo permotus eſt, ut ad pedes Abbatis ſe proſtraverit, & in pœnitentijs poſtea ſuſceptis alios omnes ſuperaverit.

Hiſt. Soc. p. 2. l. 6. n. 56. XV. Joannis Mendozæ ſervus Mahometanæ ſuperſtitionis, cùm nullis promiſſis ad fidem Catholicam perduci potuiſſet, ſolo exemplo Domini ſui Societatem JESU ineuntis permotus, convertit ſeſe.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Platus, l. 1. c. 26. I. S. Ignatius ex lectione vitæ Chriſti ac Sanctorum, atque adeò præclaris eorum exemplis commotus, atque ad meliorem vitam converſus eſt. Ipſe verò uſque adeò mores ſuos ad perfectam regulam morum compoſuit, ut P. Ludovicus Conſalvus faſſus ſit, ſe nullo tempore lectionis vel orationis tantopere ad amorem DEI incitari, quàm eo tempore, quo S. Ignatium aſpexiſſet.

Lancic. opuſc. 2. n. 302.

Turſelin. Xav. l. 6. c. ult. II. S. Franciſcus Xaverius in convertendis Ethnicis potiſſimùm vitæ ſanctitate & exemplo utebatur; hinc & ad idem opus ſocios lectiſſimos & primarios proficiebat, authoritatem ſequens Apoſtolorum, qui, cùm audiviſſent, recepiſſe Samariam Verbum DEI, miſerunt ad eos Petrum & Joannem Apoſtolorum Principes. Quocirca cenſebat ad Apoſtolorum munus deligendos viros egregiâ diuque ſpectatâ fide, virtute, conſtantiâ & ſanctitate. Et in Dominicæ vineæ operariis prudentiam magis ac ſanctitatem, quàm ſcientiam doctrinámque expetebat. Dicebat etiam, quod boni virtus non pariat, humanas artes haudquaquam parituras ſine virtute.

Rodrig. p. 3. tr. 1. vi[illegible] 57. III. S. Franciſcus Borgias juſſus eſt à Rege etiam imparatus Cathedram aſcendere, dicente, ſufficere, ſi nec verbum dicat, ſed ſolo ſuo exemplo concionetur.

Lancic. opuſc. 1. 8. n. 584. IV. P. Petrus Faber verba dividebat in verba verborum, verba cogitationum, & verba factorum, ac per hæc exempla intelligebat, quæ cæteris multò eſſent efficaciora ad perſuadendum.

Maff. l. 14. hiſt. Ind. V. Cùm anno 1551. Joannes Fernandius Amanguzij ad Populum diceret, & præteriens Japon ſputum in os illius projiceret, ipſéque ſine omni motu, verbóque addito, linteum extraheret, faciémque abſtergens concionari pergeret, adeò quidam Ethnicus id ſpectans hoc exemplo mutatus eſt, ut poſt concionem ad Fernandium accurrerit, & in fide inſtructus omnium primus Amanguzij ſit baptizatus.

Hiſt. Soc. l. 13. n. 66. VI. Panormi Mahometanus nobilis Collegio donatus, poſt triennij adhortationes, & preces, tandem nullâ re magis quàm aſſiduis ſociorum exemplis ad Catholicam fidem amplectendam adductus eſt.

Ibid. l. 15. n. 98. VII. In Braſilia quidam è noſtris à Superiore ad peccatorem quendam convertendum miſſus, domi illius aliquando hominem redeuntem operitur; ſed dum orditur rectà monere; meliùs, reſpondet alter, vas iſtud ſordidum purgares, & aquam, cujus nihil eſt domi, afferres. Quod cùm utrumque is ſtatim magnâ cum alacritate feciſſet, à fonte cum aqua rediens hominem adeò immutatum invenit, ut in lacrymas ſolutus, omnem dein vitam ſuam Puerorum Braſilorum miniſterio dedicârit.

Ibid. l. 3. 83. VIII. Conimbricæ cùm noſtri in nullo pretio eſſent, vererenturque Academici ad Patres noſtros accedere, juſſit P. Simon Rodericius Emmanuelem Godinum nuper in Societatem receptum, cultu, ornatúque Diſcipuli extra Societatem ad tempus eſſe, ſuo ut exemplo reliquam juventutem ad confeſſionem alliceret, eóque cultu annum ferè tranſegit, Simonis haud irrito voto.

Ibid. l. [illegible] n. 48. IX. Compluti cùm anno 1547. P. Villanova & Socij morbo affecti ex miſericordia in D. Ortizij ædibus decumberent, & ijs Famuli juſſu Domini inſervirent, hi adeò exemplo vitæ & colloquijs eorum ſpiritualibus accenſi ſunt, ut duo Societatem ingreſſi ſint, alij duo quoſcunque redditus ſuos ſocietati tradiderint.

Ibid. l. 11. n. 53. X. Venetijs anno 1551. Joannes Baptiſta Elianus adoleſcens Hebræus ductus ad P. Andream Fruſium, tum hujus, tum aliorum ſociorum, & unius maximè pedes aliorum lavantis exemplo & pietate permotus, Baptiſmum ſuſcepit, & in ſocietatem ſuſcipi petijt.

Ib. l. 3. n. 85. XI. Romæ cùm Hæreticus Adoleſcens in carcerem incluſus à nullis Theologis ad frugem reduci poſſet, tandem S. Ignatio traditus, & ab hoc in domum receptus eſt, ubi blandè aliquamdiu tractatus, paulò pòſt ultrò hæreſin abjuravit, catholicam fidem profeſſus eſt. Rogatus dein, cur, qui antè nulli terrori ceſſiſſet, Patrum ſermone flecti ſe paſſus ſit, reſpondit, ſe ita ſecum ratiocinatum fuiſſe, fieri haudquaquam poſſe, ut à tam integra, innocentique vita, commodiſque moribus, tantaque animorum conjunctione & pace, vera ac germana fides abeſſet. Qualia autem fuerint exempla, quæ viderat, explicat Author his verbis: Erant tum domi præter ſex Profeſſos, duodecim ferè alij, qui ſe nuper cum ſocietate conjunxerant, & ſuum quiſque munus curabat alacriter. Flagrabant apud eos ſtudia priſcæ pietatis, paupertatis, & Crucis Chriſti: Summa erat in obtemperando voluntas, ingens alacritas in obſequijs, mirus in convictu candor animi, ſimplices mores, compoſiti ad modeſtiam vultus, probitatis indices, & cultus interioris, ſpectaculum ſupe-

tis, hominibúſque jucundum. Nulla niſi virtutis æmulatio, nulla vox quetelarum. Mutuis officijs certabant omnes, honore invicem prævenientes. Sola erat de humilitate contentio, pacis genitrix & concordiæ: Qui cùm eſſent ex tanta morum, nationum, ætatum varietate permixti, inter ſe tamen velut unum corpus & unus Spiritus concordiſſimè vivebant, ut non tam hominum in terris degentium, quàm Angelorum cœtus in humanis cordibus viderentur. Nulla virtutis diſciplina præſtantior illorum vel conſuetudine, vel exemplo, aptis etiam ad permutandos perditos, & profligatos mores.

§. VII.

EXEMPLA PROFANA.

Lyranus in apopht. 8. Ign. l. 1. apopht. 4.

I. AUrelius Imperator Philoſophica ſtudia reducere volens, poſtquam primus ipſe Palæſtram ingreſſus eſt, mox omnes ad ſui ſequelam pellexit.

Ibid.

II. Ludovicus II. Franciæ Rex, quia Filium ob valetudinem afflictam nolebat literis imbui, effecit, ut paſſim omnes Nobiles, literas contemnerent, quas tamen cum ſumma aviditate reaſſumpſerunt, ubi Franciſcum Primum tantopere literas amare, litera tótque fovere conſpexerunt.

Ibid.

III. Cùm magnus Alexander eollo nonnihil obtorto eſſet, uſque adeò Aulici imitari eum ſtuduerunt, ut amicus Regis non crederetur, qui collum non obtorqueret.

Ibid.

IV. Æthiopes, teſte Iſidoro Siculo, tantis Reges ſuos amoribus proſecuti ſunt, ut ad eorum imitationem vivere, veſtiri, comedere, bibere, loqui, incedere, ac quieſcere, imò & oculum unum effodere, ſi Rex Monoculus eſſet, ſolerent.

Curtius l. 5. c. 14.

V. Alexander Macedo interiorem Perſidem penetraturus, cùm ad viam nivibus obſitam, gelúque conſtrictam perveniſſet, ab eáque ineunda fatigatum Militem abhorrere videret, ex equo deſcendit, primúſque dolabrâ ſibi viam fecit, ſicque effecit, ut & Milites promptè ſequerentur.

Pacatus in ſu. orat.

VI. Theodoſius Imp. cùm in menſa frugalitati præcipuè ſtuderet, effecit, ut in omnes nobilium Romanorum menſas eadem frugalitas penetraret, ubi de eo Pacatus his verbis teſtatur: Tuæ, Imperator, epulæ locorum ac temporum fructibus inſtruuntur; hinc certatim in omnes luxuriæ pudor inolevit, & quieſcentibus legum minis, ſubijt quandóque privatim ſua pœnitentia. Sic eſt enim, ſic eſt, exaſperat homines imperata correctio, blandiſſimè jubetur exemplo.

Clemens Alex. l. 2. Strom.

VII. Zeno Stoicus dicere ſolebat, malle ſe unum Indum videre, qui ſe ſponte flammis abſumat, quàm omnes de patientia audire & diſcere probationes.

Surius in comm. f. 404.

VIII. Carolus Quintus Imperator cùm ad Albin fluvium cum ſuo exercitu veniſſet, primus inauratis armis conſpicuus, generoſo equo trajecit, quo exemplo permoti milites, mox & ipſi pedibus à tergo equorum inſidentibus fluvium ingreſſi, eóque ſuperato inſignem victoriam retulerunt.

Æneas Silvius de dictis Alph.

IX. Alphonſus Rex Aragonum cùm moneretur, ut habitu plebeio, quo utebatur, rejecto, regali uteretur, malo, reſpondit, moribus & authoritate meos excellere, quàm diademate & purpurâ.

§. VIII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Iulius Pacianus c. 21.

I. SIcut Phrygio pretioſam auri telam conſcidit, ut opus inde pulcherrimum efficiat; ita DEUS ſuos Sanctos diſſecari velut pretioſiſſimas telas permiſit, ut inde nobis pulcherrimum Exemplorum opus relinqueret.

Platus l. 2. c. 26.

II. Sicut in foro plurimi opifices conveniunt, quorum unus panes, alter oleta, tertius veſtes vendit; ita in orbe nemo omnes virtutes habet, ut, quod ipſi deeſt, ab aliorum exemplis mutuetur.

S. Baſil. in epiſt. ad Gregor.

III. Sicut Pictores, cùm imaginem depingunt ab alia imagine, identidem ad exemplaria reſpiciunt; ita, qui ſe in omnibus virtutibus perfectum efficere cupit, elaborare debet, ut quaſi ad ſimulachra motu & actione prædita ad vitas Sanctorum aſſiduò oculos convertat.

Plutarch. in moral.

IV. Sicut qui ſe comunt, continuò ſpecula aſpiciunt; ita qui negotium feliciter & præclarè gerere cupit, laudatorum virorum exempla ſibi proponat.

Langius in Pol.

V. Sicut Zeuxis picturus Junonem, quinque Virgines pulcherrimas accepit, ex quibus, quod pulcherrimum erat, in ſuam imaginem tranſtulit; ita è plurimis optimi ad exemplum vitæ proponendi, & ex ijs, quod optimum eſt ad imitationem aſſumendum eſt.

Staplet. in D. in Dom. 20. poſt Pent.

VI. Sicut columbæ unâ viſâ avolante ſequuntur omnes: pullus in armento equorum exiliens, ſecum omne armentum rapit: arietem Grex omnis ſequitur; ſic inter homines fieri ſolet, utpote animal ſociale, & ad morum communicationem proclive.

Utilitas.

Ibid.

VII. Sicut infirmæ arbores, quæ ſe in altum erigere nequeunt, ut vitis, hedera & ſimiles, alias arbores apprehendunt, earúmque nexibus in ſublime ſe extollunt; ita homines imperfecti exemplis perfectorum ad perfectionem excitantur.

Platus l. 2. c. 26.

VIII. Sicut ſi plures ſimul currant, tum maximè ſuam quiſque tarditatem deprehendit; ita & Religioſus quiſque nunquam magis cognoſcet, quàm parùm profecerit, quàm ſi ad alios ante ſe currentes attendat.

S. Clim. gr. 26. IX. Sicut Pauperes, cùm theſauros regios aſpiciunt, ſuam paupertatem ampliùs cognoſcunt; ita & magnificas Patrum virtutes, unuſquiſque relegens, mentem ſuam amplius humiliat.

S. Clim. l. 4. X. Sicut equus etiam pigerrimus ab aliorum celeri curſu ad ſequendum excitatur; ita & homo acedioſus ad currendum in via Domini, aliorum exemplo incitatur.

Anonym. XI. Sicut Columbarij, ut aliorum columbas capiant, unam vel alteram balſamo inungunt; ita Chriſtus animas Apoſtolorum inunxit virtutum balſamo, ut alij Fideles hoc odore attracti cum ijsdem in cælum perducerentur.

S. Chryſ. ho. 3. in gen. XII. Sicut Cæli, licet taceant, ſolo ſuo aſpectu homines ad laudem DEI invitant, maximè cùm noctu ſtellis illuſtres apparent; ita & homines perfecti & virtutum ſtellis conſpicui, DEUM etiam ſilentes laudari faciunt.

Alphonſus Arag. Rex. XIII. Sicut Heliotropium ad motum ſolis, ita Populares ad mores Principis efformantur, & vertuntur.

Beirlink. the. 2. in Feſto Nat. XIV. Sicut ex ſanitate capitis ſanitas derivatur in membra, ex luce Solis toti orbi communicatur lumen; ita à Principe bonitas in Populum deſcendit.

Exemplum malum.

Lang. in polyant. XV. Sicut ſolis defectus magnam mortalium perniciem trahit; ita regentis error magnam gignit in ſubditis perturbationem.

Granat. in loc. com. f. 327. XVI. Sicut typo librario uno apud Typographos vitiato omnes poſtea reliqui libri inde impreſſi vitiati prodeunt; ita unius Principis offendiculum, totius populi fit vitium.

§. IX.

M O T I V A.

Matt. 5. v. 16. I. QUia *exempla conducunt ad glorificandum DEUM*, uti Chriſtus indicavit, dum dixit: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.

II. *Quia efficaciſſimum inſtrumentum ſunt ad lucrandum proximum*: nam, ut Seneca rectè dixit, longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla.

S. Hier. in vita S. Pauli Erem. III. Quia conducunt *ad humiliandos nos*: ſic S. Antonius à S. Paulo revertens dixit: Heu me miſerum Peccatorem, qui non niſi umbra ſum Monachi, & falsò Religioſi nomine glorior. Vidi Eliam, vidi Joannem Baptiſtam in deſerto, cùm vidi Paulum in Paradiſo.

Hebr. 13. v. 7. IV. Quia *ad imitationem præclarorum factorum provocant*: hinc S. Paulus Hebræos hortatur: mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt Verbum DEI, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem. Et confirmans id ipſum S. Gregorius in illud: Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, ait: Ex æternis montibus DEUS nos illuminat, quia per admirandam vitam Patrum præcedentium radio nos ſuæ claritatis illuſtrat. *Pſ. 75. v. 5.* *S. Greg. l. 17. mor. c. 5.*

V. *Quia roborant in adverſis*: cùm idem quodammodo dicant, quod olim Continentia S. Auguſtino dixit: Potuerunt iſti & iſtæ, & tu non poteris? Verè enim non difficile æſtimatur, quod jam factum conſpicitur.

VI. *Quia conſolantur in tribulationibus*: cùm enim ſolatium ſit miſeris, ſocios habere, non poteſt non magnum haurire ſolatium tribulatus, ſi Chriſti & aliorum Sanctorum exempla ob oculos ponat.

S. Aug. de imit. Chriſti. VII. *Quia ſunt occaſio, Sanctos ſummè honorandi*: ſumma námque religio eſt imitari, quod colimus, teſte S. Auguſtino. Et juxta S. Ildephonſum, non tantùm illis prodeſt noſtra laudatio, quantùm nobis eorum imitatio.

§. X.

M E D I A

I. AMor DEI: ſic enim incitabimur, ut per bona exempla nos veros eſſe Filios DEI oſtendere ſtudeamus, ſicque glorificemus Patrem noſtrum, qui in cælis eſt.

II. *Amor communitatis*, cui adſcripti ſumus: ſic enim non modicos ſtimulos ad vitam exemplarem ſentiemus, utpote ſcientes, toti communitati adſcribi, quidquid ab uno membro patratur.

III. *Amor ſeu Zelus proximi*: hic enim vehementer impellet ad bona exempla, velut primarium converſionis alienæ inſtrumentum, arripienda.

2. ad Tit. v. 7. IV. *Amor ordinatus noſtri ipſorum*: ſic enim ſtudioſè obſervare conabimur, quod S. Paulus monet: In omnibus præbe teipſum exemplum bonorum operum, in doctrina, verbum ſacrum, irreprehenſibile, ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens dicere de nobis.

§. XI.

A S C E T I C A.

Caſſ. l. 4. c. 38. I. TRia ſunt, quæ Aſceta de exemplo ſpecialiter obſervare debet. Primum eſt, ut bene doctrinam Caſſiani obſervet dicentis: Exempla tibi ſunt imitationis ac vitæ perfectæ in Congregatione commorantis, à paucis, imò ab uno vel duobus, non à pluribus expetenda. Cui conſenit S. Bernardus, dum ait: Elige tu ipſe tibi hominem conſilio meo, cujus vitæ exemplar ſic cordi tuo inſederit, reverenda inhæſerit, ut, quoties ejus recordatus fueris, ad reverentiam cogitati aſſurgas, & teipſum ordines ac componas, ac ſi præſens ſit, in affectum mutuæ caritatis emendes *S. Bern. ad FF. de monte DEI.*

det in te omnia emendanda, & tamen nullum patiatur damnum ſecreti ſui ſolitudo tua. Hic præſens tibi adſit, quandocunque volueris: occurrat ſæpe & cùm nolueris Increpationes ejus deſcribe tibi. Sic Petrus Bleſenſis de ſeipſo teſtatur: Diu à retroactis temporibus aliquem tui Ordinis (Ciſtercienſis) virum ſemper mecum habui, meæ converſationis teſtem, meíque corporis & animæ Angelum & Cuſtodem. Unum tamen elegi, & prælegi mihi dilectum DEO & hominibus, quem judicio meo longè differentiùs multis quædam præeminentia probatiſſimæ illuſtrat religionis &c. Ipſe procul dubio DEI eſt, Canonicæ inſtitutionis ſereniſſimus æmulator, ſuæ carnis crudeliſſimus adverſarius &c. Memoriam ejus poſui tanquam ſignaculum ſuper cor meum, cujus humilitatem, maturitatem, prudentiam, conſtantiam, &, ut includam multa paucis, incomparabilem honeſtatem, in interioribus meis jugi recordatione circumfero, quantumcunque permittit converſatio ſecularis, ad exemplar illius, quaſi ad ſigilli Spiritualis imaginem me conſigno.

Petrus Bleſenſ. in invectiva adverſus obtrect.

II. Alterum eſt, ut, licet unum velut Ducem & Magiſtrum Spiritualis viæ ſequi debeat, non tamen omittat à pluribus interdum ex occaſione fructum ſpiritualem capere; nam, ut bene Caſſianus monet, vetus eſt beati Antonij admirabiliſque ſententia, Monachum Spiritualia mella condere cupientem, velut apem prudentiſſimam, debere unamquamque virtutem ab his, qui eam familiariùs poſſident, deflorare, & in ſui pectoris vaſe recondere. Cunctas námque ſi ab uno volumus mutuari, aut difficile, aut certè nunquam idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri. Hinc & Thomas Kempenſis monet: Ubique profectum tuum capias, ut, ſi bona videas, vel audias, ad imitandum accendaris. Si quid autem reprehenſibile conſideraveris, cave, ne idem facias; aut ſi aliquando feciſti, citiùs emendare ſtudeas.

Caſſ. l. 5. c. 4.

L. 1. c. 25. §. 5.

III. Tertium eſt, ut meminerit, in Sanctis quæpiam frequenter admiranda eſſe potiùs, quàm imitanda, adeóque doctrinæ S. Baſilij meminerit dicentis: In qua re quiſque noſtrûm ſenſerit, ſe deficere, in illo aſſiduè incumbens, tanquam ab officina quâdam medicinæ appoſitum ſuæ infirmitati medicamentum invenire poterit.

S. Baſil apud Bern. ſe 11. in feſto Omnium SS.

§. XII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Cant. 1. v. 4.

I. EX occaſione thematis: *Trahe me poſt te: in odorem curremus unguentorum tuorum*: poteſt oſtendi 1. quàm meritò exempla poſſint odori comparari, juxta illud S. Bernardi: Habent enim mores colores ſuos, habent & odores: odorem in fama, colorem in conſcientia: Colorem operi dat ejus bonitas, & cordis intentio: odorem modeſtia & virtutis exemplum. 2. Quàm efficax ſit hic odor ad trahendas animas; id quod authoritate SS. Patrum & exemplis ſuprà allatis probari poteſt.

S. Bern. ſ. 71.

II. Ex occaſione thematis: *Vos eſtis lux Mundi*: poteſt oſtendi, quomodo quilibet ſuperior reſpectu ſubditorum ſuorum debeat eſſe lux, & tria officia ſeu effectus lucis producere. Nempe 1. *purgare*: exiccando lutum & faces peccatorum, ita tamen ut ipſe, dum purgat, non maculetur. 2. *Illuminare*, docendi ea, quæ ad vitam honeſtè & piè traducendam ſunt neceſſaria. 3. *Calefacere*: bonis exemplis ad amorem DEI & proximi accendendo; id quod particularibus caſibus ampliùs explicandum erit.

Matt. 5. v. 15.

III. Ex occaſione thematis; *Præcedam vos in Galilæam*: poteſt 1. oſtendi neceſſitas boni exempli in ijs, qui præſunt, eúmque in finem afferri S. Laurentij Juſtiniani ſententia dicentis: Debet priùs dominari ſibi, qui cauſæ conſtituendus eſt Judex alienæ. Ridiculum eſt aſpicere foris in cathedra reſidentem, & intus in paſſionum fœtoribus ſepultum. 2. Quomodo debeat practicè præcedere tum in vitiorum fuga; tum in virtutum Chriſtiano competentium exercitio; hoc enim eſt in Galilæam, id eſt, tranſmigrationem præcedere.

Matt. 26. v. 32.

S. Laur. Inſtit. de Chriſti agone c. 12. §. 5.

IV. Ex occaſione thematis: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*: poteſt oſtendi. 1. Quomodo debeamus depingere & imitari Sanctos, ſcilicet animam noſtram pro tabula uſurpando, pro coloribus virtutes, pro penicillo actuale exercitium, & oculos ſemper ad Prototypon convertendo. 2. Cur omnem diligentiam in tali imitatione adhibere debeamus, nempe quia, ut S. Ildephonſus dixit, non tantùm illis prodeſt noſtra laudatio, quàm nobis iſtorum imitatio; nam prodeſt ad humiliationem, inſtructionem, roborationem, conſolationem, præmiationem; quæ omnia facilè ex dictis oſtendi poſſunt.

Phil. 3. v. 17.

§. XIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. ABbas Pœmen dixit, hominem, qui alios docet, & non facit ea, quæ docet, ſimilem eſſe fonti alto, qui omnium res lavat, & omnes ſatiat potu, ſeipſum autem lavare non poteſt, ſed habet immunditias & ſordes.

Vita PP. l. 5. n. 185.

II. S. Paphnutius dicere ſolebat, orationes Spirituales, quæ non à vita honeſta comitantur,

Ibid. l. 8. n. 15.

tantur, eſſe ſpicas, quæ à vento intereunt, quæ habent quidem figuram ſpicæ, ſed alimento carent.

Granat. in loc. com. f. 578. Levit. 25. v. 36.

III. DEUS olim vetuit: Ne accipias à Fratre tuo uſuras, nec ampliùs, quàm dederis. Super quæ verba Flavianus, qui ſunt, ait, qui uſuras accipiunt? niſi qui ad ea cogunt alios, quæ ipſi non faciunt, quorùmque exemplum illis non præbuerunt? hi ſunt enim, qui alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea ſuper humeros hominum, digito autem ſuo nolunt movere.

Ibid. Lev. 19. v. 19.

IV. Sed & alibi dixit DEUS: non ſeras agrum diverſo ſemine. quod idem Author ad exemplum applicans, ager, inquit, eſt Eccleſia, de qua Paulus ait: DEI agricultura eſtis. Diverſum autem ſemen ſeminat in hoc agro, qui dicit, & non facit, quæ loquitur, ſed contraria operatur, verbo triticum ſpargens, exemplo autem ſemen ſtipularum in corde Proximi jaciens.

Engelgr. Embl. 18. Luc. Evang.

V. Cancer marinus cùm prolem ſuam in litore tam diſtortos greſſus adverteret facere, ideóque increparet, & rectà incedere juberet, audijt ab illa, præcederet modò ille, mox ſe ſecuturam.

Ibid.

VI. Veteres ſacerdotem depingentes eidem in una manu ſolem, in altera horologium tribuebant, innuere volentes, eum non tantùm illuminare, ſed etiam vitæ exemplo dirigere, alios, vitámque ſuam dictis, velut horologium ſoli conformare debere.

Ibid.

VII. Carolus Quintus dicere ſolebat, ſe, ubi civitatem ingrederetur, tria PPP. inquirere, ac obſervare, an bonus in ea ſit Paſtor, Prætor, Præceptor; Quibus ſalvis ſe non dubitare de bono ſtatu reipublicæ.

Ibid.

VIII. Solon populares homines, Principum umbras vocabat, ut enim umbræ figuras corporis, ita hi Principum mores adumbrant, & corpore curvo fruſtra recta umbra exſpectatur.

Ibid.

IX. Alius, vulgus ſpeculum Principum appellabat; ut enim hoc ridenti arridet, flentem deflet, geſtientis geſtus refert, ita vulgus Principum nutus ac mores in ſe exprimit.

S. Chryſ. in eit. loc.

X. S. Scriptura patientiam Job deſcriptura præmittit: vir, ſeu ut Chaldæi vertunt, homo quidam erat in terra Hus nomine Job, quod teſte S. Chryſoſtomo, ideo factum, ne quis certaminum ac patientiæ ſpectatæ magnitudine incredibili, peregrinâ eum, & non humanâ naturâ præditum arbitraretur; ideo naturam à proximo ponit aſpectu.

Num. 10.

XI. Quando inſtruxit DEUS Moyſen de fabricatione ſanctuarij, non ſolùm dixit ei, quomodo ſingula facere deberet, ſed etiam ei exemplar obtulit, illúdque inſpicere juſſit, bene videlicet ſciens, exempla magis inſtruere, quàm verba. Sed & ante legis promulgationem, ſecum quadraginta diebus & noctibus in monte habitare voluit, ut tantùm eſſet DEI amore accenſus, ut ipſe ardenter diligeret, & alios, ut diligerent ſe, moneret, quemadmodum S. Chryſologus notat.

Exod. 24. v. 18.

Luc. 2. v. 20.

XII. Dum de Paſtoribus S. Lucas dicit, quòd reverſi glorificaverint DEUM, *ſicut dictum eſt ad illos*, quærit Nyſſenus, quomodo hæc verba addere Evangeliſta potuerit, cùm Angeli ſolùm dixerint: Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Salvator? & reſpondet, cum Hugone Cardinale: Referunt laudes & gloriam DEO, non quòd Angeli imperâſſent laudare, ſed quia ipſi laudando offerebant formam devotionis ſuæ, dum dicunt: Gloria in altiſſimis DEO.

S. Chryſol. ſerm. 127.

XIII. Herodias à Matre caput S. Joannis petijt, id quod Dæmon ſuggeſſit. Ut S. Chryſologus notavit dicens: De Matris pectore dat rugitum nova bellua, contemptâ corporis prædâ, caput ipſius truncatura pervadit, ſciens in capite omnem perniciem aut felicitatem rerumpublicarum eſſe poſitam.

XIV. Nyſſenus quærit, cur ad nuptias Rex Evangelicus miſerit ſervos duntaxat, ad operarios verò conducendos ipſe iverit? & reſpondet, ad nuptias utpote rem gratam nullo motivo fortiore opus fuiſſe, ſecus verò in invitatione ad labores; hinc ipſum Dominum exemplo ſuo invitare voluiſſe.

Utilitas.

Engelg. p. 2. cal. in Feſto S. Iac. §. 1.

XV. Joannes II. Rex Luſitaniæ, cùm amicus quidam ægrotaret, & potionem acerbam à medico porrectam bibere nollet, calicem arripuit, & prægustavit, ut ſuo exemplo ad bibendum incitaret.

S. Bern. ſ. 21. in cant.

XVI. S. Bernardus ſuper illa verba: Trahe me, poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum &c. pulchrè ſic diſcurrit: O pulchra, ô felix, ô beata, ediſſere nobis hujus diſtinctionis rationem. Trahe me, ais, quare me, & non nos? an hoc bonum invides nobis? abſit. Neque enim protinus dixiſſes, adoleſcentulas tecum eſſe curſuras, ſi ſola poſt ſponſum ire voluiſſes. Cur ergo pluraliter mox ſubjunctura *curremus*, trahi te ſingulariter poſtulâſti? non curram ego ſola, etſi ſolam me trahi petierim: current & adoleſcentulæ mecum. Curremus pariter, curremus ſimul, ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo & hortatu.

Senec. in Trag.

XVII. Rectè Seneca:

Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.

Apud Boirl. tr. 2. in Feſt. Nativ.

XVIII. Magnorum virorum non minùs memoria, quàm præſentia eſt utilis, ſapienter quidam dicebat.

Ibid.

XIX. Bonum exemplum, virgis Jacobi in canali ovium poſitis ſimile eſt; quales enim colores ipſum habebit, tales habebunt & ij, qui conſpicient illud.

§. XIV.

§. XIV.

AXIOMATA.

I. QUalis Rex, talis Grex.
Wie der Herr / alſo die Heer.

Eccl. 10. v. 2. II. Qualis eſt Rector civitatis, tales & inhabitantes in ea.
Wie der Oberer / alſo der Underthan.
Wie der Richter / alſo der Schlichter.

Prov. 19. v. 15. III. Princeps amans mendacia, habet omnes miniſtros impios.
Ein Fürſt / dem wohl iſt mit liegn /
Werden d' Diener offt betriegn.

IV. Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.
Das Volck wendet ſich nach deß Herrn Will /
Wie das Fähnlein am Tach nach dem Wind.

V. Per ſancta & pia exempla
DEO parantur gratiſſima templa.
Durch gut vnd herzlich Exempl
Baut man GOTT angenehme Templ.

VI. Longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla.
Zu dem Menſchlichen Hertzen kombt man geſchwinder durch Exempel / als durch wollreden.

VII. Optimus orator, qui factis ſuadet.
Der gibt den beſten Rath /
Der / was er will / lehrt mit der That.

§. XV.

AUTHORES.

I. JOannes Buſæus in Panario. V. Exemplum malum.

II. Georgius Stengelius in toto libro inſcripto: Vis & virtus Exemplorum.

III. Ludovicus Granatenſis in locis communibus f. 337.

IV. Nicolaus Lancizus opuſ. 13. c. 4.

V. Joſephus Langius in Polyanth. v. eodem.

VI. Thomas Stapletonus. te. 2. dom. 15. & t. 8. dom. 20. poſt Pent. Item t. Dom. 6. poſt Epiph.

VII. Laurentius Beyrlinck. te. 3. in Feſto Epiph. & te. 2. in Feſto Nativ. Dom.

TITVLVS XVI.

INFERNUS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Pædag. Chriſt. p. 2. c. 8. §. 9. ESt locus ijs deſtinatus, qui lethali peccato obnoxii, impœnitentes vitâ decedunt; ubi cùm Dæmonibus, beatificâ DEI viſione, & bonorum omnium æternâ fruitione orbati, æternis autem graſſantis flammæ ardoribus addicti, ſine fine, requie, & intermiſſione ardebunt. Clariùs alii ſic deſcribunt: Infernus eſt locus ſubterraneus damnatis Angelis & Hominibus paratus, in quo eſt omnis boni abſentia, omnis mali præſentia, omnis pœnæ indeſinentia. Vocatur etiam in Scriptura Gehenna, ob comparationem cū valle profunda propè Jeruſalem, ubi Judæi Idolo Moloch Filios ſuos in igne immolabant, & ne pereuntium ejulatus audiretur à Parentibus, tympanum pulſabatur, qui locus Gehenna ſive Tophet appellabatur.

Diviſio.

II. Dividitur hæc Inferni pœna communiter in Pœnam *damni*, & *ſenſûs*; quarum prior privatione viſionis beatificæ, poſterior in dolorum ſenſibilium inflictione conſiſtit; cùm enim Divina Juſtitia ſecundùm doctrinam D. Thomæ æqualitatem poſtulet, in culpa autem duo interveniant averſio à DEO, & converſio ad creaturas, quibus DEUM poſtponit Peccator, juſtum omnino videtur, ut nec in conſpectum hujus beneficam unquam admittatur, nec à creaturis aliud, quàm tormenta experiatur. *S. Thom. 3. contr. gent. c. 145.*

Pœnæ particulares.

III. Prima, *tenebræ*, juxta illud Chriſti: *Matth. 22. v. 13.*
Mittite eum in tenebras exteriores, ut, quemadmodum S. Auguſtinus diſcurrit, penitus *S. Aug. in*
extra DEUM ſit, quiſquis, dum tempus eſt, *pſ. 6.*
corrigi noluerit. Hinc Iſaias clamat: tenebræ *Iſ. 32. v.*
& palpatio factæ ſunt ſuper ſpeluncas, uſque *14.*
in æternum. Atque adeò hortatur Jeremias: *Ier. 13. v.*
date Domino DEO veſtro gloriam, antequam *16.*
contenebreſcat.

IV. Secunda, *Fletus*, juxta illud Matthæi: *Matth. 13.*
ibi erit fletus & ſtridor dentium, fletus quidem, *v. 42.*
ut S. Bernardus ait, ob ignem, qui non ex- *S. Bern ſ. 8.*
tinguitur; ſtridor verò ob vermem, qui non mo- *in pſ. qui*
ritur; de quo fletu rectè S. Cyrillus, illic, ait, *ha.*
ingemiſcunt aſſiduè, nec ullus miſeretur: clamant de profundis, & nemo flectitur: lamentantur, & nullus eripit.

V. Tertia eſt, *Fames & ſitis* juxta illud S. Da- *Pſ. 58. v. 7.*
vidis famam patientur ut canes. Et bibent de *Apoc. 14. v.*
18.

Iſ. 65. v. 13.

vino iræ DEI. Sícque implébitur Prophetia Iſaiæ dicentis: Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis: Ecce ſervi mei bibent, & vos ſitietis.

Apoc. 21. v. 8.

VI. Quarta, *Fœtor*, juxta illud Apocalypſis: Pars illorum erit in ſtagno ardenti, igne, & ſulphure. Quam gravis autem hic fœtor futurus ſit, ex S. Bonaventuræ teſtimonio colligi poteſt dicentis: ſi vel unius damnati cadaver in orbe hoc noſtro ſit, orbis totus ab eo inficeretur.

Apud Drex. c. 5. rogi. damn.

Marc. 9. v. 46.

VII. Quinta, *Ignis*, juxta illud S. Marci: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguetur. De quo ipſe DEUS, ignis, inquit, ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima. Et clariùs S. Hieronymus: in uno igne omnia ſupplicia ſentiunt in inferno Peccatores.

Deut. 32. v. 22.

S. Hier. in Pam.

Innoc. l. 3. de miſer. hum. vit. c. 2.

VIII. Sexta, *Vermis*, juxta citatum D. Marci textum, qui quidem duplex eſt, Innocentio teſte, interior, qui rodit cor: exterior, qui rodit & urit corpus. Hic eſt vermis, inquit D. Bernardus, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel injectus, vel potiùs innatus per peccatum, hæſit firmiter, numquam deinceps avellendus. Nec ceſſat rodere conſcientiam, eáque paſtus eſcâ utique inconſumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis.

S. Bern l. 5. de conſid.

Job. 10. v. 21.

IX. Septima, *Locus*, de quo Job: dimitte me ergo, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non revertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. De quo loco patheticè S. Bernardus ſic loquitur: O regio dura & gravis, regio extimeſcenda, regio fugienda, terra oblivionis, terra afflictionis, terra miſeriarum, in qua nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Locus letifer, in quo ignis ardens, ubi frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confuſio peccatorum. Totus tremo atque horreo ad memoriam iſtius regionis, & concuſſa ſunt omnia oſſa mea.

S. Bern. ſ. de quinq; region.

Caſſian in confeſſ. Theol. p. 3.

X. Octava, *Societas*: nam, ut Caſſianus ait, ibi atroces ſanè Angeli commorantur, quorum brachia ſunt ut capita Draconum, quorum oculi igneas ex ſe ſagittas emittunt, quorum dentes ut Elephantis prominent, & ſtimulant ad tormentum ut caudæ Scorpionis, quorum aſpectus dolorem inducit, tremorem, ac mortem. Et hi nempe ſunt Spiritus illi, qui, teſte Siracide, ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo firmaverunt tormenta ſua; ut, quemadmodum Liranus loquitur, qui fuerunt illis voluntariè ſubjecti in culpa, eis involuntariè ſubjiciantur in pœna. Nec credat, quis ſolatium ſe ex eo capturum, quod multos ſe in his tormentis ſocios habere videat, nam conſolatio, ut ſapienter advertit S. Auguſtinus, quæ à malis aliorum originem trahit, in mediocri tantùm afflictione locum habet; quando autem magnus eſt cruciatus, & anima nimium vexata, adeò fluctuatur, ut ſeipſam quoque ignorare videatur, nullum ex aliorum conſortio ſolatium percipere poteſt; id quod ex Podagrico colligere licet, qui, ſi acutis doloribus cruciatur, etſi mille offerantur vehementius dolentes, ne reſpicere quidem dignabitur.

Eccl. 39. v. 33.

Jer. 30. v. 12.

XI. Nona, *Deſperatio*: damnatis quippe illud Jeremiæ vaticinium convenit: Inſanabilis eſt fractura veſtra, peſſima plaga veſtra, plagâ inimici percuſſi eſtis, caſtigatione crudeli, inſanabilis eſt dolor veſter. Quæ pœna meritò graviſſima cenſeri poteſt, cùm juxta commune proverbium, ultima omnium malorum ſit æterna deſperatio.

Matth. 25. v. 41.

XII. Decima, *Æternitas*, juxta illud Chriſti: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Ut ſciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina ſua irrevocabilem.

Ezech. 21. v. 5.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Pſ. 10. v. 7.

I. PLuet ſuper peccatores laqueos, ignis, & ſulphur, & Spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Job. 24. v. 19.

II. Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius.

Matth. 8. v. 12.

III. Filii regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus & ſtridor dentium.

Iſ. 33. v. 14.

IV. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?

Jer. 9. v. 15.

V. Ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis.

Apoc. 14. v. 9.

VI. Si quis adoraverit beſtiam & imaginem ejus, & acceperit characterem ejus in fronte ſua, aut in manu ſua, hic bibet de vino iræ DEI, quod miſtum eſt mero.

Malach. 4. v. 1.

VII. Ecce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem, ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen.

Quantitas.

Sap. 6. v. 6. & 10.

VIII. Potentes potenter tormenta patientur. Et fortioribus fortior inſtat cruciatio.

Apoc. 18. v. 7.

IX. Quantùm ſe glorificavit, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum & luctum.

Ibid. v. 6.

X. Reddite illi, ſicut & ipſe reddidit vobis: & duplicate duplicia ſecundùm opera ejus: in poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum.

Æter-

Æternitas.

Pſ.76.v.19. XI. Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt: vox tonitrui tui in rota.

Matth. 25. v. 46. XII. Ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam.

Iſ.34.v.9. XIII. In ſempiternum aſcendet fumus ejus, á generatione in generationem deſolabitur; in ſæcula ſæculorum nullus erit tranſiens per eam.

Ibid.66.v.24. XIV. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinquetur.

Apoc.9.v.6. XV. In illa die quærent homines mortem, & non invenient eam: & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

Ier. 51. v. 39. XVI. Inebriabo eos, ut ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgant.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Veritas.

Innoc. de contemptu mun. c.10. I. NUllus ſibi blandiatur, & dicat, quia DEUS non in finem iraſcetur, neque in æternum indignabitur, ſed miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Quia cùm iratus eſt, non obliviſcetur miſereri, nec quia, quam eorum, quæ fecit DEUS, odivit. Aſſumens in errorem argumentum, quod ait Dominus per Iſaiam Prophetam: congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur in carcerem, & poſt multos dies viſitabuntur. Homo namque peccavit ad tempus, non ergo puniet DEUS in æternum. O ſpes inanis! O falſa præſumptio! non credat fruſtrà errore deceptus, quòd aliquo pretio ſit redimendus, quoniam in inferno nulla eſt redemptio. Congregabuntur ergo Peccatores in lacum, & claudentur in carcerem, ſcilicet in inferno, in quo ſine corporibus uſque in diem judicii torquebuntur, & poſt multos dies, poſtquam videlicet reſurgent cum corporibus ſuis in noviſſimo die, viſitabuntur, non ad ſalutem, ſed vindictam, quia poſt diem judicii graviùs punientur.

S. Aug. l. 21. de civ. DEI c.10. II. Dixit hoc infinita DEI Sapientia: & quæ damnatos punit, eſt infinita DEI potentia, quod facit miris, ſed veris modis.

Qualitas.

S. Aug. de fide. ad Petrum. III. In inferno, etſi erit ſtimulus pœnitudinis, nulla tamen erit correctio voluntatis, à quibus ita culpabitur iniquitas propria, ut nullatenus ab iis diligi poſſit vel deſiderari juſtitia.

S. Greg. l. 9. moral. IV. Illa ultrix flamma concremationem & lumen non habet, quia quò illos gehennæ flamma devorat, à viſione veri luminis cæcat, ut foris eos dolor combuſtionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obſcuret, quatenus qui Authori ſuo corpore & corde deliquerunt, ſimul corde & corpore puniantur, & utrobique pœnas ſentiant, qui, dum hîc viverent, pravis ſuis delectationibus ex utroque ſerviebant.

Idem c. 8. ſup. Matth. V. Ejicientur in tenebras exteriores, ut illic dentes ſtrideant, qui hîc de edacitate gaudebant; nam fletus de ardore, ſtridor de frigore excitari ſolet. Ibi duplex eſſe oſtenditur gehenna, ſcilicet nimii frigoris, & intolerabilis fervoris.

Ibid. l. 1. de ſum. bono. VI. Ignis gehennæ lucebit miſeris ad augmentum, ut videant, unde doleant; & non ad conſolationem, ne videant, unde gaudeant.

S. Greg. l. 15. mor. c. 8. VII. Affligetur relictus in tabernaculo ſuo. Iniqui tabernaculum caro eſt, quia ipſam lætus inhabitat, &, ſi ſit poſſibile, optat, ut eam nunquam relinquat. Quam videlicet carnem cùm in reſurrectione receperit, cum ea gehennæ igni traditus ardebit; tunc ab ea educi appetit, tunc ejus tormenta evadere, ſi valeat, quærit, tunc incipit velle vitare, quod amavit. Sed quia eandem carnem DEO prælpoſuit, judicante DEO agitur, ut ex ea ampliùs in igne crucietur. Hîc itaque eam relinquere non vult, & tamen ab ea abſtrahitur; illic eam relinquere appetit, & tamen in ea propter ſupplicia ſervatur. Ad augmentum itaque tormenti & hîc de corpore nolens educitur, & illic in corpore tenetur invitus; & propterea de talibus dicitur: affligetur relictus in taberanaculo ſuo.

Quantitas.

Idem l. 9. moral. VIII. Licet gehenna una ſit, non tamen cunctos unâ, eadémque qualitate ſuccendit; quia, quod hîc diſpar agit valetudo corporum, hoc illic exhibet diſpar cauſa meritorum.

Orig. ho. 8. in l. num. IX. Si peccator ſum, nunquid eadem mihi erit pœna, ſi ſemel peccavi, quæ, etſi ſecundò, & tertiò, & ſi frequentius peccemus? non ita erit, ſed pro modo, & numero, & menſurâ peccati, etiam pœnæ quantitas metienda eſt. DEUS enim dabit nobis panem lacrymarum, & potabit nos lacrymis; ſed in menſura; menſura autem hæc erit, quam ſibi quisque vel minùs, vel ampliùs peccando quæſierit.

S. Greg. in c. 13. Matt. X. Colligite primùm Zizania, ait: Faſciculos ad comburendum ligare, eſt eos, qui æterno igni tradendi ſunt, pares paribus ſociare, ut, quos ſimilis culpa inquinat, par etiam pœna conſtringat.

Æternitas.

Idem l. 9. moral. XI. Quisquis ad toleranda inferni mala deſcendit, nequaquam ulterius ad lucem redibit; quia nequaquam ultrà miſericordia parcentis liberat, quos ſemel in locis pœnalibus juſtitia judicantis damnat.

Idem. XII. Ad diſtricti Judicis juſtitiam pertinet, ut nunquam careat ſupplicio, qui nunquam in hac vita voluit carere peccato; & nullus de-

tur

tur iniquo terminus ultionis, quia, quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis.

S. Bern. in ep. 252. XIII. Ob hoc inflexibilis & obſtinatæ mentis malum punitur æternaliter, licet temporaliter perpetuatum, quia quod breve fuit tempore, vel opere, longum eſſe conſtat in pertinaci voluntate; ita ut ſi nunquam moreretur, nunquam velle peccare deſineret, imò ſemper vivere vellet, ut ſemper peccare poſſet.

Dion. Car. in ſpeculo amat. mundi. XIV. Elapſis decem millibus annorum, adjicientur centum millia, poſt hæc centum millia, tot jungentur myriades & milliones, quot in firmamento ſunt ſtellæ, & in litore maris arenæ. Poſt quæ longiſſima annorum ſpatia quaſi nihil de pœnis noſtris acciſum eſſet, ſic iterum ab initio pati tormenta incipiemus, atque ita ſine interruptione, ſine fine, ſine modo, voluetur aſſiduè noſtrorum tormentorum rota.

Æquitas.

S. Chryſ. l. de prov. DEI. XV. Quid autem dicam preſſuras hujus temporis, cum non minùs ipſa quoque gehennæ comminatio, quàm promiſſio regni, ineffabilem ipſius clementiam commendet? niſi enim ille gehennam minatus eſſet, non facilè quiſquam cæleſtibus bonis potiretur; neque enim ſufficit ſola gaudiorum promiſſio, ad excitandos ad virtutem animos, niſi etiam eos pœnarum timor impellat, qui negligentiùs ad eam affecti ſunt.

Idem ho. 50. ad Popul. XVI. Niſi fuiſſet intentata gehenna, in eam omnes cecidiſſemus: niſi prænuntiatus ignis fuiſſet, ignem fugiſſet nemo; ſi nunc enim timore animas noſtras concutiente, ſunt aliqui tam facilè peccantes, tanquam nec ipſa ſit; ſi nihil horum dictum fuiſſet, aut intentatum, quid mali non feciſſemus?

Gravitas pœnæ damni.

Idem ho. 24. in c. 7. Matth. XVII. Intolerabilis quidem res eſt gehenna, quis neſciat? & ſupplicium illud horribile, tamen, ſi mille aliquis ponat gehennas, nihil tale quid dicturus eſt, quale eſt ablatæ illius gloriæ honore repelli, exoſúmque eſſe Chriſto, & audire ab illo: non novi vos.

Idem ho. 47. ad pop. XVIII. Multi inferni ignem timent, ſed ego maximè amarum dico amiſſionem gloriæ; nam qui non novimus magnitudinem cæleſtis boni, non poſſumus intelligere, quantum ſit malum illo privari.

S. Aug. enchir. c. 112. XIX. Si pœna ſola eſſet, quanta in inferno minima cogitari poteſt, perire à regno DEI, exulare à civitate DEI, carere tam magna multitudine dulcedinis DEI, quam abſcondit timentibus ſe, perfecit autem ſperantibus in ſe, tam grandis eſt pœna, ut ei nulla poſſint tormenta, quæ novimus, comparari, ſi illa ſit æterna, ipſa autem ſint quamlibet multis ſeculis longa finienda.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. QUid aliud ignis ille devorabit, niſi peccata tua? quantò ampliùs tibi nunc parcis, & carnem ſequeris; tantò duriùs poſtea lues, & majorem comburendi materiam reſervas. *Lib. 1. c. 24. §. 3.*

II. In quibus homo peccavit, in illis graviùs punietur. Nullum vitium erit, quod ſuum proprium cruciatum non habebit. *Ib. §. 4.*

III. Ibi acedioſi ardentibus ſtimulis pungentur: & guloſi ingenti ſiti ac fame cruciabuntur. Ibi luxurioſi & voluptatum amatores, ardenti pice & fœtido ſulphure perfundentur. Et ſicut furioſi canes præ dolore invidioſi ululabunt. Ibi ſuperbi omni confuſione replebuntur, & avari miſerrima egeſtate arctabuntur. *Ibid.*

IV. Ibi erit una hora gravior in pœna, quàm hìc centum anni in amariſſima pœnitentia. Ibi nulla requies eſt, nulla conſolatio damnatis. *Ibid.*

V. Diſce nunc in modico pati, ut tunc à gravioribus valeas liberari: Hìc primò proba, quid poſſis poſtea. Si nunc tam parùm vales ſuſtinere, quomodo æterna tormenta poteris ſufferre ac ſuſtinere? ſi modò modica paſſio tam impatientem efficit, quid gehenna tunc faciet? *Ibid. §. 6.*

VI. Bonum eſt, ut, ſi necdum amor à malo te revocat, ſaltem timor gehennalis coërceat. *Ibid. §. 7.*

VII. Si futuras inferni pœnas cordialiter perpenderes, credo, quòd libenter laborem & dolorem ſuſtineres, & nihil rigoris formidares. *Lib. 1. c. 21. §. 7.*

VIII. Ut æterna futura ſupplicia poſſis evadere, mala præſentia ſtudeas pro DEO æquanimiter tolerare. *Lib. 3. c. 12. §. 4.*

§. V.

EXEMPLA.

Qualitas.

I. B. Furſeum Hybernum, Peronenſium in Picardia Divum Tutelarem, inferni cruciatus, quos ſemel in mentis raptu viderat, tam acriter deinceps efficiebant, ut plena hyeme, ſimplici quamvis veſte tectus, eorum recordatione ſtatim guttatim toto corpore ſudaret. *Ven. Beda l. 3. hiſt. Ang. c. 19.*

II. Anno Domini 1090. defunctus quidam ſodali apparens narravit, ſe ad inferni pœnas damnatum eſſe, eò quòd de animæ immortalitate dubitans, plenas vitiis habenas laxaſſet. Ut autem ſuppliciorum, quæ tolerabat, acerbitatem illi explicaret, manu frontis ſudorem abſterſit, ei guttam unicam in alterius carnem immiſit quæ ipſo temporis inſtanti tantâ vi illam penetravit, ut ingenti cum cruciatu foramen nu- *Vincent. ſpec. hiſt. l. 25. c. 89.*

ſtucis avellanæ recondendæ capax fecerit; hæc illi ſubindè dixit: ſit hoc vivum tibi, & perenne infelicitatis meæ monumentum, & ad meliorem frugem ſtimulus. Et ſi tibi conſulis, ad Sanctum Religioſæ vitæ aſylum à S. Melanio meloten accepturus confugies.

Spec. Ex. 9. Apoſtata ex. 17. III. Inferni pœnas oſtenſura Mater Filio Religioſo, tam horrendum porcorum grunnitum fecit eum audire, ut nullum ei tormentum comparari poſſet, videreturque Juveni cælum ſcindi, & ſuper caput cadere; quo audito maluit rigorem Ordinis, quem deſerere voluerat, ſuſtinere, quàm eundem deſerendo in tanti mali periculum ſe præcipitare.

Hom. Pacius Dom. IV. Religioſus quidam ad extrema deductus cùm duos Dœmones ad Infernum rapere ipſum volentes vidiſſet, tantum ex hoc aſpectu horrorem concepit, ut diceret, ſi eſſet ignis ex ære & ſulphure mixtus, qui ad finem mundi duraret, ſe libentius per illum tranſiturum, quàm adhuc ſemel Dœmones aſpecturum.

S. Greg. l. 4. Dial. c. 31. V. S. Gregorius narrat reparatum vidiſſe ſcelerato cuipiam parari rogum, cujus cacumen à terra uſque ad cælum porrigi videbatur.

Cæſar. l. 12. c. 5. VI. Cùm quidam nobilis Waltherus nomine, in villa Endenius prope Bonnam decumberet, Diabolum ſecus lecticam caprinis cornibus, & ſimiæ facie ſtantem conſpexit; ex quo cùm percontaretur, quantus infernalis ignis eſſet? reſpondit ille: nôſtis arces illas in vicino ſeptimontio dictas Wolckenberg & Drackenfeld? quo annuente, ſubdidit Dœmon: etſi arces hæ & montes ferrei eſſent, projecti tamen in infernum momento citiùs liquefierent.

Qualitas.

Ludov. Gran. l. 1. memor. c. 1. VII. Quidam in ſpiritu hominis cujuſdam mundani, & carnalis animam tali modo cruciatum vidit. Primò conſpexit Dœmones animam illius rapere, & ad Principem tenebrarum adducere, qui in ignea ſella prædam ſuam exſpectabat, cui jam præſentatæ dicebat: Volo, te magnifico hoc ſedili honorare, poſtquam in magno honore apud homines fuiſti, & ſemper gloriam ambiviſti. Quæ mox funeſtum hunc honorem lamentabili voce deflevit. Tum alii Dœmones aderant offerentes ei poculum amariſſimò & fœtidiſſimo potu plenum, & cogebant eam bibere dicentes: ita decet; fuiſti enim amicus nobiliſſimorum vinorum: proba nunc vinum illud, quòd nos bibimus in hac regione. Hos ſecuti alii duo, qui duas tubas igne plenas inflabant in aures, vociferantes: hunc concentum tibi præparamus, ſciebamus enim te, cùm viveres, harmoniarum amatorem; poſt hos alii duo in pectus illius viperas injiciebant dicentes: quia fuiſti appetitor amplexuum & oſculorum impudicorum, his nunc voluptatibus te oblecta: his fruere iſtarum loco, quas in mundo habuiſti.

Innoc. de contempt. mundi l. 3. c. 7. VIII. Innocentius refert, olim Diſcipulum quendam ſuo Magiſtro apparuiſſe, & cùm hic quæreret, an etiam apud Inferos quæſtiones moverentur, reſpondiſſe: apud Inferos quæritur ſolummodo quid non ſit pœna.

IX. In Japonia cùm Dœmon in obſeſſo adjuratus, juſſus fuiſſet ſpecimen infernalium tormentorum exhibere, reſpondit, damnatos maximè à frigore & igne pati, dùmque ita loqueretur, repente obſeſſus factus eſt totus candens quaſi carbo ignitus, & cœpit toto corpore tumere ac ſudare. Paulò pôſt cœpit dentibus ſtridere, toto corpore tremere & rigere, quaſi in media glacie diu perſtitiſſet. *Fab. conc. 2. in Dom. 19. poſt Pent.*

Veritas.

X. Princeps quidam peſſimam vitam ducens, cùm ſæpius ab Uxore moneretur, ut confeſſionem faceret, ſemper ex timore pœnitentiæ injungendæ id recuſavit. Cùm verò objiceret uxor, graviores eſſe pœnas inferni, quas ſuſtinere olim deberet, iterum reſpondit ille, fruſtra infernum timeri, ut qui Sacerdotum duntaxat ſit inventum. Paulò pôſt duo Dœmones eum ex lecto cùm abripuiſſent, uxórque petiiſſet à DEO, ut ſtatum Mariti revelare dignaretur, manè ſurgens, cadaver totum denigratum, atque in manu hanc ſchedam habens reperit: jam certificatus ſum, quia infernus eſt, & timor, quem habui ad pœnitentiam agendum, me illuc deportavit. *Spec. Ex. v. confeſſ. ex. 17.*

Utilitas.

XI. Inferni tormenta Drechelmus à morte redivivus cùm vidiſſet, ſeveriſſimam vitam duxit, & ſæpe frigido lacui ſe immerſit. Quærentibus verò quomodo tantum rigorem ſuſtinere poſſet? id unum reſpondit: acerbiora vidi. *Ven. Bed. l. 5. hiſt. angl. c. 13.*

XII. Indorum Rex Joſaphat, viſis inferni cruciatibus, in alium virum repentè mutatus eſt, & in Eremum conceſſit. *S. Jo. Damaſc. in hiſt. Barl. c. 30.*

XIII. S. Joannes Climacus cùm coquum quendam apud ignem aſſiduò flentem vidiſſet, cauſam hujus fletus ex eo quærens intellexit, quòd quoties ignem iſtum intueretur, toties æterni ignis, atque eorum, qui ibi cruciantur, memoria ſubiret, quorum proin tam miſerandam ſortem non poſſet non deflere. *S. Climac. gr. 4.*

XIV. Olympius Abbas interrogatus, quâ ratione ſpeluncam habitare, tantóſque æſtus, & cyniphum morſus tolerare poſſet? reſpondit, ſe omnia hæc facilè ſuſtinere, eò quòd vermem immortalem, & æternos ignes aſſiduò in mente haberet, & formidaret. *Drex. in roga dam. c. 17. §. 1.*

XV. Ludovicus Granatenſis dicere ſolebat: multi variis modis gehennæ pœnas numerant, & amplificant; me verò nihil magis terret, quàm quòd ibi glorioſum Chriſti & intemeratæ Virginis nomen ſine ulla intermiſſione convitiis afficitur, & blaſphematur. *Lud. Gran. in loc. com. f. 833.*

XVI. S. Gregorius refert, Petrum Eremitam defunctum, & protinus corpori reſtitutum narrâſſe, ſe inferni ſupplicia, & innumera flammarum loca ſpectâſſe, cúmque jam ipſe etiam iiſdem immergi deberet, ſubitò ab Angelo apparente ereptum fuiſſe, qui *S. Greg. l. 4. Dial.*

eum his verbis allocutus eſt: Regredere, & qualiter tibi poſthac vivendum ſit, cautiſſimè attende.

Multitudo damnatorum.

Spec. Ex. V. damnatus ex. 1. XVII. Eremita quidam raptus in alteram vitam, vidit animas ſicut nivem denſiſſimam in infernum incidere, ſed ad Paradiſum tres duntaxat evolâſſe, ſcilicet Epiſcopi cujuſdam, Prioris Carthuſiani, ac viduæ cujuſdam Romanæ. Quod cùm ad ſe rediens Innocentio Cardinali narrâſſet, ille miſſis hinc inde Nuntiis, Perſonas illas eodem tempore mortuas eſſe comperit.

Ibid. ex. 2. XVIII. Sed & Decanus Eccleſiæ Lingonienſis poſt mortem ſuo Epiſcopo apparuit, & his verbis eum allocutus eſt: Age pœnitentiam, emenda vitam, corrige conſcientiam, dimitte ſuperbiam ſimul & avaritiam, aliter nunquam habebis cæleſtem gloriam; non enim tam facilè eſt ſalvari hominem, ſicut creditur; quoniam dum ego præſentarer tremendo DEI judicio, affluerunt ibi triginta millia animarum, de quorum numero S. Bernardus & ego ſalvati ſumus, tres in purgatorium deſcenderunt, reliqui omnes damnati ſunt. Quo dicto diſparuit.

Ibid. v. Infernus ex. 4. XIX. Cancellarius quidem Pariſienſis facundiſſimus Orator, poſt triginta dies à morte, Epiſcopo, uti ab eo petierat, apparens, poſtquam dixiſſet, ſe propter ſuperbiam & carnis voluptates damnatum eſſe, quæſivit ab eo, quot anni à morte ſua fluxiſſent. Cúmque audiviſſet, non niſi triginta dies interea elapſos fuiſſe, cum ejulatu exclamavit: Væ, væ credebam ipſam jam diem judicii eſſe conſummatam, quia ſicut nix de cælo cadit, ita animæ cadunt in infernum. His dictis valedicens Epiſcopo diſparuit.

§. VI.
EXEMPLA DOMESTICA.

Vita l. 4. c. 5. I. S. Franciſcus Borgias dicebat, ſe, quoties iter faceret, duos prodromos præmittere ad Hoſpitia, in quibus diverſurus eſſet, ſcilicet cognitionem ſuorum peccatorum, & contemplationem pœnarum inferni, quas meritus fuiſſet ſuis peccatis, ſicque fieri, ut omnia diverſoria optimè ſemper præparata inveniret, etſi omnia neceſſaria deeſſent.

Annua Provinc. Tolet. II. P. Joſephus Cuiſſotus, licet in ſumma apud homines exiſtimatione eſſet, non alio tamen loco, quàm inferno, ſe dignum judicabat.

Annua Sardiniæ 1698. III. P. Sebaſtianus à Campo, cùm in morbo de Beatorum præmio, quo illum DEUS remuneraturus eſſet, loquentes audiret, parùm attendebat, tanquam indignus illo; de inferno verò loquentibus faciles aures præbebat.

Rogelgr. in Luce Lude. 3. poſt Eph. §. 2. IV. P. Leonardus Leſſius graviſſimis calculi doloribus vexatus, exclamare ſolebat: O peccatores, ſi DEUS hîc in uno membro ita torquet, quid in inferno erit? ubi nec membrum, nec muſculus, nec nervus ſine cruciatu erit?

§. VII.
EXEMPLA PROFANA.

I. PLutarchus quendam aſſerentem inducit, homines teterrimos, ſcelerúmque maculis notatiſſimos poſt mortem in obſcurum quendam locum, qui reſerari nequeat, intrudi. *Plut. l. de ſera numinis vindicta.*

II. Socrates ait, impii animum in locum occultum ſub terra migrare, & regionem illam æneis catenis undique vinciri. *Socrat. apud Xenocrat.*

III. Tantalus apud Inferos à Poëtis perpetua fame ac ſiti torqueri fingitur, aquis & pomis ori imminentibus, quæ tamen deprehendere non poterat. Quo tormento vehementiſſimam Inferorum ſitim ac famem indicabant. *Ovid. l. 4. Metam.*

IV. Siſyphus ab iiſdem Poëtis fingitur ſaxum perpetuò ad montis verticem volvere, & relabentem revolvere. Quo figmento interminabilem pœnarum revolutionem & æternitatem ſignificare voluerunt. *Ibid.*

V. Ad eandem tormentorum perennitatem ſignificandam etiam Ixionem Theſſalum Regem rotæ innexum perpetuò volui finxerunt. Hinc illud Ovidii: *Ibid.*

Volvitur Ixion, & ſe ſequitúrque, fugitque.

VI. Tityum quoque gigantem ob Latonam Apollinis Matrem de ſtupro interpellatam ab eodem Apolline ſagittis confoſſum, & apud Inferos eâ lege alligatum fingunt, ut jecur à vulturibus dilaniaretur, & conſumptum ſemper renaſceretur. Quo figmento vermem damnatorum nunquam morientem innuebant.

§. VIII.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut, quamdiu cadaveris materia eſt, & aliquis humor in cadavere, vermes naſcuntur ex putredine; ſic ex materia peccatorum, quæ in damnatis nunquam conſumitur, aſſiduus vermis conſcientiæ naſcitur. *S. Hier. l. 6. in c. 1. Iſ.*

II. Sicut Electis ignis ardet & ſolatium, & tamen ad ſupplicium ardere neſcit, ita è diverſo gehennæ flamma reprobis nequaquam lucet ad conſolationis gratiam, lucet tamen ad pœnam. *Idem in c. 10. Iob.*

III. Sicut aurum & ſalamandra in igne perſiſtunt, nec diſſolvuntur; ita damnati in inferno ardebunt, nec tamen corrumpentur. *Faber co. 2. in Dom. 19. poſt Pent.*

IV. Sicut ventus excitat perpetuum Æthnæ incendium; ita decretum damnationis ſuccendet ignem inferni non ſecus, ac ſi torrentem ſulphuris continuum expueret in illum. Unde Iſaias dicit Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens illam (gehennam.) *Iſ. 30. v. 33.*

V. Sicut colliguntur Zizania, & igni comburuntur; ſic erit in conſummatione ſeculi; mittet Filius Hominis Angelos ſuos, & colligent *Matth. 13. v. 40.*

de

de regno ejus omnia ſcandala & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.

S. Greg. l. 4. Dial. c. 28.

VI. Sicut Electos beatitudo lætificat; ita credi neceſſe eſt, quòd à die exitus ſui ignis reprobos exurat.

S. Aug. de catech. rud. c. 24.

VII. Sicut nullum gaudium rerum temporalium, ex aliqua parte ſimile poteſt inveniri vitæ æternæ, quam Sancti accepturi ſunt; ita nullus cruciatus pœnarum temporalium poteſt ſempiternis iniquorum ignibus comparari, aut par excogitari.

Diverſitas.

S. Greg. l. 4. & l. 9. mor. c. 47.

VIII. Sicut in hoc mundo multi ſub uno ſole conſiſtunt, nec tamen ardorem æqualiter ſentiunt; ita in inferno unus eſt quidem ignis, non tamen omnes æqualiter cruciabit; quia quod hîc agit diſpar valetudo corporum, hoc illic exhibet diſpar cauſa meritorum.

Iſidor. l. 1. de ſum. bono c. 32.

IX. Sicut faſciculi lignorum ad comburendum de ſimilibus colliguntur; ita in judicii die ſimilis culpæ rei, ſuis ſimilibus jungentur, ut ex æquo pœna conſtringat quaſi in faſciculum, quos actio ſimiles fecit in malum.

Ibid.

X. Sicut unusquisq; ſanctus in futuro judicio pro quantitate virtutum glorificabitur; ita & unusquisque impius pro quantitate facinorum condemnabitur, nec deerit in ſupplicio futuro damnationis ordo, ſed juxta qualitatem criminum, Propheta affirmante, diſcretio erit pœnarum.

Æternitas.

S. Hier. apud Inchonum de nov. p. 3. c. 19.

XI. Sicut pœnitentibus Judex debet juſtitiam præſtare; ita obſtinatis & contumacibus nullam debet veniam tribuere.

Pſ. 48.

XII. Sicut herba paſtûs partim abſcinditur, partim radicibus nixa relinquitur, ut iterum reparata paſcatur; ita mors depaſcet eos, qui inferno poſiti ſunt, teſte Davide; mortis enim nomine ſummus cruciatus, paſtûs verò æternitas ejus deſignatur.

Job. 7. v. 9.

XIII. Sicut conſumitur nubes, & pertranſit; ſic qui deſcenderit ad Inferos, non aſcender.

Faber. con. 8. in feſtos. Cath. n. 1.

XIV. Sicut, qui cenſu perpetuo ſubjecit domum ſuam pro mutuo accepto, v. g. mille florenorum, etſi intra viginti annos totidem ſolvat, adhuc capitalem ſummam debet; ita cùm damnati ſint inimici DEI, nunquam debitum ſuum perſolvere poſſunt, ſed ſemper antiquæ pœnæ obnoxii ſunt.

Ibid. n. 6.

XV. Sicut qui in flumen lapſus eſt, nave diſcedente, quocunq; manus extendat non invenit niſi liquidam & fugitivam aquam, quæ non ſublevat mergendum, ſed ſuffocat; ita damnati, quocunque veniant opem petituri, actum agunt, quia tempus gratiæ & auxilii elapſum eſt.

§. IX.

M O T I V A.

Ad infernum timendum, & fugiendum.

S. Aug. in Pſ. 49.

I. OMnium malorum præſentia: ſi enim unicum grande malum, v. g. acutus dolor dentium, aut podagræ, intolerabile nobis videtur, quid de tot malorum præſentiâ ſentiendum erit? nam, ut S. Auguſtinus ait, non erit iſte ignis, ſicut focus tuus; quò tamen ſi manum mittere cogaris, facies, quidquid voluerit, qui hoc minatur.

Ibid.

II. *Omnium bonorum abſentia*: de qua ita loquitur S. Auguſtinus: ſi non veniret ignis diei judicii, & ſola immineret Peccatoribus ſeparatio à facie DEI, in quâlibet eſſent affluentia deliciarum, non videntes, à quo creati ſunt, & ſeparati ab illa dulcedine ineffabilis vultus ejus, in qualiber æternitate & impunitate peccati, plangere ſe deberent.

S. Greg. ſuper Matth. c. 8.

III. *Omnium pœnarum indeſinentia*: nam ut S. Gregorius ait, erit miſeris mors ſine morte, defectus ſine defectu, quia mors ibi ſemper incipit, & deficere neſcit.

Pro conſideratione Inferni.

Eccl. 27. v. 4.

IV. *Neceſſitas*, juxta illud Siracidis: ſi non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubvertetur domus tua. Hinc Tertullianus: Peccati ceſſatio, radix veniæ: gehennæ meditatio, principium ſalutis.

S. Chryſ. hom. 2. in ep. ad Theſſal.

V. *Utilitas*: nam, ut S. Chryſoſtomus teſtatur, nihil eſt æquè utile, ac de gehenna diſſerere (quidni & cogitare?) fieri enim non poteſt, ut anima de gehenna ſollicita citò peccet. Nullus ex iis, qui gehennam habet ante oculos, incidet in gehennam. Nullus ex iis qui gehennam deſpiciunt effugiet gehennam. Quia, ut idem alibi ait, quantò quis vehementius metuit pœnam, quàm meruit, tantò acerbiùs plangit culpam, quam fecit.

Idem hom. 44. in Mat.

VI. *Jucunditas*: ſi enim, ut S. Chryſoſtomus ait, nihil jucundius eſt ſermone, quo de gehenna diſſeritur, quia hæc audiendo anima in te convertitur, & cautior facta eſterrur altiùs, & volat ſublimiùs, ac malignæ cupiditatis expellit tyrannidem; quidni idem etiam de cogitatione gehennæ dicatur?

§. X.

M E D I A.

Ad Infernum evitandum.

S Bern. in lib. de vita ſolit.

I. PRæmeditatio: ſi enim gehennæ quis ſemper meminiſſe laboret, omnem mortem deridebit; & non præſenti tantùm anguſtiâ liberabitur, ſed & ab illa flamma eripietur. Gehennam enim continuè timens, nunquam in gehennæ ignem decidet, continuè hoc caſtigatus metu, ait rectè S. Chryſoſtomus; cui conſentiens S. Bernardus, à cella, ait, in cælũ ſæpe aſcenditur,

ditur, vix autē unquam à cella in infernū deſcenditur, niſi ſicut dicit Pſalmiſta: deſcendant in infernum viventes, videlicet ne deſcendant morientes. Hoc enim modo ſæpe cellarum incolæ in infernum deſcendunt. Sicut enim reviſere amant gaudia cæleſtia, ut ea ardentiùs appetant, ſic & dolores inferni, ut horreant & fugiant.

Idem de converſ. ad Cler. c. 6. II. *Dolor de peccatis*: nam, ut S. Bernardus ait, optimum eſt tunc ſentiri vermem, cùm poſſit etiam ſuffocari. Itaque mordeat nunc, ut moriatur, & paulatim deſinat mordere. Mordendo rodat interim putredinem, ut rodendo conſumat, & ipſe pariter conſumatur ne foveri incipiat in immortalitatem.

Eccl. 7. III. *Fuga peccati*: juxta conſilium Siracidis dicentis: Fili, ne ſemines mala in ſulcis injuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum.

Matth. 25. IV. *Miſericordiæ exercitium*: ſoli enim immiſericordes audient illud: Ite maledicti in ignem æternum; è contrario verò beatos dicit Chriſtus miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur.

S. Bern. ſ. 3. de reſur. Dom. V. *Voluntatis propriæ abnegatio*: juxta illud S. Bernardi: ceſſet voluntas propria, & infernus non erit.

Eccl. 7. v. 19. VI. *Humiliatio*: uti Eccleſiaſticus monuit dicens: humilia valde Spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii, ignis & vermis.

VII. *Amor & fiducia erga B. Virginem*: quia, teſte S. Anſelmo, impoſſibile eſt, ut pereat, qui ab hac reſpectus eſt.

VIII. *Amor DEI*: non enim ſe compatiuntur ignis amoris divini, & ignis infernalis.

§. XI.

ASCETICA.

I. TRia ſunt, quæ Aſceta circa hanc materiam bene obſervare debet: Primum eſt, ut firmiter credat, quod Eccleſia & SS. Patres de qualitate, quantitate, & æternitate infernalium pœnarum credendum propoſuerunt. Quem in finem diſcurſus S. Gregorii proderit ſic loquentis: ſi eſſe Sanctorum animas in cælo, ſacri eloquii ſatisfactione credidiſti, oportet, ut per omnia eſſe credas & iniquorum animas in inferno, quia ex retributione æternæ juſtitiæ, ex qua jam juſti glorificantur, neceſſe eſt per omnia, ut & injuſti crucientur; nam ſicut electos beatitudo lætificat, ita credi neceſſe eſt, quòd in die exitûs ſui ignis reprobos exurat. *S. Greg. l. 4. mor. c. 28.*

II. Alterum eſt, ut bene apprehendat æquitatem hujus pœnæ: quæ potiſſimum ex obſtinatione voluntatis deſumitur; cùm enim voluntas damnati, ut loquitur S. Gregorius & Innocentius, licet amiſerit poteſtatis affectum, ſemper tamen retineat malignitatis effectum, voluiſſetque ſine fine vivere, ut ſine fine potuiſſet in iniquitatibus permanere, juſtum eſt, ut, qui in ſuo æterno peccavit in DEUM, in æterno DEI puniatur.

III. Tertium eſt, ut licet præcipuè ſtudere debeat, ut ad omnes actiones ſuas ex puriſſimo DEI amore moveatur, non omittat tamen etiam ex inferni conſideratione ſolidos aliquot fructus referre, qui quidem triplex eſt potiſſimùm. 1. Ut timore inferni, tanquam efficaci freno utatur, per quem ſe ab omni peccati periculo cohibeat; nam, ut ſapienter S. Bernardus dixit, hæc qui pavet, cavet: qui negligit, excedit. 2. Ut per ejuſdem inferni conſiderationem te ad patientiam exſtimulet; quæ enim quiſque gravia valde patitur, inquit S. Auguſtinus, in comparatione æterni ignis non *S. Auguſt.* tantùm parva, ſed nulla ſunt. Et alibi: quis *ſ. 109.* non bibat temporalis tribulationis poculum, *Idem in pſ.* metuens ignem gehennarum? & quis non *68.* contemnat dulcedinem ſæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ? majore timore minora contemnimus, & majore æternitatis cupiditate, omnia temporalia faſtidimus. 3. Ut ardentem in ſe zelum animarum excitet, videns, in quanti mali periculo verſentur peccatores, ex quo, ſi poſſet, etiam canem liberaret.

§. XII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Ibunt hi in ſupplicium æternum*: poteſt gravitas hujus ſupplicii explicari, eúmque in finem ſen- *Matth. 25. v. 46.* tentia S. Chryſoſtomi uſurpari: nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſ- *S. Chryſ. l. de reparat.* cenderunt, quæ præparavit DEUS offendentibus ſe. Et 1. oſtendi, quanta viderit oculus tormenta in hoc mundo, & tamen hæc omnia, ut idem Sanctus ait, nec umbram eſſe ad illa tormenta inferni. 2. Oſtendatur, quanta tormenta & dolores vel afflictiones audiverit auris, quomodo, ut iterum ait S. Chryſoſtomus, criminoſos trahant, ligent, faces tormentis admoveant, & tamen hæc omnia ludicra & riſus ſint ad illa ſupplicia. 3. Oſtendatur, quanta in cor aſcendere poſſint tormenta, & tamen hæc omnia levia ſint reſpectu illorum ſuppliciorum: ſicut enim propter perfectum Sanctorum beatitudinem, nihil erit in Beatis, quod non ſit gaudii materia; ita nihil in damnatis, quod non ſit eis materia & cauſa triſtitiæ, nec aliquid ad triſtitiam pertineas, deerit, ut ſit conſummata eorum miſeria. Quæ omnia ſuſiùs explicata videri poſſunt apud Engelgr. embl. 11. Luc. Evang.

II. Ex occaſione thematis: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*: poteſt ex- *Matth. 25. v. 41.* plicari gravitas pœnæ æternalis, ex ignis hujus cum noſtro igne comparatione. Et 1. quidem dixi quòd ſit infinities quaſi gravior quoad *intenſionem*, id quod ex eo intelligi poteſt, quod noſter ignis, teſte S. Auguſtino, pictus duntaxat videatur reſpectu ignis infernalis; & tamen eheu, quàm

quàm acerbus & intolerabilis eſt noſter ignis! 2. Oſtendi poteſt, quòd longè horribilior ſit, ac ſævior *quoad extenſionem*, ut qui non corpus duntaxat, ſed animam etiam, miris quidem, ſed tamen veris modis, ut loquitur S. Auguſtinus, torqueat. 3. Oſtendi poteſt, quòd infinities ſit acerbior ac crudelior *quoad durationem*, cùm iuextinguibilis à Chriſto vo-
Jer. 17. 4. cetur, & de eo Jeremias teſtetur: Ignem ſuccendiſtis in furore meo; uſque in æternum ardebit. Ut adeò meritò S. Auguſtinus dixerit, quæ quiſque gravia valde patitur, in comparatione æterni ignis non tantùm parva, ſed nulla ſunt.

Sap. 11. v. 17. III. Ex occaſiune thematis: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*: poteſt 1. uſtendi, quòd omnia ferè peccata per quinque ſenſus externos committantur, ut adeò verè de damnatis ad mortem æternam dici queat: a-
Jer. 9. v. 21. ſcendit mors per feneſtras, ingreſſa eſt domus noſtras. 2. Quomodo homo peccator in ijsdem ſenſibus ſpeciales pœnas patiatur, id quod inductione oſtendi poteſt, uti fusè probant Matthias Faber conc. 6. in Dom. 3. poſt Epiph. & Jeremias Drexelius in rogo damnatorum c. 2. 3. 4. & 5.

Jo. 14. v. 2. IV. Ex occaſiune thematis: *Vado parare vobis locum*: poteſt narrari, quod ſupra §. 6. de S. Franciſco Borgia narratum eſt, quòd nempe ad ſingula diverſoria duos Prodromos, cognitiunem peccatorum ſuorum, & conſiderationem inferni præmiſerit, & per hos effecerit, ut omnia diverſoria, quantumcunque vilia, optimè ſemper inſtructa viderentur. Oſtendatur ergo 1. quomodo hunc Prodromum ægri ad ſuos lectulos mittere, &, ſicut Drithelmus olim nimiam ipſius in corpus ſuum ſævitiam admirantibus dixit: acerbiora vidi; ita ipſi dicere debeant: acerbiora ſum meritus. 2. Oſtendatur, quomodo hunc Prodromum pariter mittere debeant ad tuguriola ſua Pauperes, ut Paupertatem, & incommoda inde ſequentia, æquo animo ſufferre diſcant. 3. Oſtendatur, quomodo hunc Prodromum ad Perſecutores ſuos mittere debeant ij, qui graves perſecutiones & injurias ſunt paſſi. Hi quippe omnes experientur hujus Prodromi beneficio id, quod ſuprà ex S. Auguſtino relatum eſt, ſcilicet omnia, quæ patiuntur, in comparatione infernalium tormentorum parva aut nulla eſſe.

Gen. 4. v. 14. V. Ex occaſione thematis: *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar*: poteſt gravitas pœnæ damni explicari ex conſideratione faciei, à quâ damnati excluduntur. 1. ergo oſtendatur, quàm *pulchra* ſit facies, idque oſtendatur, tum ex deſiderio Angelorum & Hominum deſiderantium eam aſpicere; tum ex aſſertione Diaboli affirmantis, libenter ſe omnia Inferorum tormenta tolerare velle, ut unico momento aſpicere DEI faciem liceat. 2. Quàm *amœna* & *jucunda* ſit facies, ut quæ tantâ dulcedine & hilaritate animam replet, ut nihil huic delectationi in terris cumparari queat. 3. Quàm *beatifica* ſit facies, plenam umnium deſideriorum ſatietatem inducens; quámque adeò meritò damnati cum Anna Tobiæ Matre irremediabilibus lacrymis defleant orbitatem ſuam, dicántque: Omnia in te uno habentes non debebamus dimittere te. De qua materia videri poteſt fuſiùs diſcurrens Petrus Beſſæus conc. 5. de Inferno Item Drexelius in rogo damnatorum c. 2. §. 2. & ſeqq.

VI. Ex occaſione thematis: *Beati, qui* *Jo. 20. v.*
non viderunt, & crediderunt: dicatur, rectè *29.*
olim dixiſſe Joannem Avilam, pleróſque homines aut Inquiſitionis carcere, aut ſtultorum caveâ dignos ſibi videri; aut enim credunt, inquiebat, quæ DEUS de cæleſti gloria & Inferorum ſupplicis, revelavit, aut non credunt; ſi poſterius, Hæretici ſunt, & proin ad Inquiſitionis carcerem ablegandi; ſi priùs, ſtultiſſimi planè ſunt, ſi nihilominus peccare, & ſe in tam manifeſtum periculum æternæ gloriæ amittendæ, pœnæque infernalis accerſendæ periculum præcipitare pergant. Cùm ergo pronum ſit arbitrari, multos non firmiter ſatis, aut ſaltem non vivâ fide credere, atrocitatem tantarum pœnarum, eandem ſe varijs teſtimonijs probaturum, ut in ore non duorum duntaxat aut trium, ſed multorum teſtium ſtet hoc verbum veritatis, cujus aſſertio tantopere neceſſaria ac ſalutaris eſt hominibus. 1. Ergo probetur authoritate *DEI*, eúmque in finem aliquot ad hunc finem magis idoneæ ſententiæ ex S. Scriptura ſupra §. 2. citatæ afferantur. 2. Authoritate Chriſti tan- *Luc. 23. v.*
ta paſſi, ideoque meritò ad Mulieres compa- *31.*
tientes dicentis: ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? 3. Authoritate *Sancto-*
rum: ex quorum felicitate ſic diſcurrit S. Gre- *S. Greg. l.*
gorius: Si eſſe Sanctorum animas in cælo ſa- *4. Dial. c.*
cri eloqui ſatisfactione credidiſti, uportet, ut *28.*
per omnia eſſe credas & iniquorum animas in inferno, quia ex retributione æternæ juſtitiæ, ex qua juſti jam glorificantur, neceſſe eſt, per omnia, ut injuſti crucientur. 4. Authoritate *Eccleſiæ* hunc articulum in ſymbolo proponentis, & firmiſſimè ſemper contra Hæreticos propugnantis, ut ex varijs Concilijs, præcipuè Florentino in literis unionis, patet. 5. Authoritate *SS. Patrum*: quorum aliquot ſelectiora teſtimonia ex §. 3. deſumi poſſunt: 6. Authoritate *Juſtorum*, in terris adhuc de-
geutium: nam, ut S. Gregorius iterum di- *S. Greg. in*
ſcurrit, Electos DEI cernimus pia agere, & *mor.*
crudelia tolerare. Hinc ergo colligitur, diſtrictus Judex quantâ illic feriat diſtrictione, quos reprobat; ſi hîc cruciat, quos amat. 7. Authoritate *Damnatorum*: qui, cùm hîc non crederent illas pœnas, poſt mortem apparentes, nimiùm veras eſſe, ſe proprio nunc damno experiri confeſſi ſunt. 8. Authoritate *Ethnicorum* Tantali, Ixiouis, Tinj & Siſyphi pœnas æternas fingentium. 9. Authoritate *Naturalis luminis*: nam ipſa ratio dictat, æquiſſimum eſſe, ut nunquam careant ſupplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato, & ut nullus detur iniquo terminus ul-

tionis, quia, quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. 10. Authoritate *Hiſtoricorum*, tam horrenda de ignibus Veſuvij & Æthnæ montium ejectis referentium, ut meritò binæ inferni fauces credantur. Quæ omnia fuſiùs deducta apud Fabrum conc. 2. in Dom. 20. poſt Pent. videri poſſunt.

§. XIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Apud Fab. l. c.

I. REfert Giraldus Cambrenſis in mari Hyberniam alluente Inſulam viſam, quæ, ſi quis ad eam appellere volebat, mox aliò ſe transferebat, donec quidam Juvenes conſilio quorundam instructi igneas ſagittas in illam conjecerunt, tunc enim immobilis conſiſtebat. Talis fugitiva Inſula cor hominis eſt. Quare ſi volumus illud ſiſtere, & ſtabilem DEO ſedem in eo parare; igneæ ſagittæ, id eſt, timor inferni in illud jacendus eſt.

Cedrenus apud Fab. conc. 3. in Dom. 19. poſt Pent. n. 8.

II. Zeno Imperator, quem Uxor in ebrietate vivum ſepeliri juſſerat, lamentabili ſemper voce clamabat: Ah miſeremini, & aperite mihi. Cúmque Cuſtodes reſponderent, alium jam regnare, nihil, ille ajebat, curo, vos aperite duntaxat, & in Monaſterium me abducite. Sed cùm non aperiretur, ferunt, poſteà inventum præ fame caligas & brachia ſua ac lacertos abſumpſiſſe. O quàm gement damnati in inferno ſepulti!

Ibid. n. 4.

III. S. Macarius à Fratribus de monte Nitriæ rogatus, ut ſalutari monito eos inſtrueret, cum lacrymis dixit: Ploremus, ô Fratres, & lacrymas oculi noſtri producant, antequam eò hinc migremus, ubi lacrymæ comburunt corpora. Quâ quidem adhortatione ita moti ſunt Fratres, ut & lacrymas copiosè profuderint, & in genua proſtrati ad S. Macarium dixerint: Pater, ora pro nobis.

Faber. conc. 2. in Dom. 18. poſt Pent.

IV. Proverbium eſt Italis: Aſpettar, & non venir: giacer, & non dormir: Servir, & non gradir, ſon tre coſe da morir. Id eſt, expectare, & non venire: jacere, & non dormire: ſervire, & non placere, ſunt tria, quæ poſſunt mortem accelerare: quod nimis verum Damnati experiuntur.

Granat. loc. com. f. 831.

V. Lyſimachus Rex à Scythis obſeſſus, cùm ob potum aquæ ſe hoſti tradidiſſet, eâdem abſumptâ dixit: O quàm brevis voluptatis cauſa, & regnum & libertatem amiſi! Ah quid reprobi dicent, cùm ſe propter momentaneam voluptatem & regno cœleſti privatos, & ad tanta ſupplicia damnatos viderint!

Drexel. in rogo dam. c. 11.

VI. Bion Philoſophus dicebat, viam ad Inferos planiſſimam ac tritiſſimam eſſe oportere, cùm pleríque illuc clauſis oculis eant.

VII. Quæ vitia potiſſimùm ad Infernum deducant, Thomas Morus hoc diſtycho indicavit:

Si quis ad infernos properat deſcendere Manes,
Huc iter accelerant balnea, vina, Venus.

Ioachim. p. 3. c. 20.

VIII. Quemadmodum olim Jacob Patriarcha manum dextram Ephraimo juniori Filio Joſephi, ſiniſtram verò Manaſſi Filio ſeniori impoſuit; ita DEUS ad dextram olim eos, quos Mundus poſtponebat; ad lævam eos, quos ille præferebat, collocabit.

Æquitas.

Dan. 4.

IX. Daniel, ubi viſum de Nabuchodonoſore ſeptem annis inter beſtias victuro audivit, ſic expavit, ut ad horam mutus ſtaret; quid nos ſi damnatos æternùm inter Dœmones & tormenta victuros credamus.

Utilitas.

Lipſius l. de Cruce.

X. Afri, ut Leones à ſe arcerent, alios à ſe captos ſuſpenderunt, quibus viſis reliqui ſilvis exire non ſunt auſi; quantò magis ad Infernum accedere verebuntur homines, ſi damnatos tantopere cruciatos intueantur.

Beſſæus conc. 1. de Inferno.

XI. Democritus Philoſophus docere ſolebat, orbem duobus medijs contineri, amore præmij, & timore ſupplicij; quæ duo Cyrus Rex Regis brachia appellabat. Rectè autem de prœmio regni cæleſtis, & ſupplicio inferni intelliguntur; per hæc enim vel maximè homines in officio continentur.

Vita PP. l. 5. §. 107.

XII. Cùm Aſceta quidam Achillem Monachum rogâſſet, unde accideret, quòd in cella otio ac torpore marceſceret? reſpondit is, id inde provenire, quòd nec quietem, quam ſperamus; nec tormenta, quæ timemus, animo volveret; hoc enim ſi faceret, etiamſi cella vermibus plena eſſet, libenter in ea manſurum.

Æternitas.

Beſſæus conc. 6. de inf. §. 2.

XIII. Etſi flamma fornacis Chaldææ uſque ad quadraginta novem cubitos ſe porrexerit, quinquageſimum tamen jubilæarij numeri non attigit, quia figura erat ignis infernalis, ubi nullum jubilæum ſpei & gratiæ datur.

Prud. contra Marcionit.

XIV. Rectè quoque Prudentius canit: Vermibus & flammis, ſummis cruciatibus ævum Immortale dedit, ſenio ne flamma periret.

§. XIV.

AXIOMATA.

S. Bern.

I. CEſſet voluntas propria, & infernus non erit.

Aigner Will / iſt das aigentlich Holtz deß Hölliſchen Feuers.

II. Facilis deſcenſus averni

In die Höll iſt ein gebahnter Weeg.

III. Qui vivus cum Chriſto deſcendit ad inferos,

Mo-

Moriens cum eo aſcendit ad cælos.
Wer mit Chriſto im Lebn abfahrt zur Höll /
Der fahrt mit jhm nach dem Todt in Himmel.

IV. Procul ab aula, procul ab inferno.
Weit von Hoff / weit von Höll.

V. Momentaneum, quod delectat,
Æternum, quod cruciat.
Was wohl thuet / währt ein kleine Zeit /
Was weh thuet / währt in Ewigkeit.

VI. Memorare noviſſima, & in æternum non peccabis.
Wer offt betracht die letzte Ding /
Durch Flucht der Sünd macht d'Gewiſſen ring.

§. XV.

AUTHORES.

I. PEtrus Beſſæus de quatuor noviſſimis.

II. Gabriel Inchinus de quatuor noviſſimis part. 3.

III. Jeremias Drexelius in rogo Damnatorum.

IV. Philippus D'ontreman in Pœdagogo Chriſtiano p. 1. c. 8. §. 9.

V. Ludovicus Granatenſis in locis comm. f. 826.

VI. Joannes Lopez Epitom. l. 9. c. 3.

VII. Petrus Caniſius de noviſſ. c. 5.

VIII. Matthias Faber conc. 8. in feſto S. Catharinæ. Item conc. 6. & 7. Dom. 3. poſt Epiph. Item conc. 1. & 3. Dom. 19. & conc. 2. Dom. 20. & conc. 7. Dom. 21. poſt Pent.

IX. Thomas Stapletonus te. 10. in Dom. 3. & te. 9. in Dom. 5. poſt Epiph. Item te. 9. in Dom. 19. poſt Pent.

X. Henricus Engelgrave. in Luce Evang. Dom. 5. poſt Epiph.

XI. Joſephus Langius in Polyanth. tit. eodem.

XII. Jacobus Salianus de Timore DEI lib. ult.

XIII. Dionyſius Carthuſianus de quatuor noviſſimis à c. 35.

XIV. Georgius Reeb in regulis prudentiæ p. 1. c. 3.

XV. Bartholomæus Saluthius in ſeptem tubis tubâ 6. totâ.

* *
*

TITULUS XVII.

JUDICIUM.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

EST Exactio rationis ſuper vitam ab Angelis & Hominibus viatoribus inſtitutam: D. qua S. Paulus ad Hebræos dixit: ſtatutum eſt hominibus ſemel mori: poſt hoc autem judicium. Clarius verò idipſum alibi indicavit dicens: Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.

Hebr. 9. v. 27.

2. Cor. 5. v. 10.

Diviſio.

II. Dividitur in *Particulare*, & *Univerſale*; illud eſt, quod cuique in ipſo mortis articulo ſubeundum eſt; hoc eſt, quod in fine Mundi inſtituetur. Utriuſque teſtimonium affert S. Chryſoſtomus, dum ait: An non uniuſcujuſvis conſummatio eſt vitæ ſuæ terminus? Audi Paulum dicentem: Ipſi namque exactè ſcitis, diem Domini ut furem in nocte, ita venturum. Non ſolùm communis ille, ſed & uniuſcujuſque proprius ita veniet; iſte quippe illum imitatur. Eſt enim & iſte cognatus illi. Quod enim ille ſimul & ſummatim, hoc iſte per partes facit.

S. Chryſoſt. c. 5. in c. 1. Theſſ.

Partes.

III. Prima pars Judicij ex *ſignis* antecedentibus conſtituitur; de quibus jam olim DEUS per Prophetam Joëlem dixit: Dabo prodigia in cælo, & in terra, ſanguinem & ignem, & vaporem fumi: Sol convertetur in tenebras, Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Sed & Chriſtus de iiſdem apud S. Lucam prædixit: Et erunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis: & in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitûs maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & exſpectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi, nam virtutes cælorum movebuntur.

Joël. 2. v. 30.

Luc. 21. v. 25.

IV. Secunda pars eſt *Congregatio judicandorum*, & *adventus Judicis*: de quibus Chriſtus apud S. Matthæum dixit: Tunc parebit ſignum Filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli cum virtute multa & majeſtate. Et mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna: & congregabunt

Matt. 24. v. 30.

Electos

Digitized by Google

S. Thom. in h. c. Matth. Electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cælorum uſque ad terminos eorum. Quod autem ſit ſignum iſtud, explicat S. Thomas ; dum ait : Signum Crucis intelligamus, ut videant juxta Zachariam, in quem pupugerunt. Apparebit autem ſignum Crucis, ut Judæorum in verecundiam confutet ; adveniet enim Chriſtus in judicio, non vulnera ſolùm, ſed mortem exprobratiſſimam oſtendens. Unde *S. Chryſ. ho. 77. in Matth.* S. Chryſoſtomus ait. Apparebit Crux Sole luculentior, & non opus erit accuſantibus, cùm crucem viderint.

V. Tertia pars erit ipſum *Examen*, de quo iterum Chriſtus apud S. Matthæum dixit : *Matt. 24. v. 31.* Cùm autem venerit Filius hominis in Majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem Majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes Gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut Paſtor ſegregat oves ab hædis, & ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris. Tunc dicet his, qui à dextris ejus erunt : Venite benedicti Patris mei, & poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi ; eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare &c.

VI. Quarta tandem pars erit *Sententia prolata* à Chriſto per illa verba : Venite benedicti, & diſcedite maledicti indicata, poſt quam ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. De qua ſententia jam olim Eliu locutus & confeſſus videtur, cùm *Iob. 37. v. 1.* eam in Spiritu prævidiſſet : ſuper hoc expavit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo : audite auditionem in terrore vocis eius, & ſonum de ore illius procedentem. Poſt eum rugiet ſonitus, tonabit voce magnitudinis ſuæ, tonabit DEUS in voce ſua mirabiliter. Cùm *Iob. 26. v.* ergo, ut idem alibi ait, vix parvam ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri ?

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Veritas.

Rom. 14. v. 10. I. OMnes ſtabimus ante tribunal Chriſti. Itaque unuſquiſque noſtrûm pro ſe rationem reddet DEO.

Iob. 19. v. 29. II. Fugite ergo à facie gladij, quoniam ultor iniquitatum gladius eſt, & ſcitote eſſe judicium.

Eccleſ. 12. v. 14. I.I. Cuncta, quæ fiunt, adducet DEUS in judicium, pro omni errato, ſive bonum, ſive malum ſit.

Pſ. 49. v 6. IV. Annuntiabunt cæli juſtitiam ejus, quoniam DEUS Judex eſt.

Act. 10 v. 42. V. Præcepit nobis prædicare Populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à DEO Judex vivorum & mortuorum.

Qualitas.

Ezech. 18. v. 30. VI. Idcirco unumquemque juxta vias ſuas judicabo, domus Iſraël, ait Dominus DEUS.

VII. Nunc annuntiat Hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eò quòd ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis. *Act. 17. v. 30.*

VIII. Nunc finis ſuper te, & immittam furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus ſuper te, & non miſerebor, ſed vias tuas ponam ſuper te, & abominationes tuæ in medio tui erunt. *Ezech. 7. v. 3.*

IX. Dico vobis : amodo videbitis Filium Hominis ſedentem à dextris virtutis DEI, & venientem in nubibus cæli. *Matth. 26. v. 64.*

X. Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius Hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. *Matt. 19. v. 28.*

XI. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ. *Luc. 11. v. 31.*

XII. Venient in cogitationem peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum. *Sap. 4. v. 20.*

Quantitas.

XIII. Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modò, neque fiet. *Matth. 24. v. 21.*

XIV. Juxta eſt dies Domini magnus, juxta eſt, & velox nimis : vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris ſuper civitates munitas, & ſuper angulos excelſos. *Sophon. 1. v. 14.*

XV. Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum ? *Ioel. 2. v. 11.*

Severitas.

XVI. Cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo. *Pſ. 74. v. 3.*

XVII. Dico vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij. *Matt. 12. v. 36.*

XVIII. In cogitationibus impij interrogatio erit. *Sap. 1. v. 9.*

XIX. Si juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt ? *1. Petr. 4. v. 18.*

Æquitas.

XX. Abſit à DEO impietas, & ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias ſingulorum reſtituet eis. *Iob. 34. v. 10.*

XXI. Judicabit orbem terrarum in Juſtitia, & Populus in æquitate. *Pſ 97. v 9.*

XXII. Non ſecundùm viſionem oculorum judicabit, neque ſecundùm auditum aurium arguet ; ſed judicabit in juſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. *Iſaia 11. v. 3.*

XXIII.

Sap. 12. v. 14. XXIII. Quis dicet tibi, quid feciſti ? aut quis ſtabit contra judicium tuum ? aut quis in conſpectu tuo veniet vindex iniquorum hominum ? aut quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti ? non enim eſt alius DEUS, quàm tu, cui eſt cura de omnibus, ut oſtendas, quoniam non injuſtè judicas judicium.

Apoc. 19. v. 11. XXIV. Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis & verax, & cum juſtitia judicat, & pugnat.

Stabilitas.

Iob. 34. v. 23. XXV. Neque ultra eſt in poteſtate Hominis, ut veniat in judicium ad DEUM; ipſo enim concedente pacem, quis eſt, qui condemnet? ex quo abſconderit vultum, quis eſt, qui contempletur eum, & ſuper Gentes, & ſuper omnes Homines?

Eccl. 11. v. 3. XXVI. Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.

Prov. 6. v. 35. XXVII. Zelus & furor viri (Chriſti) non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.

Neceſſitas.

Pſ. 10. v. 13. XXVIII. Propter quid irritavit impius DEUM? dixit enim in corde ſuo: non requiret.

Ibid. v. 5. XXIX. Non eſt DEUS in conſpectu ejus: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua à facie ejus.

Daniel. 13. v. 9. XXX. Everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum juſtorum.

Utilitas.

Isaia. 41. v. 5. XXXI. Viderunt judicia DEI Inſulæ, & timuerunt, extrema terræ obſtupuerunt, & appropinquaverunt, & acceſſerunt.

Pſ. 96. v. 5. XXXII. Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terra.

Locus.

Joel. 3. v. 2. XXXIII. Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat, & diſceptabo ibi cum eis.

Ibid. v. 12. XXXIV. Conſurgant, & aſcendant Gentes in vallo Joſaphat, quia ibi ſedebo, ut judicem omnes Gentes in circuitu.

Tempus.

Marc. 13. v. 32. XXXV. De die autem illa vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque Filius hominis, niſi Pater.

Act. 1. v. 7. XXXVI. Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.

Matth. 24. v. 42. XXXVII. Et vos eſtote parati, quia, quâ neſcitis horâ, Filius hominis venturus eſt.

Ib. 25. v. 6. XXXVIII. Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, exite obviam ei.

XXXIX. De temporibus & momentis, Fratres, non indigetis, ut ſcribamus vobis, ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet. *1. Theſſ. 5. v. 1.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. ATtende, quàm citò venit dies ultima. Præſentaberis ante tremendum Judicem, accuſaberis multis & magnis offenſis, non uno, non paucis, ſed innumeris criminibus, non dubiis, ſed certis, non brevi accuſatione, ſed tam longa, quàm longa eſt tota vita tua, non uno accuſatore, ſed tot, quot ſunt delicta tua. Ipſe Judex erit diſtrictus accuſator tuus. Omnes etiam Spiritus boni & mali coram DEO te accuſabunt: boni, quia DEO debent æquitatem, mali, quia tuam ſervant iniquitatem. Tot Judicibus & Populis adſtabis, quot præceſſerunt te in opere bono. Tot arguentibus confundêris, quot tibi præfuerunt bene vivendi exemplum. Omnibus Populis nudabuntur iniquitates tuæ, & cunctis agminibus patebunt univerſa ſcelera tua. Multa verò peccata tunc prorumpent ex improviſo, quaſi ex inſidijs, quæ modò non vides, & forſitan plura & terribiliora, quàm ſint, quæ nunc vides. *S. Bern. tr. de int. dom. c. 22.*

II. A dextris erunt peccata accuſantia, à ſiniſtris infinita dæmonia, ſubtùs horrendum chaos inferni, deſuper iratus Judex, foris mundus ardens, intus conſcientia urens, ibi vix juſtus ſalvabitur. Heu miſer peccator ſic deprehenſus quò fugies? latere erit impoſſibile, apparere intolerabile. *S. Anſelm. de ſimil. mundi.*

III. Quid tam pavendum, quàm judicandum adſtare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc exſpectare ſub tam diſtricto Judice ſententiam: *S. Bern. in Pſ. 90.*

IV. Time, o Homo, quòd in terribili judicio ei præſentandus es, in cujus manus horrendum eſt incidere, & ab eo examinandus, quem nihil latet. *Idem ſ. de promerd. med.*

V. In illo die nihil eſt, quod reſpondeamus, ubi cælum, terra, aër, aqua, & totus mundus ſtabit adverſum nos in teſtimonium peccatorum noſtrum: & ſi omnia taceant, ipſæ cogitationes noſtræ, & ipſa opera ſpecialiter ſtabunt ante oculos noſtros, nos ante DEUM accuſantes. *S. Chryſ. in c. 24. Matt.*

VI. Quid judicij tempore facturi ſumus, quando contra crucifixi Domini livores notæ peccatorum noſtrorum, & maculæ libidinum proferentur? Quo vultu reſpiciet redemptio noſtra perditionem noſtram? tantò graviora erunt noſtra delicta, quantò majora ſe oſtenderint divina beneficia. *Cæſar. hom. 23.*

VII. Quâ fiduciâ ſtabit deſertor ante Regem ſuum? vulneratus ante Medicum ſuum? perditus ante pretium ſuum? unde miſericordiam petiturus eſt, primùm de miſericordiæ contemptu judicandus? *Euſeb. Emiſſ. ho. 2. de ymb.*

S. Aug. ad Dioſc. VIII. In quo quemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet Mundi dies noviſſimus, quoniam qualis in die iſto moritur, talis in die iſto judicabitur.

S. Bern. ſ. 55 in Cant. & S. Greg. l. 17. in Job. c. 19. IX. Quid in Babylone tutum, ſi in Jeruſalem manet ſcrutinium? ſi juſtus vix ſalvabitur, peccator ubi parebit? quid facient tabulæ, quando tremunt columnæ?

S. Baſil. in l. de vera virg. X. Non confuſè aut ſummatim, aut indigeſtè peccata noſtra cernentur, ſed ſingula per partes ſuas, ut ſeſe habent, velut in pictura noſcentur. Exempli cauſa, quomodo ad patrandum quiſque adulterium properans è lecto ſurrexit, quibus paſſibus incedens uſus eſt, quo motu corporis, lentiore, an concitatiore, quem habitum, dum procederetur, aſſumpſit, & ex qua parte irrumpens uxorem alienam violavit; quo item ordine huic Mulier ad nefarium opus ſe ſubſtravit. Hæc, inquam, omnia velut in tabula per partes diligenter expreſſa cernentur. Nec opus tantum externum, ſed & intimæ cogitationes.

Quantitas ſeu Severitas.

S. Greg. l. 21. mor. c. 16. XI. Si taliter flagellatur Job, qui ſic omuit, qualiter feriendus eſt, qui contemnit? ex verbere præſenti judicia æterna penſanda ſunt: quomodo enim toleranda eſt pœna, quæ reprobat, ſi ferri non poteſt ira, quæ purgat?

Idem l. 19. mor. c. 28. XII. Per flagella hujus vitæ judicij nobis diſtrictio commendatur; ſi enim ita diſtrictè modò percutit, quando parcit; quomodo percuſſurus eſt, quando non parcens judicabit.

Euſeb. Emiſſ. ho. de ſymb. XIII. Cùm talis terror futurus ſit advenientis, quis poterit terrorem ſuſtinere judicantis? cùm talis futura ſit præſentiæ ſpecies, qualis erit forma ſententiæ? ille ergò venit ad judicandos nos, qui ſe judicio meminit addictum pro nobis. Ille veniet ad diſcutiendam vitam noſtram, qui eam reſtituit per mortem ſuam. Ille, inquam, pro commiſſa nobis ſalute noſtra rationem exacturus eſt, qui pro noſtra redemptione damnatus eſt. Qui tantùm contulit, ſcit, quantùm repoſcat.

Æquitas.

S. Greg. l. 18. mor. c. 6. XIV. Supernæ æquitati convenit, injuſtè acta juſtè judicare, ut divina ſententia ordinet in pœnam, quos inordinata actio traxit in culpam.

S. Bern. de 12. grad. XV. Cognoſcetur rectè Dominus juſtitiam faciens, qui nunc ignoratur miſericordiam quærens.

Infallibilitas & Immutabilitas.

S. Greg. l. 9. mor. c. 2. XVI. Non falli poterit, quia ſapiens: nec vitari potent, quia fortis robore. Nunc ut ſapiens omnia proſpicit: tunc ut fortis omnia punit.

S. Aug. l. 3. de ſymb. XVII. Ille Judex nec gratiâ prævenitur, nec miſericordiâ flectitur, nec pecuniâ corrumpitur, nec pœnitentia vel ſatisfactione mitigabitur. Hic dum tempus habet, agat anima pro ſe, quamdiu locus eſt miſericordiæ, quia ibi erit locus juſtitiæ.

XVIII. Modò enim licet tibi cauſam tuam componere. Ante ultimum judicium DEI compone cauſam tuam. Non eſt, unde præſumas, cùm ille venerit, nec falſos teſtes adduces, quibus ille fallatur: nec Patronos fraudulentis circumventionibus, & ingenioſis artibus adhibebis, nec ambies aliquo modo, ut Judicem poſſis corrumpere. Quid ergo ages apud talem judicem, quem nec fallere, nec corrumpere poteris, & tamen eſt, quod agas? Tunc enim ipſe erit Judex cauſæ tuæ, qui modò eſt teſtis vitæ tuæ. *S. Aug. 10 Chord. c. 2.*

XIX. Cùm venerit judicij tempus, correctionis locus non erit, ſed tantùm damnationis. Et erit tibi pœnitentia, ſed infructuoſa, quia ſera. Hodie hortatur te, ne judicet te: & qui Judex tuus futurus eſt, ipſe eſt hodie Advocatus tuus. *S. Aug. in Pſ. 51.*

XX. Veniet dies judicij, ubi plùs valebunt pura corda, quàm aſtuta verba: plùs conſcientia bona, quàm marſupia plena: quandoquidem Judex ille nec flectens donis, nec falletur verbis. Quid faciet de injuſtis judicijs, qui ipſas quoque juſtitias judicabit? *S. Bern. epiſt. 1*

Tempus.

XXI. Fruſtra annos, qui huic ſæculo remanent, computare ac definire conamur, cùm hoc ſcire, non eſſe noſtrum, ex ore veritatis audiamus. Quos tamen alij quadringentos, alij quingentos, alij etiam mille ab Aſcenſione Domini uſque ad ultimum eius adventum compleri poſſe dixerunt. Conjecturis quippe utuntur humanis, non ab eis certum aliquid de Scripturæ Canonicæ veritate profertur. Omnium verò de hac re calculantium digitos reſolvit, & quieſcere jubet ille, qui dicit: non eſt veſtrum, ſcire tempora, quæ Pater in ſua poſuit poteſtate. *S. Aug. 18. de civ. DEI*

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. ADveniente die judicij non quæretur à nobis, quid legimus, ſed quid fecimus: nec quàm bene diximus, ſed quàm religioſè viximus. *L. 1. c. 3.*

II. In omnibus rebus reſpice finem, & qualiter ante diſtrictum ſtabis Judicem, cui nihil eſt occultum, qui muneribus non placatur, nec excuſationes recipit, ſed quod juſtum eſt, judicabit. *L. 1. c. 2.*

III. O miſerrime & inſipiens peccator, quid reſpondebis DEO omnia tua mala ſcienti, qui interdum formidas vultum hominis irati ut quid non prævides tibi in die judicij quando nemo poterit per alium excuſari vel defendi, ſed unuſquiſque ſufficiens onus erit ſibi ipſi? *Ibid.*

IV-

Ibid. §. 6. IV. Tunc plùs lætificabit bona & pura conſcientia, quàm docta Philoſophia. Tunc plùs valebunt ſancta opera, quàm multa pulchra verba.

Lib. 2. c. 11. §. 1. V. Durus multis videtur hic ſermo: Abnega temetipſum, tolle crucem tuam, & ſequere JESUM, ſed multò duriùs erit audire illud extremum verbum: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Qui enim modò libenter audiunt, & ſequuntur verbum crucis, tunc non timebunt ab auditione æternæ damnationis. Hoc ſignum Crucis erit in cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit. Tunc omnes ſervi Crucis, qui ſe crucifixo conformaverunt in vita, accedent ad Chriſtum Judicem cum magna fiducia.

§. V.

EXEMPLA.

Qualitas.

Pſ. 142. v. 2. I. S. David ſollicitè à DEO petebat: Non intres in judicium cum ſervo tuo Do-
Pſ. 118. v. 120. mine. Item: Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui.

Job. 14. v. 13. II. S. Job dicebat: Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus.

Surius in vita 30. Oct. III. S. Hieronimus faſſus eſt, ſe, quoties diem illum conſideravit, toto corpore contremuiſſe, & ſemper illam tubam: ſurgite mortui, venite ad judicium: in auribus ſuis ſonuiſſe.

S. Aug. l. 6. Conf. c. 16. IV. S. Auguſtinus quoque de ſe confeſſus eſt, nihil aliud ipſum à profundiore voluptatum carnalium gurgite revocâſſe, niſi metum mortis & futuri judicii, qui numquam receſſit de pectore illius.

S. Bern. ſ. 16. in Cant. V. S. Bernardus, quantopere timuerit judicium hoc, ſequentibus verbis expreſſit: Paveo gehennam, paveo Judicis vultum, ipſis etiam tremendum Angelicis poteſtatibus. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum?

Peſſant conc. 1 de Judic. VI. S. Vincentius, Ordinis Prædicatorum Zeloſiſſimus Concionator, pleraſque conciones de Judicio inſtituit.

Iſ. c. 61. v. 1. VII. Iſaias quoque de ſe fatetur: Ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis DEO noſtro.

Vita c. 40. VIII. S. Tereſia, cùm Chriſtus Judex in pulcherrima luce ſe illi ſpectabilem exhibuiſſet, & quædam venialia peccata oſtendiſſet, tanto pudore confuſa eſt ex eorum aſpectu, ut pœnas Inferni tolerabiliores eſſe putaret, & undequaque quæreret, quò ſe abſconderet. Unde intulit: ſi tantilla lux tanto animum ſtupore conſternavit, quid futurum eſt in die judicii, quando ſe clarè oſtendet illa Majeſtas, & fœditatem peccatorum oſtendet.

Pallad. c. 1. XI. Elias Abbas, qui 70. annis ſanctiſſimè vixerat in deſerto, dicere ſolebat iis, qui ad ipſum ventitabant: Tria timeo. Primum eſt, animæ è corpore diſceſſio. Alterum, inevitabilis neceſſitas comparendi coram DEO. Tertium eſt ſententia, quam in me laturus eſt Judex.

Ruffin. n. 161. X. Agathon cùm ſub finem vitæ per triduū oculis apertis cælum aſpiceret, & ab aſtantibus quæreretur, ubi eſſet? reſpondit: in conſpectu DEI ſto. Cùmque illi rurſum interrogarent: nunquid & tu times, Pater? reſpondit iterum: Quantùm potui, mandata DEI ſervare ſtudui, ſed unde ſcio, opera mea DEO placuiſſe? alia ſunt hominum, alia DEI judicia. Ideo nihil confido de gratia & favore Dei, donec ſententiam in me ferendam audivero.

Ruffin. n. 163. XI. S. Arſenius annorum centum viginti ſenex, poſt vitam ſanctiſſimè actam cùm in fatali lecto flere cœpiſſet, & ab aſtantibus interrogatus fuiſſet, num & ipſe ſibi à Judice timeret? reſpondit: In veritate timeo: & iſte timor, qui nunc mecum eſt, ſemper in me fuit, ex quo factus ſum Monachus.

Engelg. in feſto Aſſumpt. XII. Princeps Luſitaniæ Joanna cùm poſt exactam in Monaſterio ſanctiſſimè vitam, in morte luctaretur, & Monialis intima accedens diceret illi: ergóne, ô Domina, tuam de Deo confidentiam amiſiſti, & quaſi deſperata loqueris? reſpondit: Cariſſima Soror, non de Deo deſpero, neque de illius infinita miſericordia; bene tamen tibi dico, quòd hoc non eſt ad domum Regis Patris ire, ſed ante tribunal Dei tremendum.

Drex. l. 2. trib. c. 5. §. 3. XIII. Joannes Taulerus moribundus tam horribiles & pavendos geſtus & aſpectus præſeferebat, ut omnes adſtantes de ſalute ſollicitos redderet. Verùm poſt triduum amico intimo apparens dixit, DEUM permiſiſſe ipſum tam horribili morte defungi, ut propter hanc luctam expeditiùs ad cælum tranſiret. Et revera, inquiebat ulterius, in eas me anguſtias Dæmones conjecerunt, ut viderer deſperationi proximus. Et niſi mors interveniens vocem interclusiſſet, eos edidiſſem clamores, qui ſummos angores facilè teſtari potuiſſent.

Fab. conc. 6. in Dom. 21. poſt Pent. XIV. Religioſus quidam poſt mortem alteri apparens habitu vili & triſti vultu, quærenti cauſam triſtitiæ, dixit: Nemo credit, nemo credit, quàm diſtrictè DEUS judicet, & quàm ſeverè puniat.

Io. Moſchus in prato Spir. c. 59. XV. Thallelæus Cilix, quod notatu digniſſimum, annis ſexaginta, quos in divino ſervitio exegit, aſſiduè flevit, ſempérque dicere ſolitus eſt: Tempus hoc nobis ad pœnitentiam indultum eſt, & rationes valde ſeveras poſtulabit Judex, ſi illud neglexerimus.

Utilitas.

Daurolt. c. 8. cat. hiſt. t. 15. ex. 3. XVI. Bogoris Rex Bulgarorum conſiderato in pictura (quam ei Methodius Monachus in nova domo pinxerat,) judicio extremo, adeò commotus eſt, ut & ipſe fidem Catholicam ſuſceperit, & ſuos etiam Bulgaros, parvâ manu, prælato tamen Crucis ſigno devictos, ad eandem fidem perduxerit.

Vita PP. l. n. 216. XVII. Quidam Religioſus cùm Mater illi mortua apparuiſſet, & negligentiam exprobrâſſet, ſummam pœnitentiam egit, cauſámque

rogatus dixit: Si Matris meæ improperium non portavi, quomodo Chriſti improperium in die Judicij tolerabo?

Act. 24. v. 25. XVIII. Diſputante Paulo de Juſtitia & Caſtitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix Præſes reſpondit: Quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno accerſam te. Ubi, teſte S. Chryſoſtomo, tanta erat vis verborum, ut etiam Principem deterreret.

Climac. grad. 4. XIX. Antiochus Monachus cùm in Aſiæ cœnobio ab Abbate ſuo nimis amanter tractaretur, & ideo abeundi licentiam petijſſet, primâ nocte, quam in Ponti cœnobio egit, vidit in ſomno, ſe ad rationes exigendas citatum, centum librarum auri debitorem convictum eſſe, ideóque omnem conatum adhibuit, ut virtutum præſtantiſſimarum, præſertim patientiæ & humilitatis, quarum occaſionem injuriæ & contemptus eidem velut peregrino exhibiti abunde offerebant, exercitio hoc debitum deleret, quod & factum, nam poſt triennium decem libros, poſt alios verò decem annos, cùm ſtultum ſe ſimulâſſet, & omnes cœnobij moleſtias pertuliſſet, omne debitum extinctum vidit.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Vita P. B. Alv. c. 47. I. P. Jacobus Velga initio morbi ſui lethalis adeò horruit rationem, quam erat coram DEO in ejus judicio redditurus, ut valde anxiè & ſollicitè à DEO peteret, produci adhuc ſibi vitam ad unum annum, ut ampliorem poſſet pœnitentiam agere.

Annua monitu regal. 1599. II. P. Jo. Baptiſta Vaninus vir Sanctus & miraculis clarus, cùm ad extrema veniſſet, elata voce ingeminabat: Juſtitia DEI. Cúmque P. Rector identidem ſuggereret: Miſericordia DEI. Tum ille ad P. Rectorem: Pater, ipſas juſtitias DEUS judicat. Tandem ſe convertens & projiciens in divinæ miſericordiæ abyſſum ſanctiſſimè expiravit.

§. VII.

EXEMPLA PROFANA.

Plato in Gorgia. I. QUantopere Plato judicium Rhadamanti æſtimârit, oſtendit his verbis: Ego igitur, ô Callicles, ab hujuſmodi ſermonibus flector, & conſidero, quâ ratione Judici ſanctiſſimum animum oſtendere poſſim. Quamobrem omnes Populi ſpernens honores, veritatémque conſiderans, conabor revera, quàm maximè potero, bonus vivere ac mori. Cohortor autem & cæteros omnes, quantùm poſſum. Te quoque ad hujuſmodi vitam revoco, atque certamen, quod equidem aſſero, præ alijs certaminibus in hac vita eſſe homini ſubeundum. Quapropter & te objurgo, qui non potens tibi ipſi opem ferre, quando de te judicabitur, inſtabitq; ſententia, quã modò dicebã.

Seneca de conſol. ad II. Etiam Seneca id agnoviſſe videtur, dum dixit: Cùm tempus advenerit, quo ſe mundus renovaturus extinguat, viribus iſta ſuis ſe cædent, & ſidera ſideribus incurrent, & omni flagrante materia, uno igne, quidquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit. Nos quoque felices animæ æterna ſortitæ, cùm DEO viſum fuerit, iterum iſta moliri. *Marc. cap. ult.*

III. Ethnici finxerunt Rhamnuſiam Pean ultricem fandi & nefandi, frena manu tenente, ut innueret, nihil efficacius eſſe ad retardandos mortales à ſceleribus, ac memoriam ultionis DEI & judicij. *Beſſam conc. 1. de judic.*

IV. Sed & Rhadamanthum, Minoëm, ac Æacum finxit antiquitas Judices in altero orbe conſtitutos, qui ſingulorum acta examinent, ac promeritis pœnis malè facta caſtigent. *Virgil. l.*

§. VIII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut tonitrua, fulminum ſunt prænuntia; ita ſigna judicium præcedentia, ſecuturum ultimæ ſententiæ fulmen prænuntiabunt. *Beſſ. 2. de judi*

II. Sicut maris accolæ ex avium circumvolata in litore colligunt, quando mare alluet, aut defluet; ſic undoſos judicij æſtus horrida ſigna præcedent, ut homines ſibi cavere poſſint juxta illud Pſalmi: Dediſti metuentibus ſe ſignificationem, ut fugiant à facie arcus. *Pſ. 59. v.*

III. Sicut, cùm Herus in agone pro depoſito habetur, domeſtici in luctu & ſqualore ſunt, ipſíque parietes ac ſellæ atris pannis obducuntur; ita, dum homo Mundi Dominus expiraturus eſt, omnia ſenſata & inſenſata lugebunt. *Ibid. apud Beſſ.*

IV. Sicut Noë ex plantata à ſe vinea inebriatus dormijt, & nudatus riſus eſt, at evigilans maledixit impio Filio irridenti; ita Chriſtus amore Eccleſiæ ebrius, ac in cruce nudatus, riſúſque, diſſimulans peccata hominum, excitabitur tanquam dormiens, & quaſi potens crapulatus à vino, & percutiet inimicos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dabit illis. *Pſ. 77. 65.*

V. Sicut illi, qui è carceribus educuntur, unà cum ipſis catenis ad judicium protrahuntur; ſic omnes animæ, cùm hinc emigraverint, varijs peccatorum pœnis implicitæ, ad terribile illud ducentur tribunal. *S. Chry. ho. 14. in c. 4. M.*

VI. Sicut vitrum Soli objectum ſecreta omnia, & penitiſſimas pandit rimulas; ita cùm nos Soli Chriſto objiciemur, noſtra omnia pateſcent. *Drexel. in Trib. l. 1. c. 5. 1.*

VII. Sicut in diebus Noë, ita erit & adventus Filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, uſque ad eum diem, quo intravit Noë in Arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes; ita erit & adventus Filij hominis. *Matt. 24. v. 37.*

VIII. Sicut Fur in nocte, ſic dies Domini veniet; cùm enim dixerint, pax & ſecuritas, tunc repentinus ejus ſuperveniet interitus. *1. Theſ. 5. v. 2.*

IX.

Iſ. 42. v. 14. IX. Sicut Aquila immota aliquamdiu coturnicum morſus & deplumationem patitur, ſed tandem graviter injuriam ulciſcitur, & obvias perimit; ita DEUS diu patitur peccatorum injurias, ſed ſuo tempore in judicio graviter ſe de illis vindicabit, ut ipſe per Iſaiam ſuis verbis indicavit: Tacui, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar: diſſipabo & abſorbebo ſimul.

Fab. co. 2. feſtoS. Nic. X. Sicut Judex cauſas litigantium differt ad certum diem, in quo omnibus jus reddat, licet interim neceſſitate exigente, quandóque cauſas aliquas obiter expediat, & aliquos carceribus includat; ſic DEUS quaſdam cauſas hîc obiter expedit, reliquas in die univerſalis judicii expediet.

Ib. n. 2. XI. Sicut Triumphatores olim captivos in triumphum duxerunt, & poſtea in carcerem vel ad mortem abduci juſſerunt, ita Chriſtus priùs de peccatoribus in extremo judicio triumphum aget, & poſtea morti & carceri æterno eos adjudicabit.

S. Baſil. l. de virgin. XII. Sicut ii, qui pretioſâ ſunt ornati veſte, cùm fortè intrinſecus quoque formoſi ac venuſti ex illo exteriori cultu putarentur, exuti tunicâ, nudique in balneo conſpecti, contrà quàm putabatur, ridiculi ac innumeris ferè malis inſigniti corporis continuò apparuerunt; ita multi, qui in hac vita juſti & ſancti apparebunt, in judicio graviſſimis ſceleribus vinati videbuntur.

Fab. conc. 3. in Dom. 3. Adv. XIII. Sicut, dum Ancillæ obiter tantùm domum everrunt, Dominæ poſtea accuratiùs eandem luſtrantes, ſordes ab iis relictas cum gravi earum confuſione producunt, & oſtendunt; ita dum peccatores leviora duntaxat peccata confitentur, DEUS eorum graviora delicta cum ſummo dedecore manifeſtabit olim in judicio.

S. Aug. ſ. 112. de temp. XIV. Sicut in hyeme omnes arbores nudæ ſunt, ſed æſtas frugiferas ab infrugiferis diſcernit; ita in hac vita nondum apparet, qui electi aut reprobi ſint, ſed Chriſti adventus id indicabit.

Quantitas.

Orig. ho. 3. in pſ. 36. XV. Sicut ad mare rubrum venerunt Ægypti & Iſraelitæ, ſed hi innoxii tranſierunt, illi ſubmerſi ſunt; ita ad Judicium mali & boni perducentur; verùm hi cum gaudio id ſubibunt, illi cum mœrore ſententiam perditionis accipient.

S. Hier. in 2. Ioel. XVI. Sicut aurora conſurgens primùm occupat montes; ſic judicium ab excelſis & potentibus incipiet, ut potentes potenter tormenta patiantur.

...non. XVII. Sicut, quò meliori Diſcipulus ingenio ac talentis præditus eſt, tantò graviùs examinantur; ita quò plura quis beneficia ac talenta à DEO accepit, tantò ſeverior ab eo ratio exigetur.

Æquitas.

Beſſ. conc. 2. de judic. XVIII. Sicut cùm civitas ab Tyranni preſſa jugo, poſtquam ſemel illud excuſſit, in ipſum arma ſumit pro libertate; ita cùm à Peccatoribus creaturæ ſint quaſi Tyrannidem paſſæ, meritò armantur denique ad ultionem inimicorum, & pugnabit cum DEO orbis terrarum contra inſenſatos, ut Salomon prædixit.

S. Greg. Nyſſ. orat. 5. de beat. XIX. Sicut ſpecula tales oſtendunt effigies, quales ſunt vultus illis objecti, nec propterea culpanda ſunt, ſi fœdam faciem repræſentant; ita juſtum DEI judicium noſtris affectionibus aſſimulatur, qualiacunque à nobis commiſſa fuerint, tales nobis de ſuo præbens retributiones.

S. Chryſ. ho. 3. op. imperf. XX. Sicut nemo reprehenditur, quando paleas à tritico ſeparat, & hoc quidem recondit, illas verò ut inutiles abjicit; ita nec DEUS culpandus eſt, ſi à fidelibus ſeparet infideles, qui non reficiunt ad gloriam ejus.

Utilitas.

Orig. ho. 5. in Levit. XXI. Sicut, quando cauſa apud Judicem dicenda eſt, quæ aliquem metum ex legibus habere videtur, ex omnibus vigiliis excubatur, & advocato Patrono munera præparantur; ita ſi credamus nos olím ante tribunal DEI ſtaturos, cauſámque tam dubiam dicturos, meritò & ipſum Judicem Chriſtum, & ſanctos piis operibus conciliare conabimur.

S. Chryſ. ho. 38. in Ioan. XXII. Sicut is, qui DEI judicii obliviſcitur, tanquam freno abjecto in præcipitium defertur; ita quem continuus hic percellit timor, modeſtè vivendi viam ingreditur. Recordare noviſſima, inquit, & in æternum non peccabis.

Staplet. in 2. in Dom. 1. Adv. XXIII. Sicut caſta Conjux non intrepidè tantùm, ſed etiam cupidè expectat reditum Mariti ſui, ſervúſque fidelis reditum Domini ſui; ita repentini judicii timor omnem prorſus tollit vitæ rectè inſtituendæ dilationem.

Ibid. XXIV. Sicut Sol omnes ſtellas fulgore ſuo obſcurat; ſic ſolius judicii memoria terrore ſuo omnes concupiſcentias extinguit.

Ibid. XXV. Sicut fortiſſimo Milite domum cuſtodiente, domus illa à Latronibus nocturnis tuta eſt; ita timor futuri judicii ab imminentibus peccatorum periculis ſecuros nos facit.

Fab. conc. 5. in do. 24. poſt Pent. n. 5. XXVI. Sicut Nauta non in prorâ, ſed in puppi ſedens navem bene dirigit; ſic animus noſter vitam ſuam benè reget, non ſi in prora præſentis vitæ, ſed puppi potiùs futuri ſtatûs conſtituatur.

Beſſ. conc. 1. de judic. XXVII. Sicut Cervæ tonante cælo pariunt, metu eaſdem reſolvente; ita peccatorum animæ ad judicii tonitru ſcelera deponunt.

§. IX.

M O T I V A.

Ad Judicium timendum.

Matth. 10. v. 28. I. POtentia *Judicis*: hinc ipſe Chriſtus dixit: nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.

Jer. 17. v. 10. II. *Sapientia Judicis*: quam ipſe per Jeremiam indicavit dicens: Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes; qui do unicuique juxta viam ſuam & juxta fructum adinuentionum ſuarum.

Pſ. 74. v. 3. III. *Juſtitia Judicis*: qui, cùm acceperit tempus, juſtitias judicabit; hinc meritò timens *Job. 31. v. 14.* S. Job., quid faciam, inquit, cùm ſurrexerit ad judicandum DEUS, & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi? ſemper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui DEUM, & pon- *Ib. c. 9. v. 28.* dus ejus ferre non potui. Verebar omnia opera mea, ſciens, quòd non parceres delinquenti.

Prov. 6. v. 35. IV. *Inflexibilitas Judicis*: non enim parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.

Matth. 24. v. 30. V. *Majeſtas Judicis*: nam, ut Chriſtus prædixit, tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium Hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & Majeſtate.

Marci 13. v. 33. VI. *Incertitudo judicii quoad tempus*: hinc Chriſtus monet: Vigilate (neſcitis enim, quando Dominus domûs veniat, ſerò, an media nocte, an galli cantu, an manè) ne, cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes.

Eccl. 9. v. 1. VII. *Incertitudo Judicii quoad eventum*: nam, ut Salomon ait, ſunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu DEI: & tamen neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.

Sophon. c. 1. v. 15. VIII. *Horribilitas Judicii*: eſt enim dies iræ, dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ; & tribulabitur ibi fortis, teſte Sophonia.

Euſeb. Emyſſ. in ho. IX. *Furor accuſantium Diabolorum*: dicens quippe, teſte Euſebio Emyſſeno, ad DEUM: Juſte rerum arbiter, tuus quidem eſt homo per creationem, ſed noſter cœpit eſſe per culpam: tuus per naturam, noſter per inobedientiam: qui maluit audire ſeductionem noſtram, quàm legem tuam: tibi debetur jure, nobis crimine: tuus eſt opere, noſter voluntate, quia potuit præceptum tuum ſervare, ſed noluit.

S. Chryſ. ho. 43. ad pop. X. *Aſſiſtentium omnium hominum multitudo*: nam, ut benè S. Chryſoſtomus dixit, ſi noſtrum cujuſque crimen occultum huic modò co[illegible] ſſiu innoteſceret, nónne fieret, ut ille in[illegible] te [illegible] potiùs, ac ter[illegible] dehiſcere, quàm tam multos peccati ſui teſtes habere mallet, quid igitur tum nobis fiet miſeris, cùm omnia orbi univerſo palàm facta, in tam aperto, tamque illuſtri theatro denudata, hominum partim nobis cognitorum, partim incognitorum oculis ſubjicientur?

§. X.

M E D I A.

Ad Judicii ſententiam malam evitandam.

S. Gr. ho. 1. in Evang. I. TImor *Judicii*: nam, teſte S. Gregorio, adventum æterni Judicis tantò ſecuriores quandoque videbimus, quantò nunc diſtrictionem illius timendo prævenimus.

Eccl. 18. v. 19. II. *Examinis frequens uſus*: ſic enim Siracides monet, dicens: ante judicium interroga teipſum, & in conſpectu DEI invenies propitiationem. *1. Cor. 11. v. 31.* Et confirmans idipſum S. Paulus ait: Quòd ſi noſipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. *S. Auguſt. ſent. 210.* Peccata enim, ait S. Auguſtinus, ſive parva, ſive magna, impunita eſſe non poſſunt, quia aut homine pœnitente, aut in judicio DEO puniente plectuntur. Ceſſat autem vindicta divina, ſi converſio præcurrat humana, amat enim DEUS confitentibus parcere, & eos, qui ſemetipſos judicant, non judicare. *S. Bern. ſ. 55. in Cant.* Hinc meritò exclamans S. Bernardus, bonum judicium, ait, quod me illi divino, diſtrictóque judicio ſubducit & abſcondit. Prorſus horreo, incidere in manus DEI viventis, volo vultui iræ judicatus præſentari, non judicandus. Judicabo proinde mala, judicabo & bona. Scrutabor vias meas, & ſtudia mea, quò is, qui ſcrutaturus eſt Jeruſalem in Lucernis, nihil inſcrutatum in me, ſive indiſcuſſum inveniat, neque enim judicaturus eſt bis in idipſum.

S. Greg. ho. 10. in Ev. III. *Pœnitentia ſeria*: nam à paradiſi gaudiis per oblectamenta diſceſſimus, ad hæc per lamenta revocamur. Unde neceſſe eſt, ut ſemper pavidi, ſempérque ſuſpecti, ponamus ante oculos cordis, hinc culpas operis, illinc judicium extremæ diſtrictionis. *S. Aug. 109. de te.* Nam, ut S. Auguſtinus ait, in altera vita erit pœnitentia, ſed infructuoſa: erit ibi pœnitentia dolorem habens, medicinam non habens. Nunc eſt fructuoſa pœnitentia, quando correctio libera. Pœniteat te ad vocem ſcripturæ, nam ad vocem præſentis Judicis ſine cauſa pœnitebit te.

Luc. 6. 37. IV. *Non judicare alios*: nam ſic ipſe Chriſtus ſuaſit: Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. *Baron. 599. n. 20.* Expertus eſt hujus medii efficaciam Monachus, qui alioqui non admodum religioſus, hoc uno tamen caritatis actu inſtructus, lætus mortem obiit, omniáque ſua peccata à duobus Juvenibus venuſtiſſimis paulò antè à ſe conſpectis deleta dixit.

Matth. 5. V. *Miſericordiæ exercitium*: beati enim miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur; etenim eleëmoſyna, teſte S. Chry- *S. 33. ad pop.*

ſoſto-

ſoſtomo, Chriſti adſtat tribunali, non tantùm patrocinans, verùm & ipſi Judici perſuadens, ut reo patrocinium præſtet, & pro eo ferat ſententiam.

Surius 27. Sept.

VI. *Fiducia erga Chriſtum Paſſum*: ſic enim Elzearius expertus eſt, qui cùm ad ultimam luctam urgeretur, ter repetiit verba illa: Per crucem & paſſionem tuam, libera me Domine: addiditque, hæc eſt ſola ſpes mea, in ea emori certum eſt. Subinde in habitu formidinis pleno aliquamdiu perſiſtens exclamavit tandem: magna vis eſt cacodæmonum, ſed eam mors Domini JESU, & virtus ex adverſo longè potentior fregit, & obtrivit.

S. Chryſ. ho. in hypap. Domini.

VII. *Amor ſincerus B. Virginis*: nam ideo ipſa ab æterno DEI Mater prælecta eſt, teſte S. Chryſoſtomo, ut, quem DEUS ſalvare non poteſt per ſuam meriſſimam juſtitiam, ipſa per ſuam pietatem & miſericordiam ſalvaret.

Guil. Angl. in c. 1. cant.

Meritò ergo exclamat Gulielmus Anglicus: Attendite MARIÆ addicti ex toto corde, ait enim Sponſus: paſce hædos tuos; ſuos quippe vocat, quia non omnes hædi vocantur MARIÆ, ſed qui MARIAM colunt ac venerantur, licet ſceleribus contaminati; qui enim peccatis irretiti ſunt, nec B. Virginem aliquo ſpeciali obſequio proſequuntur, nec preces aliquas in ipſius cultum fundunt, ut vel tandem aliquando reſipiſcant, hædi profectò ſunt, non verò MARIÆ, ſed ad ſiniſtram Judicis ſiſtendi, æternas pœnas ſubituri.

Sur. 4 Dec.

VIII. *Sanctorum conſtans veneratio*: hi enim ſunt amici, quos conciliare nobis, Chriſtus hortatus eſt. Sic Andreas nobilis Romanus S. Cæſarii precibus miſericordiam in judicio expertus, vitæque reſtitutus eſt. Sed & Gothorum tempore Matrona quædam, quæ crebrò ad Eccleſiam SS. Martyrum Proceſſi & Martiniani veniebat, dum egrediens duos Monachos ſtantes vidit, eíque eleëmoſynam dari præcepit, eidem aſtiterunt, & dixerunt: Tu nos modò viſitas, nos te in die judicii requiremus, &, quidquid poſſumus, præſtabimus tibi; & hoc dicto ab oculis ablati ſunt.

S. Greg. ho. 32. in Ev.

S Bern. ſ. 8. in pſ. 90.

IX. *Paupertas voluntaria*: de qua ſic S. Bernardus: felix paupertas voluntaria omnia relinquentium, & ſequentium te, Domine JESU. Felix planè, quæ tam ſecuros, imò glorioſos faciat in illo ſingulari fragore elementorum, & in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto diſcrimine judiciorum.

§. XI.

ASCETICA.

Fab. conc. 2. in feſto S. Nicol.

I. QUinque ſunt præcipua, quæ de Judicio bene obſervare debet Aſceta. Primum eſt, ut bene cognoſcat cauſas inſtituendi judicii, quas quidem ex triplici fonte deſumit P. Matthias Faber. 1. *Ex parte DEI*: Ut juſtitia illius appareat; hinc Apoſtolus monet: nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum. 2. *Ex parte Chriſti*: ut ei honor ablatus publicè reſtituatur, & compenſetur judiciaria poteſtate. 3. *Ex parte judicandorum*: ut quisque completam mercedem, tam quoad corpus, quàm quoad animam recipiat. Hinc iterum Apoſtolus monet: omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisque *propria corporis*, prout geſſit.

1. Cor. 4. v. 5.

2. Cor. 5. v. 10.

S. Greg. l. 24. Dial. c. 7.

II. Alterum eſt, ut ſciat timorem judicii fructuosè uſurpare, & per eundem ſe ad perfectionem exſtimulare. Qui quidem fructus in duobus præcipuè conſiſtit. 1. Ut non exiſtimet, ſibi timorem hunc ideo deponendum, quòd viam purgativam ſuperârit, ſed potiùs meminerit doctrinæ, quam S. Gregorius hac in parte dedit dicens: Quantò quis ſanctiùs vivit, tantò cautiùs expendit, quàm diſtrictus adveniat æternus Judex. Ita ſuum ipſe terminum quotidie proſpicit, & ante ſeveritatem tantæ Juſtitiæ, quas rationes vitæ ſit poſiturus, attendit. 2. Ut noverit aptè miſericordiæ & Juſtitiæ conſiderationem miſcere juxta S. Auguſtini conſilium dicentis: nemo ad impunitatem ſibi de miſericordia DEI blandiatur, quia eſt judicium. Et nemo in melius commutatus exhorreat judicium DEI, quia præcedit miſericordia DEI.

S. Aug. in Pſ. 100.

Fab. conc. 9. in Dom. 21. poſt. Pent.

III. Tertium eſt, ut dignam de hoc judicio æſtimationem concipiat, eúmque in finem tria præcipuè perpendat. 1. Multitudinem rerum, de quibus eſt reddenda ratio, quas quidem ad quatuor ſpecies revocat Beſſæus, dum ait: Judex inquiet: Redde rationem Villicationis tuæ de quatuor villis: mundi cum rebus creatis: corporis cum ſuis ſenſibus: Animæ cum donis ſuis & gratiis: crucis cum SS. Sacramentis. 2. Judicis examen & inquiſitio accuratiſſima, & ſeveriſſima. Ubi meritò quisque exclamat: Quid ſum miſer tunc dicturus? quem Patronum rogaturus? cùm vix juſtus ſit ſecurus. 3. Graviſſima æſtimatio, quam Judex de rebus in judicium tractis formabit, ratione cujus etiam juſtitias judicare dicitur.

Job. 32. v. 22.

IV. Quartum eſt, ut ſolidum ſciat modum ſeſe præparandi ad hoc judicium, qui quidem in tribus præcipuè conſiſtit. 1. Ut ſemper paratus ſit, cùm ſemper dicere poſſit cum Jobo: Neſcio quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum me tollat factor meus. 2. Ut ſemper conetur eſſe in gratia juxta Siracidis conſilium: ante obitum tuum operare juſtitiam. 3. Ut extraordinariis obſequiis Judicem ſibi conciliare conetur, qualia præcedenti §. non pauca ſunt indicata. Præcipuè verò ut ad quæſtiones à judice proponendas ſe præparet, videlicet an caritatem DEI & Proximi ſervaverit, diligens DEUM ex toto corde, anima viribus & fortitudine, & proximum ſicut ſeipſum dilexerit atque adeò eſurientes paverit, ſitientes potârit &c. O quàm diligenter ad quæſtiones proponendas examinandi ſe præpararent, ſi quæ proponendæ ſunt, ante examen cognoſcerent.

Eccl. 14. v. 17.

V. Quin-

V. Quintum denique eſt, ut, ſi fortè grandia ante converſionem peccata commiſit, non nimium angatur, ſed potiùs credat, etſi illa toti orbi manifeſtanda ſint, ut Leſſius & alii probant, ac ſcripturæ conformius putant, ea tamen non in pudorem, ſed ad magnam DEI glorificationem, propriámque congratulationem ceſſura, ut S. Anſelmus docet, aptáque ſimilitudine demonſtrat, dum ait: non tunc pro peccatis tuis te major anguſtia premet, ſcelerúmque tuorum magis pudebit, quàm aliquem olim magnis vulneribus ſauciatum, jámque ex omni parte ſanatum, aboliti ſanguinis moleſtia premit. Vel nunquid eorũ, quæ in cunis poſitus infans egetat, nunc grandævum pudet? tunc quippe, cùm integra ſanitas, perfecta munditia, plena remiſſio, ſecura omnium offenſionum impunitas tibi certò arriſerit, cognitio vel recordatio peccatorum tuorum in nullo tibi magis horrori eſſe vel confuſioni valebit, quàm eſt modo B. Petro Apoſtolorum Principi abnegatio ſua, vel B. Mariæ Magdalenæ peccata ſua. Verùm ſuper hoc agnitis delictis, velut in enormi ac fœda infirmitate ſuâ pietas, virtus, Sapientia Medici, qui te ſanavit, ſublimiùs à cunctis admirabitur, laudabitur, magnificabitur; laus autem & magnificentia gloriæ DEI, tua, ſi bene advertis, gloria eſt.

S. Anſelm. ſ. debeat.

§. XII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occaſione thematis: *Fugite à facie gladii, & ſcitote eſſe judicium*: poteſt narrari, quod Tamberlanes Tartarorum Princeps feciſſe dicitur, ſi civitatem oppugnavit, quòd ſcilicet prima die tentorium, ſeu, ut alii volunt, vexillum album erigi juſſerit, in ſignum ſecuritatis & pacis, ſi obſeſſi ſe dederent. Secundo die rubrum in ſignum cædis futuræ, niſi illâ die parerent. Tertiâ nigrum, quo ſignificabat urbem penitus vaſtandam, ſi tertia adhuc die reſiſtere vellet. Oſtendatur deinde, eundem morem DEUM ſervare, ut qui priùs per vexillum album, id eſt, proſperitatem & beneficia, ad deditionem conatur movere hominem. Si hoc non proficiat, vexillum rubrum expandit, id eſt, tribulationes immittit. Et tandem ſi neque ſic flecti ſe ſinat, nigrum vexillum ultimæ ſententiæ ipſi obvertit, & extremam calamitatem infert; quæ omnia facilè aptis exemplis confirmari poſſunt.

Iob. 19. v. 29.

II. Ex occaſione thematis: *Sicut fulgur erit ab oriente, ita erit adventus Filii hominis*: poteſt extremum judicium Tempeſtati comparari. Et 1. oſtendi, quomodo peccata, velut exhalationes, aſcendant in altum, & ibi includantur in nube, id eſt, Chriſto, eámque percutiant, unde poſtea tonitru, id eſt, admonitio DEI, & ſonus tubæ Angelicæ producitur; ſequitur fulgur, id eſt, adventus Chriſti Judicis, vel ignis antecedens Chriſtum; & tandem fulmen ſententiæ ultimæ, quæ verè eſt fulmen *urens* corpus & animam; *denigrans*, id eſt, perpetuam infamiam inducens; & *diſſipans*, id eſt, ſeparans juſtos ab injuſtis. 2. Oſtendatur, quæ media contra hanc tempeſtatem adhiberi debeant, ſcilicet ut vel ſub Laurum, id eſt, B. Virginis patrocinium confugiatur; vel ſubter terram ſe quis abſcondat, id eſt, per humilitatem & pœnitentiam, ſe coram DEO humiliet: vel crucem hiſpanicam pectori appendat, id eſt, tribulationes multas propter Chriſtum patiatur.

Matth. 24. v. 27.

III. Ex occaſione thematis: *Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes*: poſſunt oſtendi varii montes, ad quos confugere debeant, qui judicium malum effugere volunt, nempe 1. ad montem *Pœnitentiæ* juxta illud S. Joannis: progenies viperarum, quis demonſtravit, vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Hinc S. Chryſologus ait: currat pœnitentia, ne præcurrat ſententia: ne judicemur, judices noſtri ſimus. 2. Ad montem *orationis*, juxta illud Chriſti: Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ ventura ſunt, & ſtare ante Filium hominis. 3. Ad montem *miſericordiæ*: nam fiducia magna erit coram ſummo DEO eleëmoſyna, omnibus facientibus eam. 4. Ad montem *Timoris*, maximè circa hoc judicium ad D. Hieronymi exemplum occupati; ſcriptum eſt enim, timenti Dominum bene erit in extremis. Hinc Abbas Amon cuidam Fratri poſtulanti ſermonem utilem, dixit. Vade, & fac talem cogitationem tuam, qualem faciunt illi, qui ſunt in carcere. Illi enim interrogant homines: ubi eſt Judex, & quando veniet? & in ipſa exſpectatione pœnarum ſuarum plorant. Sic etiam debes animam tuam objurgare dicens: Væ mihi, ſi non cogitavero, quomodo habeo aſtare ante tribunal Chriſti, & actuum meorum reddere rationem. Si ſic ſemper meditatus fueris, poteris ſalvus eſſe. Hoc conſilium ſecutus Ceadda Epiſcopus Merciorum in Anglia, quoties tonabat, aut fulgurabat, aut vehementior procella ingruebat, diem judicii cogitabat, & miſericordiam divinam humano generi propitiare conabatur. Hinc ab Angelis de obitu ſuo præmoneri meruit ſeptem ante mortem diebus. 5. Ad montem *Calvariæ* ſeu *Paſſionis Chriſti*: ad exemplum illius Monachi, qui, quoties crucem tranſibat, Chriſtum per anguſtias mortis ſuæ rogavit, ut ſibi quoque in extremo mortis articulo adeſſe, & propitius eſſe dignaretur, meruitque ſine Purgatorio hinc ad cælum tranſire. Nam, ut S. Auguſtinus dixit: nihil tam ad mortem amarum eſt, quod meritis Chriſti non ſanetur. Tota ſpes mea eſt in morte Domini mei, mors ejus meritum meum, refugium meum, ſalus, vita, & reſurrectio mea: meritum meum miſeratio Domini: non ſum meritis inops, quamdiu ille miſerationum Dominus non defuerit. 6. Ad montem *Patrocinii B. Virginis*: nam ipſa, teſte S. Bernardo, ut Advocata noſtra, ut Judicis Mater, & ut Mater miſericordiæ, efficaciter ſalutis noſtræ negotia tractabit. Hinc S. Au-

Matth. 24. v. 16. *Matth. 3. v. 7.* *S. Chryſ. ſer. 167.* *Luc. 21. v. 36.* *Tob. 4. v. 12.* *Eccl. 1. v. 13.* *Fab. conc. 3. in Dom. 24. poſt Pent.* *S. Beda hiſt. Angl. l. 4. c. 3.* *S. Bern. Med. etc.*

Anſelmus dicere ſolebat: ſicut à te deſpectus & averſus, neceſſe eſt, quòd pereat; ſic ad te reverſus, & à te reſpectus, impoſſibile eſt, quòd pereat. Filioli, hæc Peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio ſpei meæ. Videri poteſt de hac materia fuſiùs diſcurrens Faber cit. conc. 5. in Dom. 24. poſt Pentecoſten.

Luc. 12. v. 35. IV. Ex occaſione thematis: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum*: poteſt explicari, quomodo quisque ad futurum judicium ſe præparare debeat, nimirum 1. *Lumbos præcingendo*, id eſt, deſideria rerum terrenarum conſtringendo, ut nihil in via ſalutis & perfectionis impediat. 2. *Lucernas ardentes*: ferendo, nempe caritatem DEI & Proximi, non verbo duntaxat, ſed opere monſtratam. 3. *Exſpectando Dominum*: id eſt, ſemper in oculis & mente habendo adventum ejus, & præmia, quæ juſtis; & ſupplicia, quæ Peccatoribus decernet. Venit
S. Greg. ho. 13. in Evang. quippe Dominus, inquit S. Gregorius, cùm ad judicium properat: pulſat verò, cùm per ægritudinis moleſtias mortem eſſe vicinam deſignat. Cui confeſtim aperimus, ſi hunc cum amore ſuſcipimus: aperire enim Judici pulſanti non vult, qui exire de corpore trepidat, ut videre eum, quem contempſiſſe ſe meminit, Judicem formidat. Qui autem de ſua ſpe & operatione ſecurus eſt, pulſanti confeſtim aperit, quia lætus Judicem ſuſtinet, &c. cùm tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilareſcit.

Matth. 13. v. 49. V. Ex occaſione thematis: *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio Juſtorum*: oſtendi poteſt, quàm acerba ſit hæc ſeparatio futura ob quinque effectus, quos in corde malorum
Sap. 5. v. 2. producet, nempe 1. *Ob ſtuporem*: nam, ut Sapiens ait, mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis dicentes intra ſe: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum &c. ecce quomodo computati ſunt inter Filios DEI! 2. *Ob livorem*: videbit enim Peccator gloriam electorum, & iraſcetur: dentibus ſuis fremet & tabeſcet. 3. *Ob pudorem*: implebitur enim in illis, quod
Deut. 28. v. 43. DEUS in Deuteronomio prædixit: Advena, qui tecum verſatur in terra, aſcendet ſuper te, eritque ſublimior; tu autem deſcendes, & eris inferior: ipſe erit in caput, & tu eris in caudam. 4. *Ob dolorem*: quem ſentient, ſi ſe videbunt à DEO, Sanctis, cariſſimis amicis, ipſáque felicitate æternùm ſeparari. 5. *Ob timorem* ſecuturæ ſententiæ, & detruſionis ad æternos carceres & ſupplicia. Hortetur proin, ut hos effectus in quinque digitis deſcribant, & in dextræ manus digitis alios quinque effectus in Electis producendos, ſcilicet Gratulationem, exultationem, gratiarum actionem, exaltationem, exſpectationem. Quæ videri poſſunt fuſiùs apud Fabrum conc. 3. in Dom. 3. Adv. n. 2.

Matth. 24. v. 21. VI. Ex occaſione thematis: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio Mundi uſque modò, neque fiet*: poteſt horrendus proceſſus Judicii per ſequentem Parabolam explicari. Die quodam ſub veſperem vir opulentus & magni nominis cum Familia ſeceſſerat in villam omni ſupellectile & deliciis abunde inſtructam. Ubi tamen dum hilari convivio ſe recreat. Famulus quidam perfidus tam ipſi, quàm conſervis Lethargum miſcuit. Dum autem ſic graviſſimo ſopori ſunt immerſi, laveniones & prædones in domum immittit, qui eam totam expoliantes, Dominum quoque ipſum velut mortuum exportant, & campo medio depoſitum deſtituunt. Interea cælum fœdis tempeſtatibus miſceri, micare fulgura, mugire tonitrua, nimbi præcipitare; quibus excitatus Herus lethargicus, mirari incepit, ſe extra domum in nuda humo, ſine Famulis, ſine ope, inter turbines & procellas deſtitutum, miſeriámque ſuam vehementer, ſed fruſtra deplorare, nam fulmine ictus interiit. Applicetur ſubinde parabola Peccatori; nam veſper hanc vitam; villa locum, in quo otio & luxui vacat: ſervus corpus: lethargus ſocordiam in ſalute procuranda: Prædones mortem & Diabolum: campus vallem Joſaphat; tempeſtas judicium extremum: fulmen ultimam ſententiam: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: denotat. Unde facilè apparet, quàm miſer ſit Peccatoris ſtatus.

§. XIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. JOſue ſeptem diebus cum Arca circumibat *Joſ. 6.*
muros civitatis Jericho, tubâ clangens; quod figura erat Judicis, nam & tunc antè, quàm Mundus per Lunam (quam Jericho ſignificat) figuratus pereat, ſol & alia ſidera, quæ ſunt militia cæleſtis, ipſum inſolito curſu circumibunt, ſignáque dabunt.

II. Cor ſapientis in dextra illius, & cor ſtulti *Eccl. 10.*
in ſiniſtra ejus, ait Salomon, quia juſtus omnia *v. 2.*
ſua cogitata refert ad dextram Judicis ac DEI gloriam; ſtultus verò cogitationibus ad ſiniſtram ſe vertit.

III. De minimis non curat Prætor, ajunt *S. Bern. ſ.*
Juriſtæ; ſed vel maximè DEUS, quia, teſte S. *55. in Cant.*
Bernardo, nihil inſcrutatum relinquet oculus ejus.

IV. Si duo folia ſumantur, & in altero quid- *Inchin. p. 2.*
piam aquâ, in altero quid ſucco citri ſcribatur, *c. 5.*
nihil quidem in utroque apparebit, ſed ſi ad ignem applicentur, multa in poſteriore, nihil in priore folio ſcriptum reperiemr; ſic ſe res cum conſcientia Juſtorum & Injuſtorum habebit, nam in illa, quia per aquam tribulationum ſcribitur, nihil in judicio mali apparebit; plurima autem peccata in conſcientia malorum legentur.

Quantitas.

V. Cùm Philippus II. Hiſpaniarum Rex *Drex. in*
duos è magnalibus in templo garrientes vidiſ- *trib. c. 9.*
ſet, & poſt rem divinam ad conclave rediens di- *l. 2.*
xiſſet ad illos: vos in conſpectum meum ampliùs non venite, adeò hæ voces illos turbârunt, ut alter mœrore ſenſim contabuerit, alter ſtupido

ſimilis in omnem vitam manſerit. Ad quem effectum illa Chriſti verba: Diſcedite à me maledicti: producent!

S. Fulg. ſ. 5. de Epiph. VI. Rectè ratiocinatus eſt S. Fulgentius: ſi ſanguinarius Herodes timuit infantiam in fœno cubantis, quantò magis timere debemus omnipotentiam judicantis.

Gran. in loc. com. f. 813. VII. Ubi Joſeph dixit Fratribus: ego ſum Joſeph Frater veſter, quem vendidiſtis in Ægypto, non potuerunt reſpondere, nimio terrore perterriti; quid dicent Peccatores, ſi Chriſtum in judicio dicentem audient: Ego ſum Frater veſter, quem vos crucifixiſtis, & viliſſimo peccati pretio toties vendidiſtis.

Ibid. VIII. Hæretici quidam acceptâ mortis ſententiâ, ne in publicum prodire cogerentur, ſibi ipſis mortem conſciverunt. Quàm acerbum erit coram toto mundo damnationis ſententiam audire.

Utilitas.

Num. 22. IX. Aſina Baalim viſo mucrone Angeli, retrò ceſſit; num viſâ Judicis Romphæâ, Peccator ad ſcelera progredietur?

X. Rex Sicambrorum Baſanes in inſignibus ſuis nudum enſem cum laqueo habebat, additâ

Pſ. 7. v. 13. Epigraphe: diſcite Juſtitiam moniti. Ita DEUS gladium & arcam, teſte Davide dicente: Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum.

Beſſaus in conc. 1. de judic. XI. Hoſius Epiſcopus Cordubenſis ad Conſtantinum Imperatórem coërcendum ſcripſit: Deſine memineris, te mortalem eſſe, reformida diem judicii, ſerva te in illam diem purum, ne te miſceas Eccleſiaſticis.

Ibid. XII. Anachoreta quidam interrogatus, cujus libri lectione potiſſimùm teneretur? nullius, reſpondit, niſi trifoliaris, cujus folio nigro monetetur mortis: candido beatitudinis; rubro judicis.

Plut. de inſign. mulier. XIII. Myſſeniæ Mulieres hoc uno timore à ſeipſis perimendis abſtinebantur, quòd propalatum fuerit, eas nudas ad ſepulchrum rapiendas.

Baron. anno 738. & 840. XIV. Ludovicus Pius Imperator, cùm anno octingenteſimo trigeſimo ſepómo Cometa appareret, ſciens, his ferè ſignis mortem Principum portendi, dixit: Non alium timere debemus, præter illum, qui noſtri & hujus ſideris creator eſt. Sed ejus clementiam non ſatis laudare & imitari poumus, qui noſtram inertiam; cùm ſimus peccarores & impœnitentes, talibus indiciis dignatur admonere. Quia ergo & me, & omnes communiter hoc oſtentum tangit, omnes pro poſſe ad meliora feſtinemus, ne fortè miſericordiam illo prorogante, & noſtro impœnitudine impediente, nos illâ inveniamur indigni. His dictis noctem illam pervigilem duxit, & manè largiſſimas eleëmoſynas pauperibus erogavit, Miſsáſque, per quos potuit, celebrari fecit. Triennio pòſt in lethalem morbum incidit, per dies quadraginta quotidie Euchariſtiam ſumpſit, theſaurum privatum pauperibus diſtribuit, rebelli Filio injurias remiſit, pectus cruce muniit, Dœmones apparentes fugavit, & elatis in cælum oculis Spiritum DEO reddidit.

§. XIV.

AXIOMATA.

I. NOn judicari vis? teipſum judicas. *Drex. in Tribun. l. 1. c. 7.*
Sich ſelbſt richten / thut Vrtheil ſchlichten.

II. Amans de amante judicans non judicat. *Ibid.*
Judicio amantis nil indulgentius.

III. Nolite judicare, & non judicabimini. *Luc. 6. v. 37.*
Wer nit urtheilt / wird nit geurtheilt.

IV. Qui timet Judicem, cavet culpam. *Anon.*
Wo der Richter vor Augen ſteht / laßt ſich kein Vbelthäter blicken.

V. Judicis eſt recti, nec munere, nec prece flecti. *Buchlerus v. Iudex.*
Guter Richter braucht nit ſchmirben.

§. XV.

AUTHORES.

I. JEremias Drexelius in Tribunali.

II. Gabriel Inchinus de Noviſſimis p. 2.

III. Petrus Caniſius to. 4. de Noviſſ.

IV. Petrus Beſſæus de Noviſſ. p. 2.

V. Philippus D'outreman in Pœdagogo Chriſtiano. p. 1. c. 8. §. 8. & 7.

VI. Ludovicus Granatenſis in locis comun. 816. fol.

VII. Thomas Stapletonus te. 1. in Dom. 1. Adv. & te, 9. Dom. 5. poſt. Epiph. & te. 4. Dom. 4. poſt Paſcha. & te. 6. & 7. Dom. 4. poſt Pent.

VIII. Matthias Faber conc. 3. 4. 5. 6. 7. in Dom. 1. Adv. & conc. 2. ac 3. in Dom. 2. Adv. item conc. 3. in Dom. 3. & 4. Adv. iterum co. 8. in Dom. 21. & conc. 5. ac 6. in Dom. 24. poſt Pent.

IX. Joannes Dadræus in locis ſimilit. v. eod.

X. Joſephus Langius in Polyanth. v. eod.

XI. Joannes Major in magno Spec. Exempl. v. eodem.

XII. Joannes Lopez in Epitome v. eodem.

XIII. Jacobus Salianus de timore DEI lib. penult.

XIV. Georgius Reb in reg. Prud. p. 1. c. 2.

XV. Dionyſius Carthuſi de 4. noviſſ. à c. 16.

XVI. Ludovicus Gran. in Duce Peccatorum c. 8.

TITU-

TITULUS XVIII.

LINGUA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

ESt membrum animalis, ad cibum guſtandum, vocémque formandam, à Natura ordinatum. De qua Hugo: Lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo. Ligat, & ligari non poteſt: labilis eſt, & teneri non poteſt, ſed labitur, & fallit. Labitur ut anguilla, penetrat ut ſagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, ſeminat diſcordias, uno ictu multos percutit & interficit. Lucius Apuleius ait, linguam aliis animantibus ad explendam victûs neceſſitatem, inferendáſque ventri copias datam, homini autem, ut etiam ſit promptuarium rectæ rationis, & ſuaviſſimæ orationis, ut, quæ prudentia corde concepit, ea ſenſu promat oratio.

Hugo l. 2. de anim.

Lucius Apuleius de dogm. Platon.

Diviſio.

II. Dividitur in *bonam* & *malam*, uti Æſopus indicavit, qui interrogatus, quid eſſet bonum & malum? lingua reſpondit; nam, ut S. Jacobus ait, in ipſa benedicimus DEUM & Patrem, & in ipſa maledicimus homines; qui ad ſimilitudinem DEI facti ſunt. Porro bona lingua eſt, quæ bona bene loquitur; id eſt, modo & intentione bona; nam, S. Gregorius rectè advertit, in omni, quod dicitur, neceſſe eſt, ut cauſa, tempus, & Perſona penſetur, ſi verba ſententiæ veritas roboret; ſi hanc tempus congruum poſtulet: & ſi veritatem ſententiæ & congruentiam temporis, Perſonæ qualitas non impugnet. Hinc & S. Hieronymus monet, ut verbis ſit jugum & ſtatera, atque menſura; ut ſit gravitas in ſenſu, in ſermone pondus; atque in verbis modus. Mala lingua eſt, quæ mala aut bona malè loquitur: quod, teſte S. Hieronymo contingit, quoties aut in non opportuno tempore, aut non in opportuno loco, aut non ut convenit audientibus, loquimur. Quæ à S. Jacobo inflammare rotam nativitatis dicitur, quia ſicut laminæ ferreæ ignitæ affiguntur à ferro ad rotas, eáſque undique ambiunt; ita lingua mala totum vitæ noſtræ curſum occupat. Hanc diviſionem linguæ in malam & bonam, indicavit clarè etiam S. Hieronymus, dum dixit: Lingua nil medium habet, aut grande bonum eſt, aut grande malum.

Maxim. de loquac.

Jac. 3. v. 9.

S. Greg. l. 6. mor.

S. Hier. ſup. Ezech.

Idem l. c.

Apud Drex. l. 2. Phaet. c. 41.

Actus bonæ linguæ.

III. Primus eſt, DEUM *benedicere*, *gratias agere*, *prædicare*, *orare*, uti S. David inſinuavit orans: Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.

Pſ. 50. v. 17.

IV. Secundus, proximum inſtruere, corrigere, conſolari: de quorum primo Apoſtolus ait: Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, hujusmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis. De ſecundo autem & tertio idem dixit: Rogamus autem vos, Fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.

Gal. 6. v. 1.

1. Theſſ. 5. v. 14.

V. Tertius, *ſuos ſenſus & affectiones pro corporis, animæq́; ſalute proponere*: nam, ut bene Plato advertit, propter hoc nobis datus eſt ſermo, ut præſtò forent mutuæ voluntatis indicia.

Plato in Timæo.

Actus malæ linguæ.

VI. Hos P. Jeremias Drexelius per Alphabetum explicavit, fuſiúsque deſcripſit. Sunt autem ſequentes ferè. Adulatio, Blaſphemia, Convitium, Detractio, Exprobratio, Fraus, Garrulitas, Hypocriſis, Imprecatio, Kalumnia, Laſcivia, Mendacium, Nugacitas, Oſtentatio, Perjurium, Querimonia, Rixa, Suſurratio, Turpiloquium, Vituperatio.

Circumſtantiæ in loquendo obſervandæ.

VII. Quinque potiſſimùm ab Aſcetis aſſignantur. Prima eſt, *Quid* ſit loquendum; ut ſcilicet, quemadmodum Hugo ait, nunquam in ſermonibus otioſa adhibeantur verba.

Hugo de diſcipl. Monach.

VIII. Secunda eſt, *Cui* loquendum, ubi idem Hugo ait, conſiderandum eſſe, an propter ſe, vel illum quis loquatur. Si propter ſe, videat, ut ille talis ſit, de cujus colloquio utilitas ſibi provenire poſſit. Si propter illum loquatur, caveat, ne talis ſit ille, qui vel ſua exhortatione non indigeat, vel ita etiam in malo ſit obſtinatus, ut exhortatione alterius corrigi non permittat. Si ergo ſic eſt, nunquam niſi ad noſtram vel aliorum eruditionem loqui debemus.

Ibid.

IX. Tertia eſt, *quomodo* ſit loquendum; qui quidem modus in eo conſiſtit, ut loquentis geſtus ſit modeſtus, & humilis: ſonus demiſſus, & rebus accomodatus, ut ſic exhortemur ad conſtantiam timidos, ad timorem ſuperbos, ad frugalitatem prodigos, ad liberalitatem avaros, & omnino, quidquid dicere volumus, ex ipſa priùs ſermonis noſtri qualitate colligamus.

Ibid.

Ibid. X. Quarta eſt, *ubi* loquendum; quædam enim ſunt loca, in quibus ſilentium eſt ſervandum; quædam, in quibus intelligentia, & ex ratione ſcripturarum collationes, cum diſciplina tamen & reverentiâ, hoc eſt, ſine contentione] & clamore verborum haberi poſſunt. Quædam, in quibus pro inſtructione morum verba habenda ſunt: quædam, in quibus magis loquendi licentia laxatur, ita ut non ſolùm de ſpiritualibus, ſed etiam de exteriorum diſpoſitione & proviſione ſermones admittantur: loca autem, in quibus vana & ſuperflua dici poſſint, invenire non queo.

Ibid. XI. Quinta eſt, *quando* loquendum; eſt enim tempus, quando nihil: & eſt tempus, quando aliquid eſt dicendum. nullum verò tempus eſt, quando omnia dicenda ſunt. Tempus enim tacendi debet præcedere tempus loquendi; propterea non ait Salomon, tempus loquendi, & tempus tacendi, ſed tempus tacendi & tempus loquendi, quia priùs per ſilentium tempus tacendi diſcitur, quod poſtea per verbum tempore loquendi profertur. Sapiens enim æquè cavet, ne tempore, quo loqui debet, per negligentiam ſileat: quàm ne in omni tempore, quo loqui licet, per licentiam conceſſam in multiloquium eadat. Rectè ergo tempus loquendi diſcernitur, ſi homo non ſemper, quando loqui debet, ſileat; nec ſemper, quando loqui licet, loquatur.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Pſ. 38. v. 1. P. 14. v. 3. I. DIxi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ mea. Poſui ori meo cuſtodiam, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.

Col. 4. v. 6. II. Sermo veſter ſemper in gratia ſale conditus ſit, ut ſciatis, quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.

Cant. 7. v. 8. III. Erunt labia tua, ſicut botri vineæ, & odor oris tui, ſicut odor malorum. Guttur tuum, ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus ejus ad ruminandum.

Parcitas.

Iac. 1. v. 19. IV. Sit omnis homo velox ad audiendum. tardus autem ad loquendum; & tardus ad iram.

Eccl. 7. v. 15. V. Noli eſſe verboſus in multitudine Preſbyterorum.

Garrulitas.

Prov. 10. v. 19. VI. In multiloquio non deerit peccatum.

Eccl. 5. v. 2. VII. In multis ſermonibus invenietur ſtultitia.

Prov. 29. v. 20. VIII. Vidiſti hominem velocem ad loquendum? ſtultitia magis ſperanda eſt, quàm illius correptio.

Pſ. 139. v. 12. IX. Vir linguoſus non dirigetur in terra.

Eccl. 9. v. 25. X. Terribilis eſt in civitate ſua homo linguoſus, & temerarius in verbo ſuo odibilis erit.

Prov. 14. v. 23. XI. Ubi verba ſunt plurima, ibi frequenter eſt egeſtas.

Prov. 26. v. 28. XII. Os lubricum operatur ruinas.

Neceſſitas.

Eccl. 28. v. 29. XIII. Aurum tuum & argentum tuum conſla, & verbis tuis facito ſtateram, & frenos ori tuo rectos, & attende, ne fortè labaris in lingua tua, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi, & ſit caſus tuus inſanabilis in mortem.

Iac. 1. v. 26. XIV. Si quis putat ſe Religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, hujus vana eſt religio.

Matth. 12. v. 36. XV. Dico enim vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii. Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

Utilitas.

Prov. 12. v. 14. XVI. De fructu oris ſui unusquisque replebitur bonis.

Prov. 21. v. 23. XVII. Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam.

Eccl. 6. v. 5. XVIII. Verbum dulce multiplicat amicos, & lingua Eucharis in bono homine abundat.

1. Petr. 3. v. 10. XIX. Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos? coërceat linguam ſuam à malo, & labia ejus ne loquantur dolum.

Prov. 18. v. 21. XX. Mors & vita in manibus linguæ: qui diligunt eam, comedent fructus ejus.

Prov. 16. v. 21. XXI. Qui dulcis eſt eloquio, commendatiorem reddit doctrinam.

Dignitas.

Iac. 3. v. 2. XXII. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir, potens etiam freno circumducere totum corpus.

Prov. 18. v. 27. XXIII. Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt. Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur, & ſi compreſſerit labia intelligens.

Prov. 22. v. 11. XXIV. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum Regem.

Damnum.

Prov. 25. v. 28. XXV. Sicut urbs patens & abſque murorum ambitu; ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.

Ib. 15. v. 28. XXVI. Os impiorum redundat malis.

Eccl. 28. v. 22. XXVII. Multi ceciderunt in ore gladii; ſed non ſic quaſi qui interierunt per linguam ſuam.

Eccl. 10. v. 14. XXVIII. Labia inſipientis præcipitabunt eum, initium verborum ejus ſtultitia, & noviſſimum oris illius, error peſſimus.

Sap. 1. v. 8. XXIX. Qui loquitur iniqua, non poteſt latere: nec prætereet illum judicium corripiens.

XXX. Bea-

Eccl. 28. v. 23. XXX. Beatus, qui tectus eſt à lingua Nequam, qui in iracundiam illius non tranſivit, qui non attraxit jugum illius, & in vincula illius non eſt ligatus; jugum enim illius jugum ferreum eſt, & vinculum illius vinculum æreum eſt. Mors illius mors nequiſſima, & utilis potiùs infernus, quàm illa.

Eccl. 5. v. 15. XXXI. Honor & gloria in ſermone ſenſati: lingua verò imprudentis ſubverſio illius.

Tempus.

Eccl. 20. v. 7. XXXII. Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus: laſcivus autem & imprudens non ſervabunt tempus.

Eccl. 3. v. 7. XXXIII. Tempus tacendi, tempus loquendi.

Eccl. 11. v. 8. XXXIV. Priuſquam audias, ne quid reſpondeas: nec verbo dicentem interpelles.

Prov. 25. v. 11. XXXV. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo.

Materia.

Eccleſ. 9. v. 23. XXXVI. Omnis enarratio tua ſit in præceptis altiſſimi.

Eph. 4. v. 29. XXXVII. Omnis ſermo malus ex ore tuo non procedat; ſed ſi quis bonus, ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.

1. Petr. 4. v. 11. XXXVIII. Si quis loquitur, quaſi ſermones DEI.

Luc. 6. v. 45. XXXIX. Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum; ex abundantia enim cordis os loquitur.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Hier. I. Lapis emiſſus ſermo prolatus; ideo diù, antequam proferatur, cogitandus.

S. Greg. Naz. ep. 1. ad Theol. II. Inprimis magno ſtudio id comparandum habemus, ſcitè ut ſermocinari poſſimus, ut nec contentioſiùs percunctemur, nec affectanoùs reſpondeamus, ut differenti non obloquamur, nec interfari, ac interpellare geſtiamus, abſurdâ oſtentatione, faſtúmque præſeferente.

S. Chryſ. in cath. ad illum. III. Idcirco DEUS linguam velut duplici muro voluit circumdari; nam dentium tegmine, & labiorum cuſtodiâ continetur, ne verba improvida garrulitate proferantur.

S. Greg. Nyſſ. apud Lauret. 1. n. 303. IV. Ideirco & tenuis illa membranula, quæ cum ipſa lingua mentum interius devincit, frenum dicitur, ne ineptè loquatur, & in concinnè.

S. Aug. in pſ. 34. V. Non fruſtra lingua in udo eſt, quia facilè labitur.

S. Ambr. l. 1. de offic. VI. Sapiens, priuſquam loquitur multa, conſiderat, quid dicat, cui dicat, quo loco & tempore dicat.

S. Greg. l. 3. mor. VII. Lingua ſub magni moderaminis libratione ſervanda eſt, non inſolubiliter obligan-da, ne aut laxata in vitium defluat, aut reſtricta etiam ab utilitate torpeſcat.

Caſſiod. ſup. illud pſ. Dixi cuſtodiam. VIII. Difficilis res eſt, in lubrico faucium conſtitutam veritatis rigidæ tenere menſuram, cui ſi incautè frena laxentur, frequenter contra ſe loquitur; faciliùs enim culpa tacendo refugitur, quàm loquendo.

S. Aug. de nat. & grat. IX. Ante te eſt æquitas, unam linguam habes, ad quod vis eam vertes. Quare ergo potiùs ad iniquitatem, & non ad æquitatem? Cibos amantudinis non das ventri, & cibos iniquitatis das linguæ tuæ malignæ: ſicut eligis, quo veſcaris, ſic elige, quod loquaris.

S. Petrus Dam. apud Fabr. c. 4. in Ps. 5 11 poſt Penit. X. Anceps non emittit accipitrem, niſi anſerem videat: dedignatur Venator catulum ſolvere, niſi lepus appareat: arcus flexis cornibus fruſtra non intenditur; & rationale os ad effundenda irrationabilia paſſim relaxatur?

Hugo l. 1. de anima. XI. Vanus ſermo vanæ conſcientiæ eſt index: mores hominis lingua pandit; qualis ſermo oſtenditur, talis animus approbatur, quoniam ex abundantia cordis os loquitur.

Iſid. l. 3. epiſt. XII. Quibus citra honeſtatis morem lingua polluitur infrenis, his conſcientia quoque ſordidiſſima eſt, quia faciliùs contingit, ut quiſpiam ſeria loquens vivat obſcenè, quàm valeat oſtendi, qui pariter exiſtat improbus dictis, & probus moribus.

S. Hier. ad Nepot. XIII. Verba volvere, & apud imperitum vulgus admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt. Nihil tam facilè, quàm vilem plebem & indoctam volubilitate linguæ decipere, quæ, quidquid non intelligit, plùs miratur.

Damnum malæ linguæ.

S. Ambr. l. de Virg. XIV. Ingreditur mors per oſtium tuum, ſi falſum loquaris, ſi turpiter, ſi procaciter, poſtremò ſi, obi non oportet, loquaris.

S. Greg. l. 8. mor. XV. Quot ſupervacuis verbis mens à ſilentii ſui cenſura diſſipatur, quaſi tot ruinis extra ſe ducitur. Unde redire interius ad ſui cognitionem non ſufficit, quia per multiloquium exterius ſparſa vim intimæ conſiderationis amittit.

S. Bern. in quod. ſerm. XVI. Levis quidem ſermo, quia leviter volat, ſed graviter vulnerat. Leviter tranſit, ſed graviter urit. Leviter penetrat animum, ſed non leviter exit. Leviter profertur, ſed non leviter revocatur. Facilè volat, ideo caritatem facilè violat.

S. Chryſhom. ad bapt. XVII. Dæmon undique nobis inſidias præparare conſuevit, ſed faciliùs lingua & ore peccante. Nullum enim æquè congruum illi organum in miniſterium eſt interitûs atque peccati; nam inde nobis mors, inde lapſus, inde perditio, inde naufragium præparatur; nam & mentium lapſus ex linguæ garrulitate venientes quidam declarans ait: Multi ceciderunt per gladium, ſed non tanti, quanti per linguam. Refrena igitur linguam, & ſi non patitur reticere, dentium morſu quieſcat, & tanquam Carnifici tradatur dentibus.

S. Bern. ſ. 45. de inter. dom. XVIII. Vanus ſermo citò polluit, & facilè agitur, quod libenter auditur.

Ibid. XIX. Sermo vanus non erit abſque judicio, quia ab omni rectitudinis ſtatu depereunt, qui per verba vana dilabuntur.

Tempus.

S. Greg. l. 7. mor. XX. Tempus tacendi & tempus loquendi: diſcreta viciſſitudine penſanda ſunt tempora, ne aut, cùm reſtringui debet lingua, per verba ſe inutiliter ſolvat; aut cùm loqui utiliter poteſt, ſemetipſam pigrè reſtringat.

Materia.

S. Hier. XXI. Felix lingua, quæ non novit, niſi de divinis texere ſermonem.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

L. 1. c. 10. §. 1. I. VEllem me pluries tacuiſſe, & inter homines non fuiſſe.

Ib. §. 2. II. Si loqui licet & expedit, quæ ædificabilia ſunt, loquere.

Ibid. III. Malus uſus & negligentia profectûs noſtri, multùm facit ad incuſtodiam oris noſtri.

Ibid. IV. Juvat non parùm ad profectum ſpiritualem devota ſpiritualium rerum collatio, maximè ubi pares animo & Spiritu in DEO ſibi ſociantur.

L. 1. c. 20. §. 2. V. Dixit quidam: Quoties inter homines fui, minor homo redij. Hoc ſæpiùs experimur, quando diu confabulamur.

Ibid. VI. Faciliùs eſt omnino tacere, quàm verbo non excedere.

Ibid. VII. Nemo ſecurè loquitur, niſi qui libenter tacet.

§. V.

EXEMPLA.

Qualitas.

Damiãs. c. 8. in Catech. hiſt. tit. 46. n. 8. I. S. Vincentius mulieri mutæ, ex miraculo panem & uſum linguæ petenti, panem quidem concedendum dixit, uſum verò linguæ negandum, eò quòd vitam animæ & corporis ſuâ loquacitate eſſet perditura. Unde mox iterum muta facta eſt.

Spec. Ex. diſt. 2. ex. 161. II. Abbas Paſtor, cùm aliquando Abbatem Agathonem, juvenem adhuc Religioſum, Abbatem vocâſſet, cauſam dicti rogatus dixit: Quia os ſuum fecit eum appellari Abbatem.

Ib. ex. 97. III. Cùm quidam Fratres ad S. Antonium eâdem navi cum Sene quopiam tenderent, & de varijs rebus locuti fuiſſent, hic poſtea, cùm S. Antonius illi diceret: Bonos Fratres habuiſti ad comitatum: Abba, reſpendit, ſunt quidem boni, ſed habitatio eorum non habet januam; quicunque enim vult, intrat in ſtabulum, & ſolvit aſinum. Hoc autem dicebat, quia quodcunque aſcendebat in corda ipſorum, non loquebantur.

Pallad. & Hiſt. Eccl. p. 2. l. 6. c. 3. IV. Pambus Monachus cùm ab alio monita ſalutis expetens, hunc verſiculum recitari ſibi audiviſſet: Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: noluit plùs ſibi dici, aſſerens, ſatis fore, ſi hoc bene didiciſſet, cùm verò poſt quadrageſimum nonum annum iterum quæſitus fuiſſet, an nondum lectionem ſibi traditam calleſet? reſpondit, ſe vix dum eam tenere.

Pelag. l. 4. n. 39. V. Abbas Siſoius de ſe dixit: Crede mihi, jam triginta annis DEUM deprecor, & hoc unicum oro: Domine JESU, protege me à lingua mea.

Drex. in Phaët. c. 6. §. 8. VI. Cùm quidam Juvenis à viro religioſo cilicium pro carne domanda petijſſet, hic os digito ſignans dixit: Verè, mi Juvenis, optimum eſt cicilium, vigilanter attendere, quid per oſtium hoc egrediatur.

Chron. p. 1. l. 1. c. 19. VII. S. Franciſcus Alumnos ſuos frequenter ad diſſerendum de divinis convocabat, quo illud inter alia conſecutus eſt, ut aliquando illis confidentibus, Chriſtus ſub ſpecioſiſſimi Adoleſcentis formâ ſeſe medius inſinnârit, placidiſſimóque vultu ſuam illis benedictionem dederit.

Rodriq. p. 2. tr. 2. c. 13. VIII. S. Catharinæ Senenſi ſermocinationes de DEO tam jucundæ extiterunt, ut æquo animo videre non poſſet, ſi quempiam res mundi ludicras ſeriò tractantem conſpexiſſet.

Surius in vita D. Thom. IX. S. Thomæ Aquinatis tota converſatio in Sanctis ejuſmodi colloquijs fuit traducta, ex quo illud emolumentum eſt conſecutus, ut, ſi quando cogeretur cum ſecularibus etiam prophana tractare, ſeipſum mox nullò labore recolligeret, conſuetiſque mentis exercitationibus totum ſe impenderet.

Caſſian. l. 5. Inſt. c. 29. X. Abbas Macheres multis quà lacrymis, quà precibus à DEO obtinuit, ut in colloquijs ſpiritualibus, etſi toto die durarent, nunquam; in ſecularibus, otioſis & impertinentibus à ſomno ſtatim occuparetur.

Vit. Pat. p. 2. c. 31. XI. Quidam vir magnus, cùm Fratres inter ſe de S. Scripturis colloquerentur, SS. Angelos adſtantes, & plurimùm ſe colloquijs illis oblectantes; cùm autem aliud quidvis loquerentur, ſtatim SS. Angeli longiùs recedebant, & porci ſordidiſſimi veniebant, & volutabant ſe inter eos. Dæmones enim in ſpecie porcorum delectabantur eorum vaniloquiis. Beatus autem Senior hæc videns, commonebat per monaſteria Fratres dicens: Cohibete à multiloquio, & ab otioſis ſermonibus linguam, per quam malus interitus animæ generatur.

Surius in vita. XII. S. Nicetius Epiſcopus Lugdunenſis nulla verba niſi pia & ſancta loquebatur, otioſa vel jocoſa nunquam: contumelioſa verò in alios vel in ſe conjecta, negabat eſſe audienda, eò quòd ex animi perturbatione prolata eſſent.

Damnum mala lingua.

Daurolt. in Catech. hiſt. tit. 46. ex. 9.

XIII. Sacerdos quidam & Judex, impudica coram S. Walerico ſe cum ſuis in domo Sacerdotis frigefaciente, loquentes, graviter mox puniti ſunt, & Sacerdos quidem utroque orbatus eſt lumine, Judici verò membra genitalia compotruêre.

Spec. Ex. diſt. 9. ex. 92.

XIV. Sacerdos alius malevolè homines diffamare ſolitus, ante mortem in furiam actus, tantâ in ſe cæde bacchatus eſt, ut propriis dentibus linguam ſibi laniârit.

Ib. diſt. 4. ex. 54.

XV. Durannus Epiſcopus Toloſanus cùm ſæpe verba riſum moventia incautiùs proferret, & ab Hugone Abbate admonitus non deſiſteret, poſt mortem Siguioo Capellano ſpumoſo ore (ut Hugo ei prædixerat,) apparens, cum magno fletu auxilium petiit. Quam ob cauſam Hugo pro eo commune ſilentium per hebdomadam fieri jubens, eum tandem ex purgatorio liberavit.

XVI. S. Gertrudis teſtatur, nunquam per novem annos ſubtractam ſibi fuiſſe præſentiam Chriſti, niſi per undecim dies, quod ipſa putabat ob ſermonem quemdam mundialem contigiſſe.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Vita l. 5. c. 6.

I. S. Ignatius ita loqoebatur, ut ſermo eius eſſet ſemper ſententiis gravis ſimplex, parcus, conſideratus, & narratio potiùs, quàm amplificatio, aut confirmaoo, aut conteotio. In rebus alicujus ponderis diu hærebat, levibus prætermiſſis. Audiebat prolixè & libenter uſque ad finem ſine interpellatione. Neque ex una materia in aliam tranſiliebat caſu, ſed conſultò. Viros graves nunquam Authores proferebat, niſi in rebus gravibus & certis. Audiens aliquid, quod ad iram vel turbidiorem aliquem motum incitare potuiſſet, ſtatim ſe colligebat, jungebátque cum DEO, & quid reſponderet, accuratè meditabatur. Unde nunquam rationem præcurrebat inconſiderantia, & ſemper in tranquillitate manebat. Io laudando parcus, parcior in vituperando, ſuperlaoivis vix utebatur. PP. Salmeroni & Laynio Tridentum ituris ſuaſit, ut in omni collocutione privata cogitarent, ſe in publico habere ſermonem.

Hiſt. Soc. p. 1. l. 5. n. 25.

Hiſt. Soc. p. 1. l. 9. n. 164. & l. 3. vit. c. 18.

II. S. Franciſcus Xaverius in Japoniam navigans, ut Noroniam navis Præfectum ſibi cooiliaret, omni uſus comitate & affabilitate ſermonis, ſubinde etiam honeſtè ludentes ſpectabat, & ſuper ludum ſalsè dicta miſcebat. Unde Noronia, qui necdum virum noverat ſatis, cum Familiaribus de illo colloquens, aiebat, unum è Populo ſibi videri Xaverium, nec illius Sanctitatem viri ſermonibus reſpondere. Verùm cùm dein appulſo navigio audiviſſet, Xaverium in ſeceſſu quodam alienatum à ſenſibus orare repertum, mox ſententiam mutavit. Unde addit Orlandinus, comitatem periculoſam eſſe, niſi eximia ei Sanctitas adjungatur.

Ex lib. Ingolſt. c. 12. §. 6.

III. P. Antonius Aaroz tantâ erat ſuavitate & pietate in colloquiis cum Fratribus, ut eius colloquia calamo exciperentur.

Vit. p. 6. pag. 96.

IV. Joannes Berckman quæſitus, quid faceret, quod nunquam verbis peccaret? reſpondit: nonquam niſi præfinitò verbum facio, ac DEO priùs commendatum, ne quid illi ingratum proferam.

§. VII.

EXEMPLA PROFANA.

Laert. l. 7. c. 1.

I. ZEno audiens Adoleſcentem multa garrieotem, dixit illi: Memento, ob id binas nobis aures, & os unicum à Natura datum, ut meminerimus, multum audiendum, parùm loquendum eſſe.

Stob. ſ. 34.

II. Idem Adoleſcenti de ſtultis negotijs loquenti dixit: Niſi lingua in mentem iotincta differueris, adhuc multò ampliùs loquendo delinques.

Ibid.

III. Iſocrates Orator cùm Locutuleius quidam in diſciplinam eius recipi vellet, duplicem mercedem poſtulavit. Illi verò cauſam roganti reſpondit: alteram peto, ut loqui diſcas, alteram ut tacere.

Laërt. l. 1. c. 4.

IV. Chilon Lacedæmonius dicebat, linguam, cùm aliàs ſemper, tum præcipuè in convivio continendam, quòd illic cibus & potus invitet ad intemperantiam. Porro ubi plùs eſt periculi, major etiam cautio adhibenda eſt.

Idem. l. 5. c. 2.

V. Theophraſtus dicebat, potius eſſe fidendum effreni equo, quàm verbo incompoſito; nemo autem non metuit inſidere effreni equo; at plus eſt periculi ab effreni lingua.

Stob.

VI. Demoſthenes audiens in convivio hominem loquaculum, ſi multa ſaperes, dixit, non multa loquereris.

Plutarch. in Lac.

VII. Charillus interrogatus, cur Lacedœmonijs tam paucæ leges à Lycurgo datæ eſſent? Quoniam, reſpondit, pauca loquentibus, paucis legibus opus eſt.

§. VIII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Anonym.

I. SIcut Paterfamilias, qui domi ſervum haberet rebellem, qui in ipſum Dominum inſurgere, eúmqoe vulnerare auderet, meritò carceri includeret, & tempore benè longo jejunare fineret; ita & linguam ſuam meritò labiorum & dentium oſtio concludet quivis homo, ſi, quanta ſibi, aliíſque damna creârit, accuratiùs conſideret.

Idem.

II. Sicut lingua bovina, dum adhuc in bove vivit, cruda & inſipida eſt, parvíque penditur; mortua verò, & igne excocta, variíſque condimentis præparata, gratiſſimus homini

mini cibus efficitur; ita & hominis lingua, quamdiu vivit, id eſt, libera & ad nocendum alijs prona eſt, DEO, hominibúsque inſulſa & ingrata erit; mortificata verò, & igne charitatis DEI & Proximi à cruditatibus vitiorum liberata, ac variis virtutum condimentis condita, DEO, Hominibúſque ſaporem & oblectamentum ſingulare conciliat.

Lud. Gran. in Duce pecc. l. 2. p. 2. f. 732. III. Sicut Nautæ omnia periculoſa loca in mappia delineata habent, ut illa declinare queant; ita ſervus DEI omnia malorum ſermonum genera perſpecta habere debet, ne in ea incautus impingat.

Idem in loc. com. f. 582. IV. Sicut fructum arboris, cultus indicat, & ſcaturiens fontis aqua naturam terræ, per cujus meatus tranſit, oſtendit; ita ſermo corda hominum manifeſtat.

S. Cypr. apud Rodriq. p. 2. tr. 2. c. 8. V. Sicut homo ſobrius & temperans nihil trajicit in ſtomachum, quod antè non bene præmanderit, dentibúſque contriverit; ita & virum prudentem decet nihil loqui, quod non priùs in corde perfectè ruminârit.

S. Vincent. & S. Bonavent. ibid. VI. Sicut loculos pecuniâ refertos non priùs aperimus, quàm evidentem pecunias expendendi neceſſitatem aut utilitatem advertimus; ita nec linguam priùs reſerare deberemus, quàm perpenderimus, quid, cui, quomodo ac tempore ſit loquendum.

Fab. conc. 2. in Dom. 21. poſt Pentec. n. 2. VII. Sicut monetas aureas antè, quàm accipiamus, vel expendamus, accuratè ponderamus; ita & verba diligenter priùs ponderanda ſint, quàm in publicum proferantur.

Ibid. VIII. Sicut cibos ſale cum magna conſideratione conſpergimus, cavemúſque, ne nimiùm ſalis apponendo inſulſos reddamus; ita & ſermo noſter ſale diſcretionis conſideratè aſpergendus eſt, monente Apoſtolo.

S. Aug. in Pſ. 52. IX. Sicut eligis, quo veſcaris; ſic elige, quod loquaris.

Fab. l. c. X. Sicut egreſſurus domo undique priùs circumſpicit, an vultu & veſtitu ſatis decoro prodeat; ita locuturus videat, quàm decora ſint verba, quæ in publicum emiſſurus eſt.

Ib. n. 3. XI. Sicut equus, qui olim Joanni Papæ à Domina quapiam commodatus eſt, nullum deinceps alium ſeſſorem admittere voluit, quàm dictum Pontificem; ita & lingua Chriſtiani, quæ toties Chriſtum in Euchariſtia ſeſſorem habet, meritò nulli alteri, quàm illi ſervire velle deberet.

Idem conc. 3. n. 4. XII. Sicut molendinum talem reddit farinam, qualem frumentum eſt molæ affuſum; ſic lingua loquitur, quæ mens pertractat.

Damnum malæ linguæ.

S. Iac. c. 3. XIII. Sicut ignis licet parvus, magnum excitat incendium; ſic lingua, licet parvum in ſe ſit membrum, maxima tamen inferre damna conſuevit.

S. Bern. de paſſ. Dom. c. 21. XIV. Sicut fornax, cujus os ſemper apertum eſt, calorem retinere non poteſt; ita nec cor gratiam devotionis in ſe conſervare poterit, cujus os non diligenter ſuo tempore fuerit concluſum.

XV. Sicut is, qui compoſitionem thymiamatia fecerat olim ad uſum profanum, perire de populo jubebatur; ita qui linguam ad DEI laudem, propriámque utilitatem conceſſam ad alios fines uſurpârit, impunitus non abibit. *Fab. c. conc. 3. n. 6.*

Utilitas.

XVI. Sicut is, qui equo frenum imponit, totum illius corpus facilè regit; ſic & homo, qui linguam ſuam frenat, ſeipſum facilè ad omnem virtutem circumducet. *S. Iac. c. 3.*

Tempus.

XVII. Sicut malum ex auro fictum, reticulo argenteo incluſum longè pulchrius apparet, quàm ſi nodum foret; ita verbum in tempore prolatum gratius longè erit, quàm ſi non opportuno tempore proferretur. *Prov. 25.*

XVIII. Sicut ad perfectum Muſicum ſpectat, non tantùm canere, ſed etiam pauſare poſſe; ita ad perfectam loquendi artem non tantùm ſpectat ſuo tempore loqui, ſed etiam tacere poſſe. *Fab. conc. 3. in Dom. 11. poſt Pent. n. 1.*

XIX. Sicuti Militi non datus eſt gladius, ut eum ſemper in vagina reconditum ſervet, ſed ut ſuo tempore illum extrahat, & utatur; ita nec lingua data eſt homini, ut ſemper taceat, ſed ut eâ ſuo tempore utatur. *Ibid.*

§. IX.

MOTIVA.

Ad linguam refrenandam.

I. N*Eceſſitas* ad damna, quæ ex linguæ malo uſu oriri ſolent, avertenda; ob quam cauſam meritò quiſque cum Siracide exclamat: Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, ut non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me? *Eccl. 22. v. 33.*

II. *Utilitas*: nam qui moderatur labia ſua, doctus & prudens eſt, (hinc tanta doctrina bovis muti, S. Thomæ Aquinatis) & de fructu oris ſui unuſquiſque replebitur bonis. Certè mors & vita in manibus linguæ. *Prov. 12. v. 23. & 14.*

III. *Dignitas*: nam qui non labitur in verbo hic perfectus eſt vir, tantóque majori dignior honore, quantò difficilior eſt *ars* bene *loquendi*, quantóqoe pauciores reperiuntur, qui eam perfectè didicerunt. *Ib. 18. v. 21.*

IV. *Jucunditas*: quam S. David indicavit, dum eum, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos, ad linguam coërcendam hortatur. Sed &, Salomon verba compoſita, favum mellis dixit. *Pſ. 33. v. 14. Prov. 16. v. 24.*

V. *Æquitas*: quid enim æquiùs, quàm ut quiſque optimum de ſeipſo teſtimonium ferat? atqui quotieſcunque aliquid dicturus es, ſcire debes, morum tuorum te chirographum exhibere, ait ſapienter Wido. *Wido de tranquill.*

§. X.

§. X.

MEDIA.

Ad linguam refrenandum.

Prov. 16. v. 1. Jac. 3. v. 8. S. Aug. l. de nat. & grat.

I. O*Ratio*: nam Hominis eſt præparare animam, & Domini gubernare linguam, teſte Salomone. Hinc & S. Jacobus dixit: linguam nullus hominum domare poteſt. Ex quo textu ſic concludit S. Auguſtinus: ergo intelligamus, chariſſimi, quia, ſi linguam nullus hominum domare poteſt, ad DEUM confugiendum eſt, qui domet linguam noſtram.

Vit. c. 4. 6.

II. *Euchariſtia frequens perceptio*: nam ut bene S. Maria Magdalena de Pazz. dixit, ſicut ij, qui vinum copioſè biberunt, eructant illud; ita anima Chriſti ſanguine inebriata, eructat ex ore divinas laudes, gratiarum actiones, & præ amoris vehementia, qui regnat in corde ejus, prorumpit lingua in verba Sancta & exemplaria proximis, &, quidquid dicit, redundat in honorem DEI, & utilitatem animarum. Imò audebo dicere, nunquam audietur loqui verba infructuoſa & vana. Hinc S. Chryſoſtomus, quo non oportet, inquit, te eſſe puriorem, fruentem tali ſacrificio? quo ſolari radio, non ſplendidiorem manum, carnem hanc dividentem? os, quod igni ſpirituali repletur? linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? faceſſat ergo, ait S. Petrus Damiani, ab ore militis Chriſti, omnis vani rumoris ineptia, & lingua, quæ immaculati Agni, imò ſummi Verbi ruber ſanguine, dedignetur otioſi ſermonis ſeſe focibus inquinare.

S. Chryſ. ho. 83. in Matth. — S. Petrus Dam. ep. 49. c. 10.

III. *Amor DEI*: nam ut rectè Plato dixit, homines fiunt amore facundi ad loquendum de rebus, quas amant.

Plato apud Baſanum in Panar.

IV. *Præſentia DEI*: ſic enim jam olim Seneca ſuaſit dicens: ſic vive cum Hominibus, tanquam DEUS videat: ſic loquere cum DEO, tanquam homines audiant. Meritò ergo quisque ſibi imaginatur Chriſtum in medio ſtantem & dicentem: Quos ſermones confertis ad invicem?

Sen. epiſt. 10. — Luc. 24. 17.

V. *Amor ſilentii*: neſcit enim ſecurè loqui, qui priùs non didicit tacere, teſte Thoma Kempenſi.

L. 1. c. 20. — L. 1. c. 10.

VI. *Radicem garrulitatis tollere*: quam idem Thomas Kempenſis indicavit, dum dixit: quare tam libenter loquimur, & invicem fabulamur? cùm tamen rarò ſine læſione conſcientiæ ad ſilentium redimus? ideo tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem conſolari quærimus, & cor diverſis cogitationibus fatigatum, optamus relevare. Et multùm libenter de his, quæ multùm diligimus, vel cupimus, vel quæ nobis contraria ſentimus, libet loqui & cogitare.

Fab. conc. 1. in Dom. . . poſt Pent.

VII. *Mulctam ſibi pro transgreſſionibus injungere*: ſic Normbergenſis civis jejunio, alius Auguſtanus carnis propriæ inciſione, Memminganus quidam, teſte Fabro, abſtinentia à vino, quoties juraſſent, imperatâ, jurandi conſuetudinem ſuperarunt.

Baſanus in Panar. f. 92.

VIII. *Frequens collatio de rebus ſpiritualibus*: ſicut enim, qui rem odoriferam manu verſat, quò ampliùs tenet, hoc fragrantiores odores ſentit; ita quò quis tractationem rerum ſpiritualium frequentiùs in colloquium adducit, hoc magis excitatur ad eaſdem animo & ore verſandas.

§. XI.

ASCETICA.

I. TRia ferè ſunt, quæ circa Linguam & uſum præcipuè notare debet Aſceta. Primum eſt, ut benè cognoſcat, in quo conſiſtat ars rectè loquendi, ſcilicet in eo præcipuè, ut linguâ ſuâ velut oſtio utatur, prout S. David à DEO petivit, dum dixit: Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis; hâc enim ſimilitudine indicatur, quemadmodum ſedulus Janitor oſtium interdum clauſum, interdum apertum habere debet, ita idem circa linguam obſervandum eſſe. Porro ut cognoſcat, quando hoc oſtium aperire debeat, optimum erit conſilium, ſi exemplum Monachi illius ſequatur, qui cellæ ſuæ oſtio hæc tria verba inſcripſit: *Neceſſitas, utilitas, caritas*: per ea indicare volens, non priùs aperiendum oſtium id eſſe, quàm una ex tribus his cauſis exigeret. Alii totam artem loquendi in illa S. Pauli ſententia: Sermo veſter ſit ſale conditus: contineri putant; per illa enim indicare voluit, omnibus verbis ſalem ſapientiæ inſpergendum, quâ diligenter materia, finis, Perſona loquens & audiens, tempus & modus obſerventur, hoc enim eſſe oſtium *circumſtantiæ*, quod labiis ſuis poni petiit S. David in citato verſu. Pſ. 140. v. 3.

II. Alterum eſt, ut dignam de hac arte loquendi ſeu uſu linguæ æſtimationem concipiat, quam quidem tunc facilè hauriet, ſi meminerit, quod S. Jacobus dixerit, videlicet, ſi quis non delinquit in verbo, hunc perfectum eſſe virum; atque adeò perfectionis ſtudioſo præ cæteris convenire, ut linguam ſuam regere nôrit. Hinc idem Apoſtolus in eâdem Epiſtola dixit: ſi quis putat ſe Religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio. Atque hoc totum S. Paulus in ſe expertus eſt, dum de ſeipſo dixit: Cùm eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus ſum vir, evacuavi, quæ erant parvuli, aliter ſcilicet loquens & agens, prout virum perfectum decebat. Jac. 3. v. 2. — 1. Cor. 13. v. 11.

III. Tertium eſt, ut certò ſibi perſuadeat, quemadmodum Aſcetæ vel maximè convenit, frequenter, imò quantùm fieri poteſt aſſiduò, de DEO ac ſpiritualibus rebus miſcere ſermonem; ità nihil ipſum magis dedecere, quàm faceta, jocoſa, ac riſum moventia verba, ut quæ, teſte S. Baſilio remiſſionem, diſſolutionem- S. Baſil. in conſtit. mon. c. 13.

némque animi erga res ſpirituales inducant, devotionem enervent, & compunctionem cordis extinguant, &, quod caput eſt, motiones potiùs deceant, quàm graves viros. Et ſanè *S. Bern. apud Rodrig. p. 2. tr. 2. c. 12.* ſi S. Bernardus de Sacerdotibus dixit: inter ſeculares nugæ, nugæ ſunt: in ore Sacerdotis blaſphemiæ. Conſecrâſti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitum, adſuefacere ſacrilegium eſt; quantò magis de Religioſo ad perfectionis ſtudium obligato, idipſum ſentiendum erit? cujus rationem ulteriorem *S. Clemens Alexandr. &c l. 2. de Pædag. c. 5.* S. Clemens Alexandrinus ſequentibus verbis affert: cùm verba omnia à cogitatione & moribus emanent, fieri non poteſt, ut verba aliqua mittantur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis; ex abundantia ſiquidem cordis *S. Ign. p. 9. conſt. c. 4. §. 6.* os loquitur. Hinc S. Ignatius Loiola inter principalia juvandi proximi inſtrumenta, colloquia pia & ſacra numeravit, eáque ſuis omnibus etiam Laicis Fratribus mirificè commendavit, utpote quæ faciunt, ut ſeculares magnificè de nobis ſentiant, exiſtimantes nos DEO plenos eſſe, omnibúſque donis cæleſtibus abundare. Certè de S. Franciſco Xaverio compertum eſt, plùs ipſum fructûs feciſſe privatis colloquiis, quàm publicâ verbi divini prædicatione. Unde *S. Bern. in apol. ad Guil. abb.* meritò S. Bernardus exclamans ô quantum, ait diſtamus ab his, qui in diebus Antonii extitêre Monachi! horum enim converſatio tota in cælis erat. Et hic rectus ordo erat, quando digniori parti priùs inſerviebatur. Nobis autem convenientibus in unum (ut verbis Apoſtoli utar) jam non eſt Dominicam cœnam manducare: panem quippe cæleſtem nemo eſt, qui requirat, nemo qui tribuat: nihil de ſcripturis, nihil de ſalute agitur animarum, ſed nugæ, & riſus, & verba proferuntur in ventum. Neque dicas, ſic caritatem, affabilitatem, ac diſcretionem requirere, ut quaſi aſtulti, ſeculares capiamus, nam, ut idem Sanctus rectè advertit, iſta caritas caritatem deſtruit, hæc diſcretio diſcretionem confundit; quæ enim caritas eſt, carnem diligere, & ſpiritum negligere? quæve diſcretio, totum dare corpori, & animæ nihil? Hæc tota S. Bernardi doctrina *Tauler. in c. 2. d. inſt.* non modicè confirmatur ex eo, quod Taulerus memorat, nimirum Chriſtum inſigni cuipiam DEI ſervo apparuiſſe, & ſeptem querelas adverſus Religioſos magno animi ſenſu depoſuiſſe, inter quas ſecunda erat, quòd omnes illorum congreſſus & colloquia vanis ineptiiſque narratiunculis extrahantur, de ipſo autem & cæleſtibus altiſſimum ſemper ſit ſilentium.

§. XII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Matth. 7. v. 35. I. EX occaſione thematis: *Et loquebatur rectè*: poteſt ars rectè loquendi doceri, eàque quatuor regulis comprehendi, quarum *Jac. 1. v. 9.* prima à S. Jacobo data eſt dicente: ſit omnis homo tardus ad loquendum; nemo enim ſecurè loquitur, niſi qui libenter tacet, ait pius Author. Hinc & Seneca, ſumma ſummarum, inquit, hæc erit, tardiloquum eſſe te jubeo. *L. 1. c. 40.* Et meritò; ſicut enim ad beſtias feroces continendas non eſt efficacius medium, quàm ut caveâ concluſæ retineantur; ita & ad linguam (quæ, teſte S. Jacobo, difficiliùs domatur, quàm beſtiæ) continendam, ſilentium eſt omnium opportuniſſimum. Alteram Spiritus ſanctus per *Eccl. 4. v. 34.* Siracidem obtulit dicens: noli citatus eſſe in lingua tua. quo ſignificare voluit, *conſideratè* loquendum, linguámque, ut S. Ambroſius & alii monent, perinde ac loculos pecuniâ plenos, non priùs aperiendam, quàm evidentem utilitatem aperiendi cognoſcamus. Tertia ab eo- *Eccl. 41. v. 1.* dem ſuggeritur: non duplices ſermonem auditus, & eris verè ſine confuſione, & invenies gratiam in conſpectu omnium hominum. Hinc non mentiendum, non æquivocandum, non jurandum; ut dici poſſit cum Elu: ſimplici *Iob. 33. v. 3.* corde ſermones mei, & ſententiam puram labia mea loquentur. Quarta à S. Petro offer- *S. Petr. 4. v. 11.* tur dicente: ſi quis loquitur, quaſi ſermones DEI. quo indicatur, *caritativè* loquendum (nam DEUS omnia ex caritate agit) atque adeò ab omni verbo, quod vel DEUM, vel *Eccl. 6. v. 5.* Proximum lædere poteſt, ſtudioſè abſtinendum; ſic enim ut lingua bovina dulci embammate condita omnibus ſapiet, cùm verbum dulce, teſte Siracide, multiplicet amicos, & mitiget inimicos.

II. Ex occaſione thematis: *Pone Domine*, *Pſ. 144. v. 3.* *cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis*: poteſt alio modo ars rectè loquendi declarari dicíque, eam à Spiritu ſancto per dictam ſententiam fuiſſe indicatam, dum locutionem apertioni oſtii declaravit; per hanc enim ſimilitudinem inſinuare voluit, quemadmodum ad hoc, ut domus cuſtodiatur, duo ſunt neceſſaria, nempe oſtium & oſtiarius, (quia ſine oſtio non poterit arcere oſtiarius eos, qui ingredi volent; ſine oſtiario autem oſtium ſemper vel apertum erit, vel clauſum) ita ad rectè loquendum, & animam per hoc cuſtodiendam, neceſſarium eſſe ſtudium loquendi ſuo tempore (quod per oſtiarium intelligitur) & tacendi (quod per oſtium indicatur. Oſtendatur ergo fuſiùs 1. quomodo oſtiarius conſtitutus eſſe debeat, nempe *timoratus* (id eſt, metuens iram Domini, ſi quem illi inimicum aut ingratum intrare permittat) *vigilans* (diligenter quærendo, quò tendat, quiſque ingredi volens & cujus finis gratiâ?) & *fortis* ſeu *intrepidus* (omnem reſpectum hominum abiiciens.) 2. oſtendat, quomodo oſtium conſtitutum eſſe debeat, nempe *integrum* (alioqui per partem apertam ſe hoſtes inſinuabunt) *firmum & geminatum* (ſeu non facilè removibile, quo tarditas loquendi indicatur) & *aperibile* (ideóque impedimento clavem arcente carens, quale impedimentum foret obſtinatus ad non loquendum, quando oportet, animus.

III. Ex occaſione thematis: *Ori tuo facito* *Eccl. 28. v. 28.* *oſtia & ſeras*: poſſunt explicari cauſæ & ciſ-

circumſtantiæ loquendi. Et in prima quidem parte oſtendi poteſt, quantopere expediat linguam arctiſſimè cuſtodiri, eò quòd vita & mors in manibus linguæ conſtituta ſit: & unusquiſque de fructu oris ſui repleatur bonis, & dies ſortiri bonos poſſit. 2. Dicat, Concionator, ſe ad hanc cuſtodiam offerre ſeram parvulam multis circulis, literiſque inibi ſcriptis conſtantem (quâ propoſitum firmiſſimum ſilentii, ubi opus eſt, ſervandi indicatur) quæ aperiri non poſſit, niſi unum ex his tribus nominibus per circulos literarum diſpoſitis, *neceſſitas, utilitas, caritas*, prodeat; quæ proin tres cauſæ paulò fuſiùs per practicos caſus erunt explicandæ. 3. Dicat, in manubrio ſeræ hujus ſcripta eſſe hæc verba Apoſtoli: ſermo veſter ſit ſale conditus: ut ſignificetur diſcretio, quæ diligenter diſcernit inter materias locutione exprimendas, inter Perſonas alloquendas, & inter modos loquendi, ut ſcilicet ſubmiſsè, modeſtè, ac manſuetè potiùs, quàm clamosè & aſperè quiſque loquatur.

Prov. 14. v. 23. IV. Ex occaſione thematis: *Ubi verba ſunt plurima, ibi frequenter & egeſtas*: explicentur damna, quæ ex neglecta linguæ cuſtodia oriuntur, nimirum 1. Egeſtas *devotionis & col-*
Diadoch. de perf. ſpir. c. 70. *lectionis internæ*; nam, ut bene advertit Diadochus, quod balneis, idem accidit loquacibus: ſi balnei oſtium crebrò pateſiat, calore paulatim amiſſo frigeſit; ſic ſi quis multa ſine neceſſitate loquitur, per oris januam, calorem internum exire neceſſe eſt. 2. Egeſtas *gratiæ & meritorum*: cùm enim in multiloquio peccatum non deſit, conſequens eſt, ut etiam imminutio gratiæ ac meritorum non
Num. 19. v. 15. deſit. Vas, ait ſcriptura, quod non habuerit operculum, immundum erit. Et ut domus illæ, quarum oſtia ſemper aperta ſunt, ut cauponum, plerumque perditis hominibus abundant, ita & corda illorum, quorum os ſemper per loquelam apertum eſt, vitiis plerumque, implentur. 3. Egeſtas *Famæ*: quæ non modicè imminuitur per loquacitatem; ut enim, ſi vas percuſſum, magnum ſonum reddit, vacuum credimus; ita ſi quem valde loquacem advertimus, virtutibus & aliis dotis inanem judicamus. Certè Apollonius rogatus, qui hominum ſint optimi? qui in di-
Eccl. 20. v. 8. cendo breviſſimi, reſpondit. 4. Egeſtas *amicitiæ*: nam terribilis eſt in civitate ſua homo linguoſus, & temerarius in verbo ſuo odibilis, teſte Siracide; quæ omnia facilè fuſiùs diduci poſſunt.

V. Ex occaſione thematis: *Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia*: poteſt dicere Concionator, multos quærere, quænam ars ſit omnium difficillima: & varios variè reſpondere, ſibi autem artem rectè loquendi difficillimam videri, utpote quam cùm Monachus Pambus diſcere cœpiſſet, poſt quadraginta novem annos necdum ſe didiciſſe confeſſus eſt. Meritò itaque peritum Magiſtrum, ſcilicet Spiritum Sanctum pro ea diſcenda eligi, ideóque ſe his tribus diebus Pentecoſtes de hac arte locuturum, & primo die quinque damna, quæ per linguam non cuſtoditam inferuntur: altero quinque proprietates rectè loquentis linguæ: tertio quinque media ad eam regendam allaturum. Iteque 1. oſtendat, quanta damna *DEO* inferat effrenis lingua per blaſphemias, murmurationes, & ſimilia vitia. 2. Quanta *Chriſto*; certè major pars injuriarum tempore paſſionis inflictarum, linguæ miniſterio illata eſt. 3. Quanta *Proximo*, ſuperioribus videlicet, ſubditis, domeſticis, vicinis, remotis; ita ut meritò dixerit S. David: Filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus; quia omnia penetrat. 4. Quanta propriæ *Perſonæ*: tum in corpore (quia lingua mala, teſte S. Jacobo, maculat totum corpus) tum in anima, quia ſicut urbs patens abundat malis hominibus, ſic anima hominis garruli ſcatet vitiis. Hinc S. Arſenio viam ſalutis quærenti dictum eſt: Fuge, tace, quieſce. Hæc ſunt principia ſalutis. 5. Quanta *rebus noſtris*: præcipuè divitiis & paci internæ, ac famæ, ut facilè per varia exempla oſtendi poteſt. Concludatur, ergò meritò in Magiſtrum elegi Spiritum Sanctum, qui doceat nos, perinde ut Apoſtolos, loqui magnalia DEI.

VI. Ex occaſione thematis: *Cœperunt loqui* *Act. 2. v. 4.*
variis linguis: poſſunt quinque proprietates linguæ rectè loquentis explicari, dicíque, quòd debeat eſſe *Divina*: ut nihil contra DEUM loquatur, atque adeò blaſphemiæ, murmurationes & ſimilia vitia ſedulò caveantur. 2. *Catholica*: ut nihil contra fidem proferatur; nec verba ſacra in jocum aſſumantur, aut alio modo irreverenter uſurpentur, ne eveniat, quod Balthaſari Regi ſacris vaſis abutenti accidit. 3. *Humana*: id eſt, prudens & conſiderata, ideóque à levibus, inhoneſtis, jactabundis, affectatis verbis ſedulò abſtineatur. 4. *Dulcis*, id eſt, caritativa, ideóque detractiones, contumeliæ, aſperæ increpationes, agnomina, mordacia dicta pari cautelâ caveantur. 5. *Verax*: Hoc enim vel maximè Chriſtianos & Germanos decet. Poteſt, ſi vult Concionator has linguæ proprietates variis linguis noſtris comparare, v. g. primam Hebraicæ, ſecundam Romanæ ſeu Latinæ, tertiam utpote gravem Hiſpanæ, quartam utpote amabilem Gallicæ, quintam Germanicæ.

VII. Ex occaſione thematis: *Aurum tu-* *Eccl. 28. v.*
um & argentum confla, & verbis tuis facito *29.*
ſtateram: poſſunt per aurum & argentum varia media ad linguam continendam, utilia intelligi & proponi. Et 1. quidem *ſilentium*; præcipuè in templo, cùm alius nobis iraſcitur, aut de alienis defectibus ſit ſermo. 2. *Oratio*: quia DEUS optimus eſt gubernator linguæ. 3. *Conſideratio*: tum circumſtantiarum, tum damnorum, quæ per incauta verba, DEO, Proximo, & ſibi creantur. 4. *Firmū propoſitum non labendi cum decreto mulctæ*

Digitized by Google

pro lapſibus exigenda : Certè ſecundùm hoc propoſitum erit curſus profectus noſtri in arte loquendi. 5. *Radicis extirpatio* : quæ quidem non alia eſt, quàm inordinata concupiſcentia. Hinc meritò Spiritus Sanctus ad nos dicit : Qui non renuntiat (affectu ſaltem) omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus.

Io. 2. v. 15. VIII. Ex occaſione thematis : *Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo* : poteſt invectiva concio in vitium garrulitatis in templo inſtitui ſolitæ, cum commune valde ſit vitium, fieri. Dicat ergo Concionator, ſe ad hunc finem flagellum ex tribus funiculis facturum, atque adeò demonſtraturum, quantopere DEUS, proximus, & ipſe, qui garrit, offendatur. 1. Itaque DEUM graviter offendi oſtendat ex eo, quòd ejusmodi garrulitas ſit blaſphemia, ſacrilegium, idololatria; cùm quivis homo in templum orationis causâ ingreſſus os ſuum conſecrârit DEO, atque adeò meritò illud S. Bernardi dictum ei conveniat. Conſecrâſti os tuum Evangelio (& orationi) talibus aperire illicitum, adſuefacere ſacrilegium eſt. 2. Quòd etiam Proximum graviter lædat, oſtenditur ex eo, quòd talis gravitas ſummè diſpliceat Angelis altari, ut vidit S. Chryſoſtomus, adſtantibus, hominibus devotis, quibus grave impedimentum in oratione, ac dolor creatur : Parvulis, qui graviter ſcandalizantur. 3. Quòd etiam ſibi graviter noceat, oſtendi poteſt ex eo, quòd talis patiatur gravem jacturam *famæ*, cùm juxta S. Chryſoſtomum, is, qui non libenter orat, clarum det indicium, ſe nihil egregiæ dotis poſſidere : *meriti* & *benedictionis*, quæ ſperare poſſunt ferventer orantes : *favoris & gratiæ divinæ*, per orationem conciliari ſolitæ. Hortetur ergo, ut hoc flagello caſtigati reſipiſcant, & monitum Ciceronis obſervent dicentis : ad DEOS adeunto caſtè, pietatem tenento, opes amovento. Si quis ſecus faxit, DEUS vindex eſto. *Cicero l. 1. de leg.*

§. XIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Spe. Ex. diſt. 9. ex. 105. I. QUidam Rex Angliæ cùm tres ſuos Filios interrogâſſet, quid quivis datâ optione maximè à DEO poſtularet, reſpondit primus, fortitudinem ſe petiturum, ut omnes ſubjugare poſſet. Alter pulchritudinem ſe poſtulaturum dixit, quâ omnes in ſui amorem alliceret. Tertius, & natu minimus, collum gruis potiùs ſe optaturum dixit, ut non niſi bene diſcuſſa verba depromeret. Qui proin cæteris prudentior viſus Patri, regnum ab eo accepit.

Vita PP. l. 11. n. 27. II. Dicente quodam Fratre : deſidero cuſtodire cor meum. Reſpondit Abbas Siſoy : & quomodo poſſumus cuſtodire cor noſtrum, ſi lingua noſtra januam apertam habeat?

III. Socrates, ut Adoleſcentem quendam rectè cognoſceret, dixit illi : loquere Adoleſcens, ut videam te. *Gran. in loc. com. f. 582.*

IV. Alexander Magnus epiſtolam occultas accuſationes in Antipatrum continentem cùm accepiſſet à Matre, & legendam Ephæſtioni dediſſet, eâ perlectâ annulum ſuum ori illius impreſſit, dixitque : contine hæc, & ne eorum quid effutias. Quantò magis ſi Chriſtus ſigillum caritatis fraternæ ori noſtro impreſſerit, & mandatum tacendi adjecerit, parere convenit. *Plut. apud Fab. conc. 2. in Dom. 11. poſt Pent.*

V. Non malè cecinit quidam Poëta.

Nil melius linguâ, linguâ nil peius eâdem,
Triſtia cùm dulci toxica melle gerit.

Fauſtin apud Lang. in Polyant. v. Red.

VI. Non multis verbis, opus eſt, inquit Seneca, ſed efficacibus. Seminis modo ſpargenda ſunt. *Senec. Epiſt. 38.*

VII. Imago animi, ſermo eſt. Qualis vir talis oratio. Magnum eſt vocis & ſilentii temperamentum. *Lang. in polyant.*

VIII. Heſiodus Poëtarum prudentiſſimus, linguam non vulgandam, ſed recondendam eſſe dixit, perinde ut theſaurum, ejusque eſſe in promendo gratiam plurimam, ſi modeſta, & parca, & moderata ſit. *Gell. l. 1. attic. noct. c. 15.*

IX. Alphonſus Rex loquaculos homines utres vocitabat; quia ſicut utres infuſis humoribus extenduntur, donec humorem infuſum reſpuant; ita loquaces inflantur, donec audita garriendo effutiant. *Panorm. l. 4.*

X. Cùm olim Hebræus Rabbi Jehuda in foro proclamâſſet, ſe habere domi aquam auream maximi pretii, quæ reſtituendis viribus & producendæ vitæ plurimùm conduceret, confluentibus ad ipſum undique emptoribus; ipſe eos domum perduxit, & apertis Bibliis illa Pſalmi verba recitavit : Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Et hanc demum eſſe aquam vitæ auream dixit. *Drexel. in Phaeth. c. 17. §. 5.*

Neceſſitas.

XI. Fuit, qui lautiſſimam ſupellectilem in domo aliena intuitus, aliquid adhuc deeſſe dixit inſtrumentum ſcilicet humanæ genti ſummè neceſſarium; quæſitus, quod illud eſſet? linguarium, inquiebat, quo lingua cuſtodiatur; neque enim ulla pars ſupellectilis tam neceſſaria eſt ac iſta. *Ibid.*

XII. Abbas Lucius dicenti Longino ſe habere triplicem cogitationem. 1. Ut peregrinetur. 2. Ut ſæpe jejunet. 3. Ut declinet hominum aſpectus; reſpondit, ſi non tenueris linguam, quocunque perrexeris, non eris peregrinus, ſed refrena hîc linguam, & eris etiam hîc peregrinus. *Vita PP. l. 10. n. 39.*

XIII. S. Macarius Fratri petenti ſermonem, per quem ſalvari poſſet, dixit : oportet fugere homines, in cella ſedere, & pro peccatis ju- *Ib. l. 3. n. 189.*

jugiter lamentari, & , quod ſuper omnes virtutes eſt, tam linguam coërcere, quàm ventrem.

Fab. conc. 3. in Dom. 11. poſt Pent.

XIV. Diogenes ad juvenem formoſum turpia loquentem dixit: non te pudet ex eburnea vagina plumbeum gladium educere? idem multò magis dici poterit Chriſtianis, niſi linguam à malis ſermonibus coërceant, cùm hi ore ſuo Chriſtum toties excipiant.

Utilitas.

Vita PP. l. 3. c. 8.

XV. Abbas Pœmen dixit: Si Monachus ventrem ſuum & linguam tenuerit, & vacationem non fuerit ſectatus, confidat, quia non moritur, & vivit in perpetuum.

Ib. l. 3. n. 190.

XVI. Cùm Arſenius à DEO peteret cognoſcere viam, per quam ſalvari poſſet, audivit vocem: Arſeni, fuge homines, & ſalvaberis. Cùm ergo abiiſſet in ſolitudinem, iterum audivit vocem: Arſeni, fuge, tace, quieſce. Hæc ſunt principia ſalutis.

Laërtius apud Langium in polyant.

XVII. Xenocrates, cùm maledico quorundam ſermoni ſummo cum ſilentio intereſſet, quæſitus, cur id faceret? reſpondit, quia locutum me eſſe pœnitet, tacuiſſe nunquam.

Damnum.

Ibid.

XVIII. Theophraſtus dicebat, potiùs effreni equo inſidendum, quàm verbo in compoſito fidendum; eò quòd plùs periculi ab hoc, quàm illo immineret.

Drex. in Phaët. c. 57. §. 4.

XIX. Suidas linguam alloquendo interrogat: quo vadis? cui illa reſpondet: urbem everſura, aut inſtauratura.

Macrob. de loquac.

XX. Pythagoras gladii plagam leviorem eſſe dicebat, quàm linguæ; ille enim corpus, hæc animum vulnerat.

Hugo Roth. p. 2. c. 39. lect. 7.

XXI. Garrulorum Symbolum Oſtrea eſt, ut enim, dum hæc ſeſe aperit, cancer lapillum in eam projicit, & ſic eam capit; ita dum garrulus os improvidè aperit, Diabolus lapillum peccati in os ejus projicit, & ſic in interitum trahit.

§. XIV.

AXIOMATA.

I. EX abundantia cordis os loquitur. *Matth. 12. v. 34.*
Mit wem das Hertz voll iſt / mit dem geht der Mund über.

II. Mors & vita in manibus linguæ. *Prov. 18. v. 21.*
Leben vnd Todt ſitzt auff der Zungen.

III. Bis ad limam, quàm ad linguam.

Wäg / ehe du wagſt / bſinn / ehe du ſagſt:
Sonſt vilmahl Rew tragſt:

IV. Qui multùm fatur, ſtultiſſimus eſſe probatur.

Auß vil reden kennt man einen Narren /
Wie den Vogl auß dem Gſang.

V. Locutum fuiſſe multos pœnituit, neminem tacuiſſe.

Stillſchweigen iſt ein Kunſt /
Vil reden bringt Vngunſt.

VI. Frons aperta lingua parca,
Mens clauſa regnum tenent.
Geſpährig Zung / vnd offne Stirn /
Geſchloſſen Gmüet / die Welt regirn.

VII. Qualis vir, talis oratio. *Socrat.*
Quale avis noſtrum, talis & cantus.
Wie der Mann / alſo die Red.

VIII. Non oportet multis verbis pauca dicere, ſed paucis multa. *Iuriſconſultus apud Fabr. conc. 2. in Dom. 21. poſt Pent.*

Vil Geſchray / vnd wenig Woll /
Man billich allzeit haſſen ſoll.

§. XV.

AUTHORES.

I. JEremias Drexelius in Phaëtonte.

II. Ludovicus Granatenſis in locis communibus. 580.

III. Alphonſus Rodriq. p. 2. tr. 2.

IV. Joannes Buſæus in Panario. V. Colloquia otioſa.

V. Joſephus Langius in Polyanthæa v. eod. & v. Loquacitas.

TITULUS XIX.

MATRIMONIUM.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Caniſ. de Matr. 10.2. Est legitima viri, feminæque conjunctio, ad conſuetudinem vitæ individuam inter ipſos conjuges tranſigendam, divinitus instituta. Dictum eſt Matrimonium, quaſi Matris munium, id eſt, *S. Thom. 4. ſent. d. 27. q. 1. a. 1.* officium, ut ait S. Thomas, vocatúrque à Matre potiùs, quàm Patre, quia Mater principaliter facta eſt ad generandos & educandos *S. Ambr. l. de inſtit. virg. c. 6.* liberos, éſtque circa illos magis officioſa. Vocatur etiam *Conjugium*, de quo ſic S. Ambroſius: cùm initiatur conjugium, tunc conjugii nomen aſciſcitur; non enim defloratio Virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis. Denique cùm jungitur Puella, conjugium eſt, non cùm virili admixtione cognoſcitur.

Diviſio.

Euſani de ſtat. Matr. c. 1. II. Dividitur ab aliquibus in *Civile*, & *Eccleſiaſticum* ſeu *Sacramentale*; illud eſt, quod per ſolum contractum civilem perficitur; quale eſt Ethnicorum & Judæorum Matrimonium; illud eſt, quod per contractum habentem rationem Sacramenti contrahitur. Utrumque ſubdividitur in *ratum* & *conſummatum*; priùs eſt, quod validè quidem contractum eſt, ſed nondum per copulam carnalem conſummatum; poſterius eſt, quod conſenſu mutuo per copulam confirmato perfectum eſt.

Cæremoniæ.

III. Quatuor ſunt genera Cæremoniarum, in Matrimonio adhiberi ſolitarum. Primum *March. in Cand. myſt. lect. 5. tr. 8.* eſt: *Interrogationum præviarum*: quales juxta Marchantium ſunt. An caſtitatis votum non emiſerint? an alteri fidem non dederint? an Parentum conſenſus adſit? huc etiam trinæ denunciationes publicæ referri poſſunt, quibus quaſi quæruntur præſentes, an nullum impedimentum ſciant.

IV. Secundum genus eſt, *Cæremoniarum* in ipſo contractu Matrimonii adhiberi ſolitarum; quales ſunt dextrarum contrahentium colligatio cum ſtolâ in ſymbolum fidelitatis & vinculi inſolubilis: annuli in ſponſæ digitum inſertio, ut hoc pignore ſacro, mutuâ dilectione ſic corda jungantur, ut nullus amori extraneo acceſſus detur, nullúſque odio locus.

V. Tertium eſt: *Benedictio Sacerdotalis*, quam Sacerdos novis ſponſis impertiri ſolet, pſalmo 127. Beati omnes, qui timent Dominum &c. eum in finem recitato.

VI. Quartum eſt *Convivium Nuptiale*: quod jam olim etiam uſitatum fuiſſe, paſſim S. Scriptura teſtatur; & cauſam illius Athenæus *Athen. l. 5.*
his verbis aſſignat: Moribus & legibus ſcitum eſt, ut in nuptiis epulum fiat, tum nuptiales DEOS ut veneremur: tum ut pro teſtimonio id ſit convivis, quod nuptis placeant ſuæ nuptiæ.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Domus & divitiæ dantur à Parentibus; *Prov. 19.*
à Domino autem propriè uxor pru- *v. 14.*
dens.

II. Volo Juniores nubere, Filios procrea- *1. Tim. 5.*
re, Matresfamilias eſſe, nullam occaſionem *v. 14.*
dare Adverſario maledicti gratia.

III. Accipiens Virginem cum timore DEI, *Tob. 6. v.*
amore Filiorum magis, quàm libidine ductus, *22.*
ut in ſemine Abrahæ benedictionem conſequaris.

IV. Unusquiſque uxorem ſuam, ſicut ſei- *Eph. 5. v.*
pſum diligat: uxor autem timeat virum ſu- *33.*
um.

V. Viri diligite uxores veſtras, ſicut & *Ibid. v. 25.*
Chriſtus dilexit Eccleſiam. Mulieres viris ſub- *& 22.*
ditæ ſint ſicut Domino, quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.

VI. Qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut *Tob. 6. v.*
DEUM à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ *17.*
libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.

Neceſſitas.

VII. Propter fornicationem unusquiſque *1. Cor. 7. v.*
ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum vi- *2.*
rum habeat.

VIII. Quòd ſi non continent ſe, nubant; *Ibid. v. 9.*
meliùs eſt enim nubere, quàm uri.

Utilitas.

IX. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum di- *Eph. 5. v.*
ligit; nemo enim ſuam carnem odio habuit, *28.*
ſed

ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam.

1. Cor. 7. v. 16. X. Unde ſcis mulier, ſi virum ſalvum facies? aut unde ſcis vir, ſi mulierem ſalvam facies?

Inſolubilitas.

Matth. 19. v. 4. XI. Propter hoc dimittet homo Patrem ſuum, & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo DEUS conjunxit, homo non ſeparet.

Luc. 16. v. 18. XII. Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, aut alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.

Rom. 7. v. 2. XIII. Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſolutus eſt à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri: ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.

1. Cor. 7. v. 10. XIV. Iis autem, qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem ſuam non dimittat.

Dignitas.

Hebr. 13. v. 4. XV. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus; fornicatores enim & adulteros judicabit DEUS.

Eccl. 25. v. 1. XVI. In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram DEO & Hominibus. Concordia Fratrum, & amor Proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Aug. de bono conjug. I. MUlti faciliùs ſe abſtinent, ut non utantur nuptiis, quàm temperanter & benè utantur. Ego verò faciliùs non utor nuptiis, quibus uſus eſt Abraham, quàm ſic utar nuptiis, quemadmodum uſus eſt Abraham.

S. Chryſ. in Pſ. 45. II. Propterea permiſſum fuit Matrimonium; ne ultra proprios terminos progrederetis. Vide enim, quanto dignus eris ſupplicio; nam DEUS tuæ quieti & honori proſpexit, ut & naturæ rabiem per uxorem compeſceres, & hoc abſque periculo faceres, & ab omni turpitudine & dedecore liberareris. Tu autem eum, qui tantam tui curam gerit, ex redundanti quâdam & exuberanti copia, injuriâ afficis?

S. Aug. de bono conjug. c. 18. III. In nuptiis plùs valet ſanctitas Sacramenti, quàm fecunditas uteri.

Idem de bon. viduit. c. 9. IV. Quæ poteſt capere, capiat: quæ ſe non continet, nubat: quæ non cœpit, deliberet: quæ aggreſſa eſt, perſeveret: nulla adverſario detur occaſio, nulla Chriſto ſubtrahatur oblatio; in conjugali quippe vinculo ſi pudicitia conſervatur, damnatio non timetur.

Idem l. 9. de Geneſ. V. Quod bonum habent nuptiæ, & quòd bonæ ſint nuptiæ peccatum eſſe nunquam poteſt. Hoc autem tripartitum eſt, fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera vel altero concumbatur. In prole, ut amanter ſuſcipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In Sacramento autem, ut conjugium non ſeparetur, & dimiſſus aut dimiſſa nec causâ prolis alteri conjungatur. Hæc eſt tanquam regula nuptiarum, quâ vel naturæ decoratur fecunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas.

S. Aug. l. de virgin. c. 12. VI. Habeant conjugia bonum ſuum non quia Filios procreant, ſed quia honeſtè, quia licitè, quia pudicè, quia ſocialiter procreant, & procreatos pariter, ſalubriter, inſtanter educant, quia thori fidem invicem ſervant, quia Sacramentum connubii non violant.

S. Ambr. de Patriarc. VII. In omni conjugio conjunctio intelligitur ſpiritualis, quam confirmat, & perficit conjunctorum commixtio corporalis.

S. Hier. apud Marck. tr. 8. candelab. lib. 9. prop. 2. VIII. Sapiens vir debet judicio amare conjugem, non affectu: reget impetus voluptatis, ne feratur præceps ad coitum: nihil fœdius, quàm amare uxorem quaſi adulteram. In aliena uxore omnis amor turpis eſt, in ſua nimius.

S. Fulgent. ep. 1. de conjug. deb. IX. Juſtitia utendi conjugii hæc eſt, ut non explendæ libidinis, ſed ſubſtituendæ prolis affectu, conjuges ſibi miſceantur congruo tempore. In illis namque bonis, quæ fecit DEUS, invenitur juſta copulatio viri & uxoris, in quibus DEI operibus libido non poteſt reperiri, quæ hominibus non ex dono conditionis, ſed peccatoribus ex vitio primæ prævaricationis acceſſit. Sed quia ſine illa in corpore mortis hujus, proles humana non ſeritur, non eam affectant conjugia caſta, ſed tolerant, eique imponit nuptialis honeſtas modum, ſine qua non poteſt in carne peccati, naturalis explere fecunditatis officium. Sic ergo ex nuptiis quæri debet fructus, ut cohibendus ſit lubricæ voluptatis exceſſus.

Ibid. X. Conjugatus ſi thori fidem non deſerat, ſed in uxore ſua naturali duntaxat uſu aliquantùm excedat, non ſolùm generationem quærens, ſed carnis libidini obediens, hoc equidem ſine culpa non facit. Talis autem culpa faciliùs bene operanti atque oranti remittitur, quia ipſe conjugi ſervat maritalis caritas fidem, in qua non poteſt maritalis infirmitas cuſtodire temperiem. Etſi nuptialis in uxore modeſtia non tenetur, à nuptiali tamen fide, nulla immoderatione diſceditur.

Utilitas.

S. Greg. l. 26. mor. XI. Qui tentationum procellas cum difficultate tolerant, conjugii portum petant; me-

liùs eſt, nubere, quàm uri. Sine culpa enim ad conjugium veniunt, ſi tamen meliora necdum devoverunt.

S. Aug. l. 16 de civ. DEI. XII. Conjugium mihi bonum videtur, non ſolùm propter Filiorum procreationem, ſed propter ipſam etiam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem. Habet etiam id bonum, quod carnalis vel juvenilis incontinentia, etiamſi vitioſa eſt, ad propagandæ prolis redigitur honeſtatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjungalis.

Dignitas.

S. Ambr. l. de vid. XIII. Propemodum non inferioris virtutis eſt, abſtinere conjugio, quod aliquando delectaverit, quàm conjugii oblectamenta neſcire.

S. Aug. de bono conjug. c. 22. XIV. Non eſt impar meritorum cootioentia in Joanne, qui nullas expertus eſt nuptias, quàm in Abraham, qui Filios generavit; illius enim cælibatus, & illius connubium pro temporum diſtribntione Chriſto militârunt.

S. Baſil. de vera virg. XV. Ita fiunt honorabiles nuptiæ, quando rationem conjugii non præit obſcœna voluptas, ſed jacto ſecundùm leges divinas ſancto fundamento, matrimonium neceſſariò ſequi voluptas ipſa concubitûs, unámque carnem duos facere deprehenditur.

S. Chryſho. 20. in ep. ad eph. XVI. Reverà magnum myſterium eſt, relicto Parente eo, qui genuit, eo, qui aluit, etiam eâ, quæ peperit, quæ miserè & cum labore parturivit, illis videlicet deſertis, qui tanta beneficia præſtiterunt, quibuscum conſuetudo tracta eſt, adhærere virum illi, quæ antea neque viſa ſit, neque aliquid commercii cum illo habuerit, atque hanc etiam omnibus præferre. Magnum reverà myſterium, & ineffabilem quandam ſapientiam habens.

S. Ambr. l. 1. de Abrah. c. 7. XVII. Cognoſcimus velut præſulem, cuſtodémque conjugii eſſe DEUM, qui non patiatur alienum thorum pollui, & ſi quis fecerit, peccare eum in DEUM, cujus legem violet, gratiam ſolvat. Et ideo quia in DEUM peccat, Sacramenti cæleſtis amittit conſortium.

Indiſſolubilitas.

Conc. Trid. ſ. 24. XVIII. Matrimonii perpetuum, indiſſolubiléinque nexum primus humani generis Parens divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit, cùm dixit, Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.

S. Ambr. in ep. 6. Luc. XIX. Noli uxorem dimittere, ne DEUM tuæ copulæ diffitearis Authorem. Etenim ſi alienos, magis uxorios debes tolerare, & emendare mores.

S. Aug. l. 1. de nupt. c. 10. XX. Hoc cuſtoditur in Chriſto & Eccleſia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio ſeparetur. Cujus Sacramenti tanta obſervatio eſt in civitate DEI noſtri, in monte ſancto ejus, hoc eſt, in Eccleſia Chriſti quibusque fidelibus conjugatis, qui ſine dubio ſunt membra Chriſti, ut, cùm Filiorum procreandorum causâ vel nubant feminæ, vel ducantur uxores, nec ſterilem conjugem fas ſit relinquere, ut alia fecunda ducatur.

Incommoda.

XXI. Non tantùm boni eſt in nuptiis, quod ſperamus, quantùm mali, quod accidere poteſt, & timendum eſt. Libido tranſacta ſemper relinquit ſui pœnitudinem, nunquam ſatiatur; extincta reaccenditur, uſu creſcit, & deficit, nec rationi paret, quæ impetu ducitur. *S. Hier. ad Geront.*

XXII. Pulchra citò amatur, fœda facilè concupiſcit: difficilè cuſtoditur, quod plures amant: moleſtum eſt poſſidere, quod nemo habere dignetur. Minori tamen miſeriâ deformis habetur, quàm formoſa ſervatur. *Idem contra Jovin.*

XXIII. Nihil eſt quod virilem animum ita ab arce virtutis dejiciat, atque complexus ille, ſine quo uxor haberi non poteſt. *S. Aug. ap. Gran. f. 729.*

XXIV. Longè plures videas lapſos ex conjugatorum, quàm Monachorum ordine: neque enim tam multi ex monaſteriis ad matrimonia accedunt, quàm ex conjugali thoro ad ſcorta. *loc. com. S. Chryſ. l. 3. contra Vitup. vitæ monaſt.*

§. IV.

EXEMPLA CHRISTIANA.

Qualitas.

I. TObias Junior inito cum Sara Matrimonio dixit ad DEUM: Domine, tu ſcis, quia non luxuriæ causâ accipio Sororem meam conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſecula ſeculorum. *Tob. 8. v. 9.*

II. Sara Tobiæ uxor quoque ad DEUM dixit: Tu ſcis, Domine, quia nunquam concupivi virum, & mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia. Nunquam cum ludentibus miſcui me, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine meâ, conſenſi ſuſcipere. *Ib. c. 3. v. 16.*

III. S. Cæcilia Valeriano deſponſata, tribus ante nuptias diebus jejunabat, cilicium portabat, & orationi continuò vacabat, negotium hoc DEO commendans. *Marsh. Nov. S. candel. lect. 4.*

IV. Cùm quidam Mercator naufragium paſſus eſſet, ideóque ob bonorum omnium jacturam carceri à creditoribus incluſus eſſet, dives quidam ad ipſum in carcerem ingreſſus, ſpecie uxoris tunc fortè præſentis captus, juſſit eam ad ſe adduci, & ſatisfactionem pro viro ſpopondit, ſi in nefarium ſcelus conſentiret. Verùm illa reſpondit: Domine, intellexi Apoſtolum dicere: Mulier, corporis ſui poteſtatem non habet, ſed vir. Ibo ergo ad maritum, &, quod juſſerit, peragam. Cum ergo regreſſa ad Maritum narraſſet, quid dives petiiſſet, ille in hæc verba reſpondit: Vade, Soror, dic ei, nos ſpem figere in JESUM, qui ſuos non deſerit *Sophron. in Prato ſpir. c. 189.*

mor-

Digitized by Google

mortémque nos potiùs oppetere paratos, quàm eum offendere. Dum ergo illa renunciat reſponſum, redítque ad Maritum, Latro pariter carcere detentus qui verba hæc audierat, eas ad ſe vocat, aítque: ego ſcio, me ad mortem damnatum, audiénsque pudicum veſtrum conſilium compunctus ſum: ita ergo ad talem locum, & fodite, nam pecuniam reperietis, quâ creditoribus veſtris ſatisfacere poſſitis, & orate pro me, ut miſericordiam inveniam. Poſt paucos ergo dies Latro affectus ſupplicio eſt, uxor verò ad nominatum locum pergens, fodiénsque pecuniam reperit, eáque paulatim Creditoribus ſatisfecit, ut crederetur, illam mutuò accepiſſe.

S. Greg. Naz. in orat. de S. Gorgon.

V. S. Gorgonia B. Gregorii Nazianzeni Soror adeò fatebatur ſe unam eſſe cum Marito, ut propterea ex parte tantùm baptizatam ſe putaret, quòd Maritus non eſſet baptizatus, ideo continuis precibus à DEO petivit, ut ſui ſpiritûs eum efficeret participem per baptiſmum, quod & impetrare meruit.

S. Aug. l. 9. conf. c. 9.

VI. S. Monica mirantibus aliis uxoribus, quomodo ipſa cum Marito infideli tam rigido & feroce adeò pacificè vivere poſſet, reſpondit: meæ Sorores, vos fortè Maritos ad rixas impellitis moroſitate ac contumacia veſtra, ego Marito ſæviente taceo, & diſſimulo, ſicque iracundiam ejus frango: quin animum ejus ſic inflexi, ut mecum Chriſtum colere cœperit; ita ergo & vos agite cum Maritis, ſi ſimili concordia ac pace frui vultis.

Breviar. Rom. 4. Iul.

VII. S. Eliſabeth Filia Petri Regis Aragoniæ, cum Dionyſio Rege Portugalliæ luxuriæ deditiſſimo, tantâ cum prudentia & ſanctitate converſata eſt, ut omnes in admirationem raperet, qui Maritum noverant. Hoc ſolùm ipſam angebat, quòd DEUS toties offenderetur. Unde continuis precibus rogabat DEUM, ut lucem illi infunderet, quâ è profunda & cæca abyſſo tandem emergeret. Ulteriùs præcipiebat, ut omnes ejus illegitimi Filii ſibi adducerentur, quos nutricibus tradebat, & commendabat, de omnibus providebat, nutricéſque muneribus donabat. Hâc tantâ caritate, patientiâ, prudentiâ, ſic Mariti animum evicit, ut fidem conjugalem poſtea ſervârit.

Rosw. l. 6. 4. 17.

VIII. Cùm S. Macarii animum deſiderium ſubiiſſet, cognoſcendi, ad quantam perfectionem perveniſſet, hanc è cælo vocem audivit: Nondum, ô Macari, attigiſti perfectionem duarum Mulierum Alexandriæ degentium. Abiens ergo Alexandriam, cùm reperiſſet duas illas mulieres, &, quem vitæ modum tenerent, indagâſſet, poſt longas preces tandem ab iis extorſit, quod undecim annis in eâdem domo ſumma cum pace cohabitâſſent, & ſæpiùs enixè petierint, ut vitam cælibem agere per Maritos liceret; id verò cùm impetrare nequirent, DEO puritatem cordis obtuliſſe. Inſuper ſummo ſemper ſtudio invigilâſſe, ne verbo vel opere DEUM offenderent. Hoc audiens vir ſanctus exclamare cœpit: verè in quocunque ſtatu puritas cordis DEO placet, ita ut quandoque puritas Conjugatorum puritatem Virginum & Monachorum excedat.

S. Damaſc. in vita Barlaam & Ioſaphat c. 16.

IX. Cùm quidam Filius Patris ditiſſimi audiviſſet, Sponſam ſibi à Patre ditiſſimam & pulcherrimam deſtinatam eſſe, deteſtans hoc conſilium fugâ elapſus eſt. In qua cùm ad domum ſenis pauperis propter æſtum divertiſſet, Filiámque ejus unicam ſedulò laborantem, DEUMque aſſiduè ob accepta beneficia laudantem vidiſſet, eam à Patre in uxorem petiit. Quem cùm Senex in multis tentâſſet, ipſéque conſtanter aſſereret, malle ſe cùm Filia ejus tam devota pauperem vitam degere, quàm cum divite oblatâ Sponſa inter delicias vivere, tandem optatis nuptiis potitus, à ſene in cubiculum introductus eſt, ubi ingentes ei divitias oſtendens, harum omnium ipſum ſe hæredem ſcribere dixit, eò quòd ſpretâ ſponſâ divite, pietatem potiùs in Filia ſua, quàm alias dotes reſpexiſſet.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Sabell. l. 2. Enn. 4.

I. Theogena uxor Agathoclis Regis Siciliæ ab ægro Marito nunquam divelli ſe paſſa eſt, dicere ſolita: nubendo non ſolùm proſperæ fortunæ, ſed & adverſæ ſocietatem inivi; quare nec invita ſpiritûs mei periculo emptura ſum, ut viri ſpiritus extremos percipiam.

Valer. Max. l. 4. c. 6.

II. Artemiſia Mauſoli Cariæ Regis conjunx, tanto amore Maritum proſequebatur, ut ad ejus funus viros eloquentiſſimos convocaret, qui laudes ejus decantarent. Sepulchrum deiu tam ſplendidum ei ædificari juſſit, ut inter ſeptem orbis miracula fuerit numeratum. Nec his contenta officiis, etiam oſſa in cineres redacta vino miſcuit, ebibitque, ut ſic quodam modo eum vitæ redderet.

Xenoph. l. 6.

III. Panthea uxor Abradatæ Regis Suſorum audiens Maritum ſuum in prælio occubuiſſe, in mediam aciem irruit, & Maritum ſuum amplexata, ferrum cordi infixit, ſicque ſimul cum eodem obiit.

Plut. apud Langium in pol.

Stob. ſerm. 66.

IV. Thales roganti Matri, ut Matrimonium iniret, nondum eſſe tempus dixit: deinde major natu iterum admonitus, non ampliùs eſſe tempus affirmavit. Idem rogatus, cur in vigore ætatis liberos non procreâſſet? reſpondit: Quia nolui ſponte negotium vitæ faceſſere, & ejus tranquillitatem turbare.

Plut. in Catone.

V. M. Cato cenſorius uxorem nobiliorem, quàm opulentiorem duxit, exiſtimans utraſque æquè eſſe elatas & ſuperſtitioſas, verùm turpitudinis rubore obſequentiores viris ad honeſta generoſas eſſe.

Cælius l. 8. c. 31.

VI. Indorum Virgines, cùm nubiles eſſe cœperint, in publicum à Parentibus producuntur. Accurrente, ut aſſolet, multitudine, libera illis datur optio, è juvenum turba virum ſibi ſeligendi, quem virtute aliqua inſigniter præſtantem putent.

Eraſm. l. 8. apopht. VII. Valeria à quodam rogata, quam ob rem defuncto Marito nulli poſthac nubere vellet? ideo, inquit, quia Servius meus, licet à his defunctus ſit, apud me vivit, vivètque ſemper.

Idem. VIII. Portia, cùm diutius lugeret Maritum, quæſita, quem habitura eſſet luctûs ultimum diem? reſpondit: quem & vitæ.

Laërt. l. 6. c. 1. IX. Antiſthenes adoleſcenti quærenti, qualem uxorem ducere deberet? reſpondit: ſi formoſam duxeris, habebis communem; ſi deformem copulaveris, habebis pœnam. Talis ergo ducenda uxor eſt, quæ nec faſtidium viro moveat ob deformitatem, nec ob inſignem formam petatur ab Adulteris.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Plut. in mor. I. Sicut corpus nihil poteſt abſque animo, nec animus ſine corpore; ſic inter uxorem & Maritum omnia oportet eſſe communia.

March. tr. 8. cand. myſt. lect. 3. II. Sicut ferrum non cum argento & auro, ſed cum alio ferro cohæret, & ſe commiſcet; ſic non bene vilis cum nobili, dives cum paupere conjux concordat.

Ibid. III. Sicut, cùm navis eſt magna, & gubernaculum parvum; aut viciſſim, navis bene dirigi non poteſt; ita nec Maritus bene dirigere poteſt uxorem, ſi nimia ſit inter utrumque diſparitas.

Fab. conc. 4. in dom. 2. poſt. Epiph. n. 4. IV. Sicut pharmaco utimur tamdiu, quamdiu morbus aut neceſſitas durat; ita Matrimonialis actio tamdiu ſolùm ſuſcipienda eſt, quamdiu finis Matrimonii, ſcilicet generatio prolis, & concupiſcentiæ remedium adeſt.

Ibid. V. Sicut vinum non debet bibi propter voluptatem, ſed propter naturæ ſuſtentationem & corroborationem; ita nec cohabitatio conjugalis propter voluptatem, ſed propter generationem prolis ſuſcipienda eſt.

Idem conc. 6. n. 6. VI. Sicuti quis nou tantùm ex alieno, ſed etiam ſuo vino inebriari poteſt, ſi illud immodicè bibat; ita non cum aliena duntaxat, ſed etiam propria uxore continentiæ limites excedi poſſunt.

Inſolubilitas.

S. Aug. de bon. conjug. c. 24. VII. Sicut ſi fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamſi congregatio plebis non ſequatur, manet tamen in ordinatis Sacramentum ordinationis; & ſi ex aliquâ culpâ quis removeatur ab officio, Sacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamvis ad judicium permanente; ita licet conjuges à ſe quoad thorum ſeparentur, aut prolem ſuſcipere non poſſint, vinculum tamen adhuc manebit.

S. Aug. de bono conjug. c. 18. VIII. Sicut duobus pluribúſve ſervire; ſic à viro vivo in alterius tranſire connubium nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit.

Dignitas.

Idem. IX. Sicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Joanne, qui paſſus non eſt; ita non eſt impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui Filios generavit.

Incommoda.

S. Greg. apud Lang. in pol. X. Sicut ſæpe rectum, mundúmque iter pergimus, & tamen ortis juxta viam vepribus per veſtimenta retinemur; ſic licet bonum ſit conjugium, mala tamen ſunt, quæ circa illud ex hujus mundi cura ſuccreſcunt. Dum ergo retinetur, quod non nocet, ex rebus juxta poſitis committitur plerumque, quod nocet.

S. Franciſ. Saleſ. apud Engelg. Dom. 2. poſt Epiph. XI. Sicut faciliùs eſt Ruſtico carere divitiis, quàm iis inopinatò repertis, aut oblatis moderatè uti; ita multi faciliùs omnino abſtinent nuptiis, quàm ut iis temperatè & bene utantur.

§. VII.

M O T I V A.

Ad Matrimonium ineundum.

I. H*Onor & gloria DEI*: qui non modicè glorificatur, ſi Parentes liberos multos generent, eóſque ſic educent, ut tandem æternæ gloriæ facti participes eundem DEUM in omnem æternitatem perfectiſſimè laudent, & ament. Quis enim non magnopere ſibi gratularetur, ſi multa templa exſtruxiſſet ſuis ſumptibus, in quibus DEUS die, noctúque devotiſſimè laudaretur? atqui gratiora ſunt templo Homines, DEUM in cælo laudantes.

II. *Augmentum Reipublicæ tam Eccleſiaſticæ, quàm civilis*: quod ſanè totum pendet à generatione & educatione liberorum; quia quales erunt Liberi, tales erunt olim & Eccleſiæ Miniſtri, & Magiſtratus politici; ac cives.

III. *Felicitas Liberorum*: cùm enim hi, ſi piè & Chriſtianè educentur, ad regnum cælorum admittantur, quod præſtantius eſt, quàm omnia regna Mundi, an non ingentem felicitatem Liberis ſuis procuraſſe dicentur Parentes, ſi cooperentur, ut hujus regni fiant participes eorum Liberi?

IV. *Solatium Parentum*: quod non poteſt non eſſe maximum, ſi meminerint, hos ipſos, quos modò genuerunt, & piè educant Liberos, fore olim regni cæleſtis hæredes, ídque actu quondam in cælis ſint viſuri. Hinc Salomon ait: Filius ſapiens lætificat Patrem.

V. *Con-*

Digitized by Google

V. *Confuſio Dæmonis*: quem cùm meritò ſummè odiſſe debeant Parentes, ob perpetuas inſidias ipſorum & Liberorum ſaluti ſtructas, non poſſunt hoc odium magis erga ipſum declarare, quàm ſi & ſe, & liberos ſuos ipſius eripiant poteſtati, atque in Filiorum DEI libertatem aſſerant.

§. VIII.

MEDIA.

Ad Matrimonium fauſtè contrahendum.

Philo l. de Monarch. I. *Sincerus DEI cultus*: quia, ut ſapienter notavit Philo, ſolus DEI cultus, eſt amoris & benevolentiæ vinculum inſolubile; id quod ex ipſorum etiam Philoſophorum axiomate colligitur, quo dicunt: Quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.

Prov. 19. v. 14. II. *Oratio humilis*: tum quia, teſte Salomone, domus & divitiæ dantur à Parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens: tum quia, cùm tribulationem carnis, prædicente Apoſtolo, ſint habituri, oportet ad has ſuperandas DEO humiliter ſubjici, ejúſque opem aſſiduò implorare.

III. *Veneratio Sanctorum*: eorum præcipuè, qui aliquando Matrimonio juncti cum magna ſanctitate & concordia vixerunt, uti præ aliis ſunt B. Virgo & S. Joſephus; ab horum enim veneratione duplex emolumentum habebunt Conjuges, nempe *Patrocinium potens*, quod tantò promptiùs exhibebunt, quantò magis ipſimet onera & difficultates matrimonii ſunt experti: & *exemplar perfectum*: vitæ ſecundùm leges ſancti Matrimonii inſtituendæ.

IV. *Concordia animorum*: ſicut enim ſi duo boves eidem jugo alligati unanimes ſint, leviorem ſibi laborem trahendi oneris efficiunt; ſi verò conſentire nolint, inutiliter ac fruſtra ſe fatigant, & graviùs ſentire onus coguntur; ita ſe res cum conjugibus eidem jugo Matrimonii illigatis habet.

V. *Curioſitatis devitatio*: illius præcipuè, quâ ex Zelotypiæ ſpiritu alterius conjugis mores & acta curioſiùs, quàm par eſt, obſervantur. Quod medium Alphonſus Rex Aragonum indicavit, dum dixit, tunc felix & tranquillum fore Matrimonium, ſi vir ſurdus, & uxor cœca fuerint.

Gal. 6. v. 2. VI. *Patientia in mutuis defectibus ſupportandis*, juxta monitum S. Pauli dicentis: alter alterius onera portate. Debent proinde conjugati duobus illis anſeribus ſimiles eſſe, qui à nativitate ſic erant dorſo colligati, ut, ſi unus ambularet, alter erectis ad cælum pedibus portaretur, qui altero defatigato, & ipſe pedibus inſiſtere, alterúmque portare debebat.

S. Aug. ſ. de verb. Dom. VII. *Caſtitas ante Matrimonium ſervata*: quod medium S. Auguſtinus ſequentibus verbis præſcripſit: ſi ducturi eſtis uxores, quales vultis eas invenire, tales & ipſæ inveniant vos. Quis eſt, qui non caſtam velit ducere? intactam quæris? intactus eſto; puram? purus eſto; non enim illa poteſt, & tu non potes.

§. IX.

ASCETICA.

I. QUinque ſunt præcipua capita, quæ Aſceta de Matrimonio bene cognoſcere, ac, ubi occaſio dabit, obſervare debet. Primum eſt, ut bene cognoſcat finem Matrimonii, quem quidem Caniſius ex SS. Patribus his verbis aſſignat: Cujus conjunctionis conjugalis ſi primarium Authorem quæris, DEUS eſt optimus maximus, qui primos conjuges & humani generis Parentes in ipſo Paradiſo conjunxit, ſuáque benedictione cohoneſtavit. Sin finem inſtitutionis ſpectas, eſt humani generis ad DEI gloriam propagatio, & conjugum inter ſe familiaris, fidúſque convictus, ac præterea fornicationis in hac naturæ corruptæ imbecillitate devitatio. *Caniſ. p. 1. de Matr. §. 1.*

II. Alterum eſt, ut bene cognoſcat triplex Bonum Matrimonii, quod ex dicto fine conſurgit, de quo Concilium Florentinum ſic loquitur: Aſſignatur triplex bonum Matrimonii. Primum, proles ſuſcipienda ad cultum DEI, & educanda. Secundum eſt fides, quam unus conjugum alteri ſervare debet. Tertium, indiviſibilitas Matrimonii propter hoc, quòd ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ. *Concil. Flor. apud Caniſ. l. c. §. 2.*

III. Tertium eſt, ut cognoſcat bene impedimenta tum dirimentia, tum impedientia contractum, quæ quidem paſſim apud Caſiſtas & Summuliſtas reperiuntur; id interea fixum, ratúmque habeat, ejuſmodi impedimenta graviſſimas ob cauſas ab Eccleſia conſtituta, atque adeò diligenter obſervanda eſſe, uti clarè indicat concilium Tridentinum, dum ait: ſi quis dixerit, eos tantùm conſanguinitatis aut affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant anathema ſit. *Seſſ. 24. c. 3.*

IV. Quartum eſt, ut ſolidum ac utilem cognoſcat modum contrahendi matrimonium, juxta quem alios inſtituat, qui quidem in eo ferè conſiſtit, ut in Chriſto, cum Chriſto, & propter Chriſtum matrimonium ſuſcipiatur. 1. *In Chriſto* tunc ſuſcipitur, quando doctrina S. Pauli obſervatur, quâ dixit: Viri, diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus Eccleſiam. & : Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Chriſto. 2. *Cum Chriſto* contrahitur Matrimonium, ſi diligenter priùs invocetur in electione, uſurpando illa verba Apoſtolorum. Tu, Domine, qui corda nôſti omnium, oſtende, quem (aut quam) elegeris. Dein ſi in ipſa contractione priùs in SS. Euchariſtia ſumatur. Et tandem *Act. 1.*

ſi ante conſummationem pariter exemplo Tobiæ junioris invocetur. 3. *Propter Chriſtum* ſuſcipitur Matrimonium, ſi vocatio ad illud diligenter inquiratur, & ideo ſtatus hic aſſumatur, quia DEO ad eundem nos vocare placuit.

V. Quintum eſt, ut noverit potiores tentationes conjugii, modùmque aptum eiſdem occurrendi. Quales ferè ſunt. 1. Aſperitas aut moroſitas alterius conjugis; contra quam vix aliud efficacius eſt medium, quàm patientia & manſuetudo; nam reſponſio mollis, multò magis omnimoda taciturnitas & diſſimulatio frangit iram. 2. Liberorum aut Famulorum mores diſcoli; qui & ipſi manſuetâ potiùs quàm aſpera correctione ſanandi, & ubi conatus nihil profecerit, cum patientia ſupportandi, juſtitiæque divinæ ſuo tempore caſtigatnræ relinquendi ſunt. 3. Sollicitudo pro rebus ad ſe, familiámque ſuſtinendam neceſſariis: contra quam optimum eſt medium, ut quærant ſollicitè priùs regnum DEI, & juſtitiam ejus, magnámque de DEI bonitate & fidelitate fiduciam concipiant. 4. Deteſtatio ſui ſtatus, utpote impedimenta ad bene piéque vivendum objicientis; quibus optimè occurret, illud S. Chryſoſtomi in memoriam revocando: Audiant viri & mulieres, & diſcant juſti virtutem: nec putent nuptias in cauſa eſſe, quò minùs quis DEO placeat, nam idcirco divina ſcriptura ſemel & iterum id ſignificavit, dicens: genuit Mathuſalem, & tunc placuit, ac repetit dicens, & poſtquam placuit, genuit, ne quis arbitraretur, obſtaculum virtutis eſſe conjugium. Et iterum alibi: Adjutrix tibi data eſt, non inſidiatrix. an non habebat uxorem Propheta? neque tamen ſpiritui gratiæ obſtabat conjugium. Moyſes nónne uxorem habuit? & tamen is Petram diſrupit, aërem immutavit, cum DEO loquebatur, iram divinam cohibuit. Abraham nónne habebat uxorem? & tamen Pater factus eſt Gentium & Eccleſiæ. Demum omnes Prophetæ & uxores habebant, & domos, ut Iſaias, Ezechiel, & magnus Moyſes, & inde nihil ad virtutem lædebantur.

S. Chryſ. ho. 21. in Gen.

Idem ho. 4. in Iſ.

§. X.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Eph. 5. in 32.

I. EX occaſione thematis: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia:* poteſt oſtendi præſtantia hujus Sacramenti, & quàm verè *magnum* dicatur. 1. ab *Inſtitutore*, qui eſt ipſe DEUS, & Chriſtus. 2 *ſignificatione:* quia ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. 3. *Duratione:* quia durat ejus vinculum uſque ad vitæ finem. 4. *Obligatione*; tum ad debitum reddendum: tum ad cohabitandum, mutuúmque auxilium ferendum: tum ad liberos alendos & educandos. 5. *Fructificatione*: tum ob collationem gratiæ habitualis & Sacramentalis: tum ob fructum multiplicem ex bona educatione liberorum in DEUM, Eccleſiam, Rempublicam & liberos ipſos redundantem. Unde meritò magnâ etiam conſideratione, præparatione, ac devotione ſuſcipiendum eſt.

II. Ex occaſione thematis: *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi:* poſſunt explicari officia conjugum. Et 1. dici, quòd illo verbo *ſimile* explicetur, quid Maritus erga uxorem obſervare debeat, nempe quòd ſimilem habere debeat in *victu*, *veſtitu*, & aliis neceſſariis; in *honore* (juxta illud S. Petri: Viri ſimiliter cohabitantes ſecundùm ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ; hinc etiam ex latere Adami creata eſt) & *in ſupportatione*; nam cùm inter omnes Amicos culpæ facilè condonari ſoleant, multò magis id fieri convenit inter conjuges, inter quos, uti ſumma conjunctio, ita ſumma quoque amicitia intercedere debet. 2. Dici poteſt Uxoris officium per verbum *adjutorium* explicari; hoc enim indicatur, eam marito ſtrenuè cooperari debere in generandis, educandis, & alendis liberis, & tanquam principali agenti omnem reverentiam, obedientiam, & amorem (per hunc enim maximè conjungitur, exhibere debere. Quæ omnia facilè fuſiùs explicari poſſunt, maximè ſi legatur conc. 3. & 4. Matthiæ Fabri in Dom. 2. poſt Epiph. ubi omnia hæc & plura alia officia latè deducit.

Gen. 2. v. 18.

1. Petr. 3. v. 7.

III. Ex occaſione thematis: *Hoc fecit initium ſignorum JESUS*: vel: *Erant autem ibi lapidea hydriæ ſex poſitæ*: poteſt dici, tunc quidem Chriſtum prima vice feciſſe hoc miraculum, ſed modò frequenter id renovare, dum ſex hydrias tribulationum, quæ in ſtatu matrimoniali reperiuntur, in vinum lætitiæ convertit. Enumerentur ergo ſingulæ hæ tribulationes per ordinem, nempe orbitas. Liberi immorigeri, paupertas vel certè ſollicitudo de Filiis & domeſticis alendis, defectus mutui, afflictiones conſortis, ſeparatio in morte: & de ſingulis oſtendatur, quomodo Chriſtus per ſuam gratiam leves faciat, ſicque in vinum quaſi convertat. Qua de materia videri poteſt Faber conc. 2. in Dom. 2. poſt Epiph. & P. Forerus in 1. p. vitæ Chriſti de hoc Evangel.

Ioan. 2. v. 11.

IV. Ex occaſione thematis: *Accipies virginem cum timore Domini, amore Filiorum magis, quàm libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in Filiis conſequaris*: poteſt multiplex benedictio explicari, quàm conjuges ex matrimonio legitimè & piè ſuſcepto ſperare poſſunt. Quem in finem ſervire poteſt totus Pſalmus 127. Beati omnes, qui timent Dominum &c. in illo enim pulchrè triplex benedictio indicatur, nempe 1. in *temporalibus bonis*, per illa verba: labores manuum tuarum quia manducabis: 2. *in uxoris fertilitate*: uti illa verba indicant: uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. 3. *in Filiorum educatione* quæ innuitur per verſum: Filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ. Quæ omnia fuſiùs explicata videri poſſunt apud

Tob. 6. v. 22.

Mar-

Marchantium tract. 8. Cand. Myſt. lect. 5. prop. 3.

Gen. 38. v. 18.

V. Ex occaſione thematis : *Cognoſce, cujus ſit annulus* : poteſt amor conjugalis explicari, quem ſibi conjuges mutuò debent. Dicatur ergo annulum, quem Sponſus Sponſæ offerre debet, & ipſe concionator nunc porrigit, aureum eſſe, & loco gemmæ effigiem ſponſi incluſam habere, ut omnes amoris conjugalis partes explicentur. nam 1. ſicut aurum omnibus aliis metallis præcellit; in Conjuges ſe in amore & æſtimatione omnibus præferre debent. 2. ſicut aurum per ignem probatur, & purius efficitur; ita amor conjugalis per tribulationes cognoſcitur, & perfectior redditur. 3. ſicut annulus rotundus eſt, & finem non habet; ita amor conjugalis durare debet uſque ad mortem. 4. ſicut in annulo effigies, præ aliis partibus annuli, utpote ſuprema conſpicitur; ita conjuges ſibi ſemper in oculis verſari debent, illúdque Abimelechi dictum ſibi applicare : Quocunque perrexeris, memento te deprehenſam. Videatur pluribus de annulo nuptiali diſcurrens Faber exhort. nupt. 26.

Matth. 11.

VI. Ex occaſione thematis : *Tollite jugum meum ſuper vos* : narrari poteſt ex Tacito, olim apud antiquos Germanos morem fuiſſe, ut novis nuptis par boum offerretur, quo ſignificare volebant, perinde ut bobus ſuum jugum, ita conjugibus jugum Matrimonii eſſe portandum. Et 1. quidem conandum, ut pares ſint; alioqui enim debiliori totum onus incumbet. Hinc & DEUS olim præcepit : non arabis in bove ſimul & aſino. 2. Ut ſint arctiſſimè juncti jugo, ſicut boves, de quibus Plinius ait : araturos boves quàm arctiſſimè jungi oportet, ut capitibus ſublatis arent, ſic enim minùs colla contundunt. Hoc autem in conjugibus per amoris efficitur vinculum. 3. Ut ſimul pergant, & onus trahant; hoc enim, teſte S. Chryſoſtomo, verè eſt conjugium, quoniam non ſolùm in proſperitate, ſed in periculis ſimul obambulant. Hoc germanæ caritatis indicium eſt. Hoc ſigno certiſſimè internoſcitur amicitia. non ſic diadema in capite poſitum Regem præclarum ornat, quàm obedientia illa, quæ conſilio juſti paruit (loquitur autem de Sara Abrahæ uxore) beatam & illuſtrem & claram demonſtravit. 4. Ut in caſu alter alteri cedat, & condeſcendat, ſicut boves uno procumbente ſe inclinant, & cum ipſo accùbant; ita enim S. Paulus monet dicens : alter alterius onera portate. Quòd ſi autem invicem onera ferenda ſunt, multò magis uxoris, ut rectè argumentatur S. Chryſoſtomus. Videatur Faber exhort. 10. nupt. pluribus de hac materia diſcurrens.

Deut. 22. v. 10.
Plinius. l. 18. c. 19.
S. Chryſ. ho. 32.
Gal. 6. v. 2.
S. Chryſ. ho. 26. in 1. Cor.

Jo. 2. v. 2.

VII. Ex occaſione thematis : *Vocatus eſt autem & JESUS, & diſcipuli ejus ad nuptias* : dici poteſt, ideo Christum voluiſſe nuptiis his intereſſe, ut ſimul, quàm honorabiles eſſet, oſtenderet, & quâ ratione ſanctè celebrari deberent, doceret, nempe ipſo præſente & adjuvante, & impellente; quod clariùs poſtea S. Paulus expreſſit, dum dixit : Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult, nubat, *tantùm in Domino*. Oſtendatur ergo, quid ſit in Domino nubere, nempe 1. *Cum bona intentione* : ſpectando ſolam DEI gloriam, & propriam ac prolis ſalutem, non ad opes aut voluptates reſpiciendo; ob hoc enim DEUS ex *dormientis* Adæ latere Evam creavit, ut non ad ſpeciem ejus aut aliud reſpiceret Adam. Hinc & S. Baſilius, quid eſt, ait, in Domino nubere? Non ut vile mancipium voluptatibus carnis ad coitum protrahi, ſed judicio & commodioris vitæ ratione nuptias eligere. 2. *Ingrata* : quo ſenſu dicitur in Apocalypſi : Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hinc à Concilio Tridentino jubentur conjuges ſaltem triduò ante conſummationem ſua peccata confiteri, & S. Euchariſtiam ſumere. 3. *In eâdem fide* : Catholicâ ſcilicet; idenim, ut S. Ambroſius & alii Patres teſtantur, S. Paulus ad literam per illa verba, *in Domino*, expetiit; quomodo enim poteſt congruere fides, ſi caritas diſcrepet? inquit rectè S. Ambroſius. Hinc & Plutarchus ait : Cùm ſit primus & maximus DEUS, quem vir cenſet eſſe colendum, ſolum eum agnoſcere uxorem decet : curioſæ religiones & peregrinæ ſuperſtitiones à veſtibulo domus arcendæ ſunt. 4. *Cum adjutorio DEI* : quo maximè indigent, tum ad onera Matrimonii ſuſtinenda, tum ad liberos generandos. Unde DEUS vivente Sara aliquoties apparuit Abrahamo, eúmque ſolatus eſt, non autem eâ mortuâ, quia tunc robore illo non ampliùs indigebat, uti Rupertus diſcurrit. Vide Fabrum exhort. 7. Nuptiali hæc omnia fuſiùs explicantem.

1. Cor 7. v. 39.
S. Baſil. ho. 19. int. ad Cor. 7.
Apoc. 14. v. 13.
Seſſ. 24. c. 1.
S. Ambr. l. 1. de Abra. c. 9.
Plutarch. apud Fab. exh. 2. nupt.
Rupertus l. 6 in Gen. c. 35.

4. Reg. 10. v. 15.

VIII. Ex occaſione thematis : *Numquid eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cum corde tuo?* poteſt neceſſitas & utilitas concordiæ conjungalis oſtendi, ſimúlque media ad eandem obſtinendam proponi. 1. Ergo oſtendatur, quid ſit concordia conjugalis, ſcilicet ut idem velint & nolint. 2. Oſtendatur, quàm neceſſaria ſit hæc concordia, ex eo, quòd de domo æquè dici queat, ac de regno, quod Christus dixit : omne regnum in ſe diviſum deſolabitur. certè diſcordi conjugio cum veritate convenit illa Oſeæ ſententia : Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt : ad inſtar Thyræi lapidis, qui, cùm integer eſt, natat : mergitur verò, cùm diviſus eſt. 3. Utilitas quoque concordiæ ex communi proverbio demonſtretur, quo dicitur : concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur, & meritò, cùm enim DEO ſingulariter placeat, teſte Siracide, ſi vir & mulier ſint benè conſentientes, rectè colligitur, quòd illis etiam ſuam benedictionem largè ſit impertiturus. 4. denique unum alterumve medium offeratur ad hanc concordiam obtinendam, qualia ſunt, ſi Maritus honeſtis petitionibus uxoris facilè annuat, & uxor diſpoſitionibus Mariti facilè cedat : ſi bona inter ſe communia habeant, & *meum* ac *tuum*, quæ omnis diſcordiæ radix

Luc. 11. v. 17.
Oſee 10. v. 2.

S. Chryſ. ho. 9. in 1. ad Tit.

ſunt, penitus eliminent. Quæ omnia brevitet complexus eſt S. Chryſoſtomus, dum dixit: Præcipuum illud eſt domeſticæ pacis ac bonorum omnium fundamentum, ſi uxor viro per omnia conſentiens ſit; nam ubi hoc ſit, nihil triſte contingere poteſt. Quo pacto enim, cùm caput corpori connexum, conjunctúmque ſit, ulla ibi ſeditio, ulla diſſenſio poſſit exoriri? neceſſariò profectò omnia reliqua in pace ſunt. Principibus namque pacatis, quis jam pacem dividere poſſit, ac diſcindere? Quemadmodum è contra his invicem diſſentientibus nihil ſalubre eſſe poterit, totáque nutabit familia. Videatur Fab. exhort. 16. & 17. nuptiali.

Eph. 5. v. 25.

IX. Ex occaſione thematis: *Viri, diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam*: poteſt oſtendi, quomodo Maritus ad imitationem Chriſti Uxorem ſuam diligere debeat, ſcilicet ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, ita ut 1. Sicut Chriſtus Eccleſiam quà verbis, quà exemplis exhibuit ſibi glorioſam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut eſſet ſancta & immaculata; ita & ipſe verbis & exemplis ad morum vitæque integritatem excitare laboret. 2. Ut ſicut Chriſtus Eccleſiam tam fortiter protegit, ut etiam portæ inferi prævalere adverſus eam non poſſint; ita & ipſe uxorem ab omnibus adverſitatibus pro viribus protegat. 3. Ut ſicut Chriſtus ſeipſum tradidit pro Eccleſia; ita & ipſe ſe vitámque ſuam pro ſalute conjugis exponere non ceſſet. 4. Sicut Chriſtus nutrit & fovet Eccleſiam; ita & hoc ipſe reſpectu Eccleſiæ faciat. Econtrario verò & uxor Eccleſiam imitetur; & ſicut hæc reveretur, diligit, & ſubjecta eſt Chriſto in omnibus, ita & ipſa hæc tria reſpectu Mariti obſervet. qua de re videatur Faber exhort. 9. nuptiali.

Gen. 30. v. 20.

X. Ex occaſione thematis: *dotavit me Dominus dote bona*: poteſt oſtendi, quæ ſit optima dos conjugum, videlicet virtus, & quidem ob tres cauſas. 1. Quia hæc dos eſt præſtantior omni auro, argento, & gemmis; ſolæ enim veræ opes ſunt, quæ nos virtutibus divites faciunt, teſte S. Bernardo. 2. Quia dos hæc eſt utiliſſima Marito & uxori; cùm pietas & virtus ſit ad omnia utilis, & omnia neceſſaria adjiciantur regnum DEI & juſtitiam ejus, id eſt, virtutem quærentibus. 3. Quia dos hæc eſt inauferibilis, niſi ſponte quis illam velit abjicere, aut dimittere. In quorum confirmationem narrari poteſt hiſtoria ſupra §. 4. num. 9. recenſita de Filio Sponſam divitem fugiente, & virtuoſam Filiam hominis Pauperis eligente, cum qua innumeræ ei divitiæ obvenerunt.

§. XI.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. MArci Catonis Filia quæſita, cur poſt amiſſum virum non denuò nuberet? reſpondit, ſe non invenire virum, qui ſe magis vellet, quàm ſua. *Hugo de S. Vict. in lib. ad Soc.*

II. Metellus Mario, cujus Filiam dote felicem, formâ nobilem, genere claram, famâ celebrem ducere noluit, reſpondit: malo eſſe meus, quàm ſuus. Cúmque Marius reponeret: imò ipſa tua erit; dixit iterum Metellus: imò virum oportet uxoris eſſe; logicum enim eſt, talia eſſe prædicata, qualia ſubjecta eſſe permiſerint. *Val. Max. in op. ad Rufin.*

III. Lycurgus, cùm certum tempus præſcripſiſſet, quo Puellæ nubere, Juvenes ducere deberent, interrogatus, cur id ſtatuiſſet? reſpondit, ut ſoboles ex adultis, perfectæq; ætatis Parentibus nata, valida & vegeta ſit; nam coitu præpropero non ſolùm læduntur corpora gignentium, verùm etiam proles naſcitur imbecilla. *Plut. in Lacon.*

IV. Alphonſus Rex Aragonum dicere ſolebat, tunc Matrimonium tranquillè exigi poſſe, ſi Maritus ſurdus, uxor cœca fiat, innuens, feminas Zelotypiæ obnoxias eſſe, & maritis uxorum garrulitatem moleſtam eſſe, quâ moleſtiâ carebunt, ſi ſurdi fiant: ſicut & uxores vitio Zelotypiæ, ſi cæcæ efficiantur. *Eraſmus l. 8. apoph.*

V. Quidam, cùm multæ Virgines opulentæ in uxorem offerrentur, uxorem ſine dote elegit dicens: ne dotum freno conſtrictus uxori meæ nupſiſſe videar, & contra Apoſtoli doctrinam viri caput mulier efficiatur, malo dote omnino carere. *Beyrl. in apoph. Chriſt.*

VI. Novi Conjuges in regno Mogor inſtante nuptiarum die, priùs ſepulchra obeunt, & reſerata ſedulò contemplantur, quò nimirum vitæ ſuæ finem expendant, antequam liberis creandis initium dent. *Hier. Xaver. in lit. ann. 1598.*

VII. S. Martinus, cùm aliquando pratum tranſiſſet, cujus partem depaverant boves, partem porci ſuffoderant, partem denique illæſam, floribúſque vernantem reliquerant; ad ſublimiora erigens animum, dicebat à prima parte conjuges, à ſecunda fornicarios, à tertia Virgines denotari, ut quæ præ reliquis illibatum caſtitatis florem retineant. *Sulpit. in vita. Dial. 2.*

VIII. Uxor Phocionis civis Athenienſis cùm aliæ mulieres ei mundum muliebrem oſtenderent, dixit ad eas: mihi verò mundus muliebris eſt Phocion. *Plut. in vit. Phoc.*

IX. Non malè Xyſtus Philoſophus dixit: Adulter eſt in ſuam uxorem, omnis impudicus amator ardentior. *Fab. exh. 12. nupt.*

X. Apud Sacas ſi quis Puellam uxorem ducere cupit, pugnam cum ea ſuſcipit: & ſi illa ſuperior ſit, captivum abducit, atque imperium in illum obtinet: ſin inferior, regitur ab ipſo. Certant autem non de vita, ſed de victoria. *Ælian. l. 12. c. 38.*

Inſolu-

Inſolubilitas.

Plut. in qq. Rom. q. 29. XI. Olim apud Romanos, cùm Sponſa domum duceretur, non licebat illi tranſcendere limen domus, ſed ſublata à pronubis portabatur, ut intelligeret, ſe à Sponſi thoro, niſi mortuam ſeparatum non iri.

Ibid. q. 1. XII. Apud eoſdem Sponſæ ignis & aqua præferebatur, ut meminiſſet, ſe adhærere Marito debere, etſi ſolùm igne & aqua frui liceret.

Incommoda.

Fab. exh. nupt. 29. XIII. Theodectes dicere ſolebat, ſenectutem & nuptias ſimiles eſſe; eò quòd utramque conſequi deſideremus: poſtquam verò conſecuti ſumus, triſtemur.

Ibid. exh. 12. XIV. Phoconeus Argivorum Rex eo die, quo deceſſit, Leontio Fratri dixit: nihil mihi defuiſſet ad felicitatem, etiamſi uxor defuiſſet.

S. Hier. contra Jovin. c. 29. XV. Romanus quidam nobilis reprehenſus ab amicis, quòd uxorem formoſam, caſtam, & divitem repudiâſſet, pedem extendit, dixítque: hic calceus videtur quidem vobis novus & elegans, ſed nemo ſcit, ubi me premat, præter me.

Lang. in pol. XVI. Cùm quidam Diogeni diceret cum gaudio, ſe novam uxorem duxiſſe, dixit ille: Parvum ſolatium, & magnam ſollicitudinem lucratus es.

Petr. Dial. 45. XVII. Rectè dixit Petrarcha: anceps uxoris electio: deformis facilè faſtiditur, formoſa difficilè cuſtoditur, eâ lege, quâ inter formam corporis & animi caſtitatem lis perpetua eſt.

S. Hier. de laud. Virg. XVIII. S. Hieronymus Virgines ob puritatis candorem, liliis, conjugatos ob tribulationem carnis, ſpinis ſimillimos eſſe dixit.

Val. Max. in mem. dict. XIX. Socrates ab Adoleſcente quodam interrogatus, an uxorem ducendam ſuaderet? an verò cœlibem vitam ducendam? reſpondit, utrum eorum feciſſet, acturum pœnitentiam. Hinc te ſolitudo, hinc orbitas, hinc gravis interitus, hinc hæres alienus excipiet; illinc perpetua ſollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium ſupercilium grave, garrula ſocrûs lingua, ſucceſſor alieni Matrimonii, incertus liberorum eventus.

Stob. ſerm. 62. XX. Hippocrates dicebat, duos dies cum uxore jucundos eſſe, illum ſcilicet, quo ducitur, & alterum, quo mortua effertur.

XXI. Jam olim dicebatur, eum, qui navem ſibi comparat, & qui uxorem ducit, grande ſibi negotium comparare, quia cùm mulier nunquam ſibi ſatis ornata videatur, perpetuum faceſſit Marito negotium. *Tympius in menſa Theol. de conjug. c. 13. n. 29.*

§. XII.

AXIOMATA.

I. NEc femina, nec pannus ad candelam emendus eſt. *Ibid. n. 101.*

Beym Tag kauff ein Weib/ vnd ein Tuech/
Sonſt kaufſt du groſſe Rew vnd Fluech.

II. Qui capit uxorem, litem capit atque dolorem. vel *Ibid. n. 88.*

Qui capit uxorem, capit abſque quiete laborem.

Ein böß Weib nemmen zu der Ehe/
Macht Vnruh/ Zwitracht/ ach vnd wehe.

III. Quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet. *Matth. 19. v. 6.*

Was GOTT zuſammen gefüget/
Sollen die Menſchen nit ſcheyden.

IV. Ehe iſt wehe. Frühe Ehe/ frühe wehe. Eheſtand/ Weheſtand. *Flor. polit. eod.*

§. XIII.

AUTHORES.

I. MAtthias Faber in Exhortat. nuptialibus. Item Dom. 2. poſt Epiph. conc. 1. 2. 3. 4. 8.

II. Jacobus Marchantius in Candelabro Myſtico tract. 8.

III. Ludovicus Granatenſis in loc. comm. f. 726.

IV. Joannes Buſæus de ſtatibus hominum. lit. M. de ſtatu Matrim.

V. Petrus Caniſius part. 2. de Matrim. Sacramento.

VI. Henricus Engelgrav. in Luce Evang. p. 2. embl. 7.

VII. Laurentius Beyrlinck in theatro vit. hum. v. eodem.

VIII. Joſephus Langius in Polyanth. v. eod. & v. Conjugium.

IX. Antonius Dauroltius in Catech. hiſtor. c. 5. tit. de Matrimonio.

TITULUS XX.

MORS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Ariſt. l. de mort lib. de Adol. c. 2. EST receſſus animæ, ſecundùm Ariſtotelem: aut caloris naturalis diſſolutio, juxta eundem. Secundus Philoſophus ab Adriano Imperatore interrogatus, quid eſſet Mors? reſpondit, æternus ſomnus, diſſolutio corporum, divitum pavor, pauperum deſiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, ſomni pater, fuga vitæ, vivorum diſceſſio, reſolutio omnium. *apud Laertium.* *S. Aug.* Juxta S. Auguſtinum eſt relictio corporis, depoſitio Sarcinæ gravis. *S. Ambr. l. de bono mort. c. 3.* Juxta S. Ambroſium eſt abſolutio animæ & corporis, & quædam hominis ſeparatio; ſolvimur enim hoc nexu, cùm recedimus. Unde & David ait: Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. *S. Greg. l. 12. mor. c. 8.* A S. Gregorio *Somnus* vocatur juxta illud S. Jobi: Homo, cùm dormierit, non reſurget. cujus appellationis rationem hanc S. Doctor reddit, quòd vehementer ab infirmis mentibus nomen mortis pertimeſcitur, ſomni autem vocabulum non timetur. Unde S. Paulus diſcipulos admonet dicens: Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. Dicta autem eſt mors à morſu, *S. Aug. ſ. 101. de temp.* teſte S. Auguſtino, quia videlicet per morſum, quo protoparentes noſtri vetitum pomum momorderunt, in orbem introducta eſt.

Diviſio.

II. Dividitur 1. in *Naturalem*, & *Violentam*: illa eſt, quæ ab interno principio, videlicet Caloris naturalis extinctione, provenit, qui propter defectum humidi radicalis, perinde ut Lucerna deficiente oleo extinguitur. Iſta eſt, quæ à principio extrinſeco oritur, cùm videlicet, ut Cicero explicat, vel humor detrahitur, *Cic. l. 1. Tuſc. 91.* vel calor extinguitur oppreſſione quâpiam, ſive internâ, ut in veneno, ingluvie, & alluvione immodicâ potûs, quemadmodum cùm nimium olei in lucernam infunditur: ſive externâ, ut Spiritus cor refrigerantis in arteriâ, vel ore compreſſio, quale eſt, cùm ignis lapidibus aut multo cinere derepentè obruitur.

III. Dividitur 2. In *bonam* & *malam*: illa contingit, quando homo in ſtatu gratiæ decedit; iſta eſt, quando in peccato mortali, per pœnitentiam non deleto, moritur, & à S. Joanne Mors ſecunda vocatur. *Apoc. 2. v.* De illa dicitur: Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus; *Pſ. 115. v. 16.* de hac: Mors Peccatorum peſſima. *Pſ. 33. v. 22.* Unde, teſte S. Gregorio, populum per deſerta gradientem columna nubis in die, *S. Greg. ho. 20. in Evang.* & columna ignis in nocte præibat, quia cùm venerit Filius Hominis in Majeſtate ſua, omnes hunc & Electi, & reprobi videbunt, ut & juſti de munere retributionis ſine fine gaudeant, & injuſti in ultione ſupplicii in perpetuum gemant.

Adjuncta Mortis.

IV. Quatuor ferè ſunt magis præcipua adjuncta, quæ mortem terribilem faciunt. Primum ſunt *dolores corporis*: de quibus S. David dixit: *Pſ. 17. v. 5.* Circumdederunt me dolores mortis: verè enim, ut loquitur Beſſæus, circumdant dolores ægrum ut obſeſſam urbem vallo morborum, foſſâ ſymptomatum, excubiis medicorum, ſtationibus Amicorum, telis medicinarum, ſectionum, ustionum: baliſtis deliquiorum: ruinâ denique murorum ac evaſtatione. Unde, ut idem Pſalmiſta ait, ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, *Pſ. 47. v. 6.* tremor apprehendit eos, ibi dolores ut parturientis.

V. Secundum ſunt *dolores animæ ob* peccatorum conſcientiam perturbatæ: qui quidem tanti ſunt, Innocentio teſte, ut anima plurimum turbata cogatur quaſi ſeipſum odiſſe. *Innoc. de cont. mun. diſ. 40.* Unde ſtatim ſubjungitur in pſalmo ſuprà citato: torrentes iniquitatis conturbaverunt me: nam torrentes cum multo impetu veniunt, & videntur diruere omnia.

VI. Tertium ſunt *dolores inferni*: de quibus iterum Pſalmiſt. l. c. ait: Dolores inferni circumdederunt me: *Pſ. 114. v. 3.* ſeu, ut alibi clarius explicat: Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me. quando ſcilicet, ut loquitur Innocentius, anima jam incipit triſtè dijudicare, & ſibi pro ſuis iniquitatibus ſingulis debita gehennæ tormenta timet imminere.

VII. Quartum ſunt *dolores ex aſpectu Dæmonum exorti*: qui, ſicut feles excubant ad murium antra, præſtolantur egreſſum animæ, ut corripiant prodeuntem. Quod jus videntur accepiſſe ab exordio mundi, dum iiſdem dixit DEUS: Tu inſidiaberis calcaneo ejus. *Gen. 3. v. 15.* Ubi Gloſſa ait: Calcaneum, finem hominis ſignificat, ad illum ſemper dæmon attendit, ſemper inſidiatur. Unde iterum cit. pſalmo 14.

aut

ait: Præoccupaverunt me laquei mortis. Quantus autem hic dolor ſit, S. Bernardus explicat ſequentibus verbis: eam comprehendet tam terribiliter, quàm horribiliter volent retinere. Hinc ad Abbatem Bonævallis in hæc verba ſcripſit: orate Salvatorem, ut tempeſtivum jam exitum non differat, ſed cuſtodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis, ut is, qui inſidiatur, invenire non poſſit, unde figat dentem, & vulnus infligat. Quæ omnia confirmantur ex viſione, quam S. Antonius quondam habuit, dum elevans ad cælum oculis Gigantem quendam terribilem vidit, caput ad cælos attolentem; & animas ad cælum volare volentes extenſis manibus prohibere conantem, quarum aliquas ad terram alliſit, alias autem fruſtra retinere contendit.

S. Bern. l. de Med. *Epiſt. 190.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Certitudo quoad ſubſtantiam.

Gen. 3. v. 17. I. QUia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, in ſudore vultûs tui veſcêris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es. quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

2. Reg. 14. v. 14. II. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.

Pſ. 88. v. 49. III. Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem? eruet animam ſuam de manu inferi?

Eccl. 25. v. 33. IV. A muliere factum eſt initium peccati, & per illam omnes morimur.

Rom. 5. v. 12. V. Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.

Ibid. v. 14. VI. Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccaverunt.

Sap. 7. v. 6. VII. Unus eſt introitus omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.

Hebr. 9. v. 27. VIII. Statutum eſt Hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium.

Incertitudo quoad tempus.

Eccl. 9. v. 12. IX. Neſcit homo finem ſuum; ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur; ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſupervenerit.

Eccl. 14. v. 12. X. Memor eſto, quoniam mors non tardat, & teſtamentum inferorum quia demonſtratum eſt tibi.

Luc. 12. XI. Eſtote parati, quia, quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.

Iac. 4. v. 14. XII. Ecce nunc, qui dicitis: Hodie aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis, quid erit in craſtino.

Qualitas.

Eccl. 10. v. 13. XIII. Cùm morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.

Iob. 17. v. 14. XIV. Putredini dixi: Pater meus es, Mater mea & Soror mea, vermibus.

Eccl. 41. v. 1. XV. O mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis, viro quieto, & cujus viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum.

Pſ. 101. v. 12. XVI. Dies mei ſicut umbra declinaverunt, & ego ſicut fœnum arui.

Iob. 14. v. 1. XVII. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquã in eodem ſtatu permanet.

Iob. 9. v. 25. XVIII. Dies mei velociores fuerunt curſore, fugerunt, & non viderunt bonum. Pertranſierunt quaſi naves poma portantes, ſicut aquila volans ad eſcam.

Apoc. 6. v. 8. XIX. Ecce equus pallidus, &, qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ.

Eccl. 11. v. 18. XX. Eſt, qui locupletatur parcè agendo, & neſcit, quòd tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & morietur.

Iob. 1. v. 21. XXI. Nudus egreſſus ſum de utero Matris meæ, & nudus revertar illuc.

Mors deſiderata.

Philip. 1. v. 23. XXII. Coarctor autem è duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.

Iob. 6. v. 8. XXIII. Quis det, ut veniat petitio mea, &, quod exſpecto, tribuat mihi DEUS? & qui cœpit, ipſe me conterat?

2. Cor. 5. v. 6. XXIV. Scientes, quoniam, dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.

Pſ. 141. v. 8. XXV. Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo.

Balaam. v. 23. XXVI. Moriatur anima mea morte Juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia.

Pſ. 83. v. 2. XXVII. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.

Mors Juſtorum.

Apoc. 14. v. 13. XXVIII. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.

Sap. 4. v. 7. XXIX. Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

Eccl. 1. v. 13. XXX. Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.

Luc. 12. v. 37. XXXI. Beati ſervi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.

Pſ. 115. v. 16. XXXII. Pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum ejus.

Sap. 4. v. 13. XXXIII. Conſummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat DEO anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.

Mors Impiorum.

Pſ. 33. v. 22. XXXIII. Mors peccatorum peſſima.

Sap. 3. v. 19. XXXIV. Nationis iniquæ, diræ ſunt conſummationes.

1. Mach. 2. v. 62. XXXV. A verbis peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus ſtercus & vermis eſt. Hodie extollitur, & cras non invenietur, quia converſus eſt in terram ſuam, & cogitatio ejus periit.

Eccl. 41. v. 11. XXXVI. Væ vobis viri impii, qui dereliquiſtis legem Domini altiſſimi. Et ſi nati fueritis, in maledictione naſcemini: & ſi mortui fueritis, in maledictione erit pars veſtra.

Prov. 11. v. 7. XXXVII. Mortuo homine impio nulla erit ultra ſpes, & exſpectatio ſollicitorum peribit.

Sap. 5. v. 2. XXXVIII. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritûs gementes: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum.

Utilitas.

Eccl. 7. v. 3. XXXIX. Meliùs eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum ſit.

Ibid. v. 2. XL. Melior eſt dies mortis, quàm dies nativitatis.

Præparatio ad mortem.

Eccl. 14. v. 17. XLI. Ante obitum operare juſtitiam, quoniam non eſt apud inferos invenire cibum.

Eccl. 12. v. 1. XLII. Memento Creatoris tui in diebus Juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent.

4. Reg. 20. XLIII. Diſpone domui tuæ, quia morièris.

§. XIII.

EX SS. PATRIBUS.

Certitudo quoad ſubſtantiam.

S. Auguſt. apud Beirl. tc. 3. in feſto. I. QUid in hac terra certum eſt, niſi mors? profeciſti? qui ſis, hodie ſcis; quid facturus ſis craſtino, neſcis. Speras pecuniam? incertum eſt, an proveniat. Speras uxorem? incertum eſt, an acquiras, vel qualem accipias. Speras Filios? incertum eſt, an naſcantur. Nati ſunt? incertum, an vivant. Vivunt? incertum eſt, an proficiant, an deficiant. Quocunque te verteris, incerta omnia, mors certa. Natus es? certum eſt, quia morieris

Incertitudo quoad tempus.

S. Greg. in hom. II. Horam ultimam idcirco Dominus voluit nobis eſſe incognitam, ut ſemper poſſit eſſe ſuſpecta; ut, dum illam prævidere non poſſumus, ad illam ſine intermiſſione properemus.

S. Greg. l. 12. c. 19. III. Tantò ampliùs mors timeri debet, quantò nunquam provideri valet. Cur ergo quaſi de certo extollitur, cujus vita ſub pœna incertitudinis tenetur?

IV. Latet ultimus dies, ut obſerventur omnes dies; ſerò parantur remedia, cùm mortis imminent pericula. *S. Aug. de diſc. Chriſt.*

V. Ad hoc Conditor noſter latere nos voluit finem noſtrum, diémque noſtræ mortis eſſe incognitum, ut, dum ſemper ignoratur, ſemper proximus eſſe credatur; & tantò quisque ſit ferventior in operatione, quantò & incertus eſt de vocatione, ut, dum incerti ſumus, quando moriamur, ſemper ad mortem parati debeamus venire. *S. Greg. l. 12. mor.*

Qualitas.

VI. Nudi omnes naſcimur, nudi morimur. Nulla diſtinctio inter cadavera mortuorum, niſi fortè, quia gravius fœtent divitum corpora, diſtentâ luxuriâ. *S. Ambr. in Hexam.*

VII. O durus, & durior caſus! heu quid perdidit homo, & quid invenit! perdidit beatitudinem, ad quam factus eſt; & invenit mortem, ad quam factus non eſt. Hodie venimus à patria in exilium, à viſione in cæcitatem, à jucunditate immortalitatis ad corruptionem mortis. Miſera conditio, gravis dolor, grave damnum, grave tormentum. *S. Anſelm. in medit.*

VIII. In morte tantò timor fit acrior, quantò retributio vicinior; & quantò vicinius judicium tangitur, tantò vehementius formidatur: inveniet enim homo poſt puſillum, quod in æternum non poterit vitare. *S. Greg. 24. mor. c. 17.*

IX. Anima mea, quis erit ille pavor, cùm dimiſſis omnibus, quorum tibi præſentia jucunda erat, ſola ingredieris, & ignitam penitus regionem, ubi occurrentia catervatim teterrima monſtra videbis? quis tibi in die tantæ neceſſitatis ſuccurret? quis tuebitur à rugientibus præparatis ad eſcam? quis conſolabitur? quis te deducet? *S. Bern. apud. Ioachim. p. 1. c. 7.*

X. Ultimus dies tanti eſt ponderis, ut illius ratione reliqui dies meritò debeant obſervari. *S. Aug. apud Beyrl. tc. 3. in feſto S. Ioan. Evang.*

Utilitas.

XI. Nihil ſic revocat à peccato, quàm frequens mortis meditatio. *Idem in exh. 4.*

XII. Memento mortis tuæ, & non peccabis. Qui ſe quotidie recordatur eſſe moriturum, contemnit præſentia, & ad futura feſtinat. *S. Hier.*

XIII. Qui conſiderat, qualis erit in morte, ſemper erit pavidus in operatione. *S. Greg.*

XIV. Nihil æquè tibi proficit ad temperantiam omnium rerum, quàm cogitatio brevis ævi & hujus incerti: quidquid facis, reſpice mortem. *S. Hier. ad Heliodor.*

Mors æquo animo acceptanda.

XV. Fiat voluntarium, quod futurum eſt neceſſarium: offeramus DEO pro munere, quod pro debito tenemur reddere. *S. Chryſ. ſup. Matth. c. 10.*

XVI. Quis mortem temporalem metuat, cui æterna vita promittitur? quis labores carnis timeat, *Caſſiod. ſup. beati immor.*

Digitized by Google

timeat, cùm ſe in perpetua quiete noverit collocandum?

S. Ambr. in Luc. l. 5. XVII. Mors non eſt metuenda fortibus: eſt deſideranda ſapientibus, & miſeris expetenda.

S. Cypr. in l. de mort. XVIII. Meminiſſe debemus, voluntatem nos non noſtram, ſed DEI facere debere, ſecundùm quòd nos Dominus quotidie juſſit orare. Quàm præpoſterum eſt, quámque perverſum, ut, cùm DEI voluntatem fieri poſtulemus, quando evocat nos & accerſit de hoc mundo DEUS, non ſtatim voluntatis ejus imperio pareamus.

Ibid. XIX. Quid oramus & petimus, ut adveniat regnum cælorum, ſi captivitas terrena delectat? quid precibus frequenter iteratis rogamus & poſcimus, ut acceleret dies regni, ſi majora deſideria & vota potiora ſunt ſervire iſtic Diabolo, quàm regnare cum Chriſto?

S. Ambr. in l. de bono mort. c. 8. XX. Quid tantopere vitam iſtam deſideramus, in qua quantò diutius quis fuerit, tantò majori oneratur ſarcina peccatorum? ipſe Dominus ait: ſufficit diei malitia ſua.

S. Cypr. l. c. XXI. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur; nec poteſt vita æterna ſuccedere, niſi hinc contingeret exire: non eſt exitus iſte, ſed tranſitus, & temporali itinere decurſo ad æterna transgreſſus. Quis non ad meliora feſtinet? quis non mutari & reformari ad Chriſti ſpeciem, & ad cæleſtis gratiæ dignitatem venire citiùs exoptet?

Ibid. XXII. Ejus eſt in mundo diu velle remanere, quem mundus oblectat, quem ſeculū blandiens atque decipiens, illecebris terrenæ voluptatis invitat. Porrò cùm mundus oderit Chriſtianum, quid amas eum, qui te odit, & non magis ſequeris Chriſtum, qui te redemit, & diligit?

S. Chryſ. ho. 48. ex imp. XXIII. Omnibus laborantibus dulcis eſt finis. Viator libenter interrogat, ubi eſt manſio: Mercenarius frequenter computat; quando annus completur: Agricola ſemper tempus meſſis exſpectat: Negotiator die ac nocte thecæ ſuæ diſcutit rationem: Mulier prægnans ſemper de decimo menſe cogitat: ſic & ſervi DEI libenter de conſummatione ſeculi requirunt, ſcriptum eſt enim, ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

S. Ambr. l. de bon. mort. XXIV. Chriſtus Rex noſter eſt, & ideo, quòd Rex jubet, deſerere non poſſumus, & contemnere. Quantos Imperator terræ hujus in peregrinis locis aut honoris ſpecie, aut muneris alicujus causâ jubet degere, numquid hi inconſulto Imperatore diſcedunt? & quantò ampliùs eſt divinis parere, quàm humanis? vivere ergo ſancto Chriſtus eſt, & mori lucrum.

Mors juſtorum.

S. Aug. l. 1. de civ. XXV. Mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſit; neque enim facit malam mortem, niſi quod ſequitur ipſam mortem.

Idem de doct. Chriſt. XXVI. Non poteſt malè mori, qui bene vixerit, & vix bene moritur, qui malè vixit.

S. Greg. ſup. Mat. 10. XXVII. Mors Juſtorum eſt bonis in adjutorium, malis in teſtimonium, ut inde perverſi ſine excuſatione pereant, unde electi exemplum capiunt, ut vivant.

S. Bern. in Epiſt. XXVIII. Bona mors juſti propter requiem, melior propter novitatem, optima propter ſecuritatem.

Ibid. XXIX. Pretioſa mors Sanctorum, pretioſa planè tanquam finis laborum, tanquam victoriæ conſummatio, tanquam vitæ janua, & perfectæ ſecuritatis ingreſſus.

S. Ambr. l. de bono mort. XXX. Juſtis mors eſt quietis portus, nocentibus naufragium putatur. Certè iis, quibus gravis eſt timor mortis, non eſt grave mori, ſed grave eſt vivere ſub metu mortis. Non ergo mors gravis, ſed metus mortis. Non habemus, quid à morte metuamus, ſi nihil, quod timendum ſit, vita commiſit.

S. Aug. l. de doctr. Chriſt. XXXI. Timor de futura morte mentem neceſſariò concutit, & quaſi clavus carnis, omnes motus ſuperbiæ ligno crucis affigit.

S. Chryſ. ſup. Matt. 10. XXXII. Piis mors ultra non eſt mors, ſed nomen tantùm habet mortis: imò & ipſum nomen ſublatum eſt.

S. Ambr. l. c. c. 4. XXXIII. Quid eſt mors, niſi vitiorum ſepultura, virtutum ſuſcitatio?

S. Bern. ep. 105. XXXIV. Volo te mortem etſi non effugere, certè vel non timere. Juſtus quippe mortem etſi non cavet, tamen non pavet. Deniq; ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

Mors impiorum.

S. Bern. ep. 6. XXXV. Mors peccatorum peſſima. Audi unde peſſima. mala ſiquidem eſt in mundi amiſſione, peior in carnis ſeparatione, peſſima in vermis, ignîſque duplici contritione.

S. Aug. ſ. 3. de SS. Innoc. XXXVI. Percutitur hac animadverſione peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui, dum viveret, oblitus eſt DEI.

S. Ambr. in l. de bon. mort. c. 4. XXXVII. Vita erat in Paradiſo, ubi lignum vitæ, & vita erat lux hominum; mors igitur mala, quæ acceſſit, & ſubintravit.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Certitudo quoad ſubſtantiam.

L. 1. c. 23. §. 4. I. SI vidiſti aliquando hominem mori, cogita, quia tu per eandem tranſibis viam.

Incertitudo quoad tempus.

Ib. §. 1. II. Si hodie non es paratus, quomodo cras eris? cras eſt dies incerta, & quî ſcis, an craſtinum habebis?

Ib. §. 2. III. Ah ſtulte, quid cogitas te diu victurum, cùm nullum diem habeas hîc ſecurum? quàm multi decepti ſunt, & inſperatè de corpore extracti? Sic omnium finis mors eſt, & vita hominum tanquam umbra ſubitò pertranſit.

Utilitas.

Ib. §. 2. IV. Beatus, qui horam mortis ſuæ ſemper ob oculos habet, & ad moriendum quotidie ſe diſponit.

Ibid. §. 6. V. Eia cariſſime, de quanto periculo te poteris liberare, de quàm magno timore eripere, ſi modò ſemper timoratus fueris, & ſuſpectus de morte.

L. 1. c. 21. §. 5. VI. Si frequentius de morte tua, quàm de longitudine vitæ cogitares, non dubium, quin ferventius te emendares.

Præparatio ad mortem.

L. 1. c. 23. §. 5. VII. Meliùs eſt, nunc providere, & aliquid boni præmittere, quàm ſuper aliorum auxilio ſperare. Si non es pro te ſollicitus modò, quis erit pro te ſollicitus in futuro? Nunc tempus eſt valde pretioſum, nunc dies ſalutis.

Ibid. §. 6. VIII. Stude nunc taliter vivere, ut in hora mortis valeas potiùs gaudere, quàm timere.

Ibid. §. 8. IX. Quis memorabitur tui poſt mortem? & quis orabit pro te? Age, age nunc cariſſime, quidquid agere potes, quia neſcis, quando morieris: neſcis etiam, quid te poſt mortem ſequetur.

§. V.

EXEMPLA CHRISTIANA.

Mors bona.

Poſſidon. in vita S. Aug. c. 27. I. S. Ambroſius in ultimo vitæ agone conſtitutus, cùm alios ob diſceſſum ſuum mœrentes vidiſſet, dixit ad illos: non ſic vixi, ut me pudeat inter vos vivere: ſed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.

Ib. c. 31. II. S. Auguſtinus in poſtrema ægritudine pſalmos pœnitentiales deſcribi, & in lecto affigi juſſit, quos aſſiduè recitabat. Ne verò ab hac devotione impediretur, decem diebus ante mortem præcepit, ne ullus ad eum ingrederetur, niſi iis tantùm horis, quibus Medici ad eum inſpiciendum intrarent, & cùm ei refectio afferretur.

Sur. 8. Ian. III. S. Laurentius Juſtinianus in agone circumſtantibus dixit: abite hinc cum veſtris lacrymis, tempus lætitiæ eſt, non lacrymarum. Pudeat vos mortem timere, cùm Dominus noſter JESUS Chriſtus, in cujus conſpectu decumbo, propter nos in cruce mori voluerit. Hunc diem ſemper ob oculos habui, tu ſcis, mi Domine JESU.

S. Bonav. in vit. IV. S. Franciſcus Seraphicus cùm graviſſimis arderet corporis doloribus, nullum aliud habebat fomentum eorum dolorum, quàm ut & ipſe divinas laudes caneret, & alios canentes audiret. In quo cùm ab Elia penè objurgaretur, quòd potiùs præſtaret extremum illud tempus lacrymis & pœnitentiæ impendere, reſpondit, non licere ſibi aliter facere, cùm ſciret, ſe brevi cum DEO fore.

V. S. Fulgentius in ultimo agone id ſolùm aſſiduò repetivit: Domine, da mihi hîc patientiam, & poſtea indulgentiam. *Sur. 1. Ian.*

VI. S. Hilarion in latrones lapſus cùm interrogaretur, num mortem timeret? reſpondit: mori non timet, qui ſemper mori paratus eſt. *Marul. l. 5.*

VII. S. Dionyſius Areopagita capitis jam damnatus, feralem ſententiam Chriſtiana generoſitate excepit, & adſtantium probra contemnens dixit: Ultimum verbum Domini mei in cruce, ſit & mihi ultimum in hac luce: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. *Drex. in prodr. c. 3. §. 46.*

VIII. Ferdinandus Rex Caſtellæ advertens diem mortis adeſſe, die S. Nativitatis Domini Miſſam cantari præcepit, ſub quâ & communicavit. Sequenti die vocans ad ſe Epiſcopos & Abbates, in templum ſe deferri juſſit, regio cultu & ornatu indutum, ibíque fixis genibus DEUM univerſi Dominum confeſſus, regnum ſuum, quod adminiſtraverat, reddidit: tum chlamidem regalem exuens, & coronam deponens, cilicio indui, cineréque conſpergi voluit, & ſic poſt duos dies inter manus Epiſcoporum Spiritum DEO reddidit. *Baron. to. 11. ad an. 1067.*

IX. Joannes Rex Aragonum ex hac vita migraturus, cùm mortis metu in lacrimas ſolveretur, fusè ad aulicos perorans oſtendit, nihil ſibi regnum, nihil honores profuiſſe, ſanctiúsque ſe victurum fuiſſe, ſi non Rex, ſed Agricola fuiſſet. Demum ad Chriſtum Crucifixum converſus, inter pia ſuſpiria expiravit.

X. Quidam Senex cùm in agone riſiſſet, cauſam quæſitus reſpondit. Primò riſi, quia omnes timetis mortem. Secundò riſi, quia non eſtis parati. Tertiò riſi, quia de labore vado ad requiem. *Vita PP. l. 3. c. 159.*

XI. Moriente quodam Fratre perfectionis valde ſtudioſo, Abbas in ſomnis vidit duos ſpecioſiſſimos Juvenes pavimentum roſis & liliis ſternentes, quos, cùm cauſam hujus facti quæreret, reſponderunt illi, ſequenti die magnam ſolemnitatem celebratum iri, ſcilicet tranſlationem moribundi ad cælos, uti ex morte poſtero die ſecutâ intellectum eſt. *Spec. Exempl. v. Ang ex. 13.*

XII. Morituri cujuſdam hominis patientiſſimi anima poſt triginta annos in infirmitate exactos gratias egit omnibus membris & ſenſibus, quòd delicias nullas concupierint, ſed fideliter ei in omnibus acquieverint. *Ib. tit. infirmit. ex. 39.*

XIII. Quidam Frater cùm à S. Bernardo ad mortem fortiter obeundam animatus, dixiſſet, ſe certò confidere, quòd ad cælum eſſet transportandus, prædictus ſanctus, eum ad pœnitentiam potiùs, & humilitatem animavit. Verùm quia is reſpondit, ſe propterea tantopere lætari ac confidere, quòd à S. Patre regnum cælorum obedientiæ virtute potiſſimùm obtineri audiviſſet, huic autem ipſe ſingulariter ſemper ſtuduiſſet, dixit S. Bernardus ad illum: Verè beatus es, fili cariſſime, quia *Ib. tit. mors ex. 12.*

caro

Digitized by Google

caro & ſanguis non revelavit tibi ſapientiam hanc, ſed Pater cæleſtis ipſe te docuit. Iam ergo ſecurus egredere, quoniam pateſacta eſt tibi janua vitæ. Defuncto itaque Fratre venerabilis Pater ſermonem ad Fratres habuit, dixitque, magis ſe ſuper ejus obedientiâ lætatum fuiſſe, quàm ſi miracula feciſſet.

Mors mala.

Ibid. ex. 3. XIV. Criſorius avaritiæ, aliiſq; vitiis nimiùm deditus cùm ad extrema veniſſet, à nigerrimis ſpectris uſque adeò territus eſt, ut toto corpore ac artubus tremens, miſerandum in modum clamaret: Inducias uſque manè, ſed mox ab iis avulſa anima in infernum deportata eſt.

Baron. to. 6. ann. 476. & 484. XV. Hunnericus Vandalorum Rex cùm jamjam de Chriſtianis, quos extremè perſequebatur, triumphum agere pararet, ſubitò à DEO immiſſis in corpus vermibus tam graviter tortus & corroſus eſt, ut præ fœtore & dolore ipſemet membra ſua dentibus laniaret, & tandem inter hos cruciatus animam infelicem evomeret.

2. Mach. c. 9. XVI. Antiochus Rex ob nimiam in Judæos exercitam crudelitatem tam gravi infirmitate à DEO punitus eſt, ut ex corpore impii vermes ſcaturirent, ac viventes in doloribus carnes ejus affluerent, ipſéque fœtorem tolerare non poſſet; quouſque tandem homicida & blaſphemus peſſimè percuſſus, ut ait Sacer textus, in montibus peregrè miſerabili obitu vitâ functus eſt.

Baron. to. 7. ann. 583. XVII. Nantinus Comes Engoliſmenſis cùm Sanctos DEI Miniſtros graviter vexâſſet, paulò pòſt ardentiſſima febri correptus exclamare cœpit: Heu, heu, ab Heraclio Antiſtite exulor, ab illo crucior, ab illo ad judicium vocor: atque inter hæc verba miſerè expiravit, corpus verò uſque adeò denigratum eſt, ut à prunis ſuperpoſitis combuſtum videretur.

Brodenbach. l. 7. collat. c. 12. XVIII. Hermannus è Monacho Lutheranus Præco effectus cùm annis triginta eo munere functus eſſet, ac ingentes divitias & prædia comparâſſet, tandem morbo gravi correptus, horrendùm exclamare cœpit, ſe damnatum eſſe, ſecúmque omnes ſectæ ſuæ Aſſeclas eidem damnationi obnoxios eſſe. Quibus dictis, torvo aſpectu, oculíſque flammarum inſtar lucentibus, deſperabundus infelicem animam efflavit.

Mors metuenda.

Spec. Ex. tit. mors. ex. 12. XIX. Cùm Cuno Caſtri Malburgenſis Dominus, triennio ante mortem habitum religioſum ſuſcepiſſet, adeò in perfectionis ſtudio profecit, ut cæleſti præmio dignus viſus DEO fuerit. Cùm ergo mortem, quam triduo antè prædixerat, ſanctè obiiſſet, eo tempore Dæmon mulierem obſeſſam relinquens, & poſt reverſionem ſuam quæſitus ubi fuiſſet? reſpondit, ſe cum quindecim mille aliis dœmonibus ad Cunonem oppugnandum accurriſſe, ſed Monachorum circumſtantium precibus impeditos nihil efficere potuiſſe.

XX. Venerabilis Pater Euſebius duabus horis ante mortem tam horrendos actus exercuit, ut circumſtantes præ timore in terram conciderent; nam quandoque tranſverſis oculis, junctis manibus, facie terribili, diráque voce clamabat: non faciam. Mox: adjuvate me, Fratres, ne peream. Interrogatus, cur ita clamaret? Dœmones terribili aſpectu ad blaſphemiam invitantes adſtare dixit. Quare iterum priores clamores repetens, tandem à S. Hieronymo adveniente liberatus eſt, ad quem cùm dixiſſet: Cur tamdiu moratus es Pater? reſpondit ipſe intelligibili voce: ne formides, Fili, non te deſeram, quem tantùm diligo. Quâ voce recreatus paulò pòſt expiravit, & cœco cadaver tangenti viſum reſtituit. *Ibid. ex. 15.*

XXI. Religioſus quidam cùm ad extrema deductus, horribili voce primùm clamâſſet: maledicta hora, in qua Religionem intravi. Sed paulò pòſt iterum dixiſſet: Imò benedicta hora, quâ Religioſus ſum factus, & benedicta Mater DEI, quam ſemper dilexi: interrogatus, cur ita clamâſſet? reſpondit, ab initio Dœmones tam terribili formâ ſibi apparuiſſe, ut mallet ignem uſque ad finem mundi extenſum tranſire, quàm iterum eos aſpicere: & hos primas à ſe voces expreſſiſſe, ſed poſtea ſanctiſſimam DEI Matrem adveniſſe, Dœmonéſque fugâſſe, quam proinde meritò benedixerit. Quibus dictis feliciter expiravit. *Ibid. tit. Pavor dæmonum.*

Mors deſiderata.

XXII. S. Paulus ipſe de ſe ſcribit: Coarctor autem è duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Hinc & alibi exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Phil. 1. v. 23. Rom. 7. v. 24.*

XXIII. S. Cyprianus auditâ mortis ſententiâ dixit: DEO gratias, qui me à vinculis hujus corporis dignatur abſolvere. *Fab. conc. 4. in feſto S. Jacob.*

XXIV. Domina quædam ſubitò fœdiſſimâ leprâ correpta, cùm alios ſortem ipſius deplorantes audiret, in riſum effuſa, aliis cauſam riſûs quærentibus dixit: ſi quis in carcere detineretur eâ conditione, ut non eriperetur, donec muri carceris undique corruiſſent, nónne ſi videret muros ad ruinam inclinatos, imò paulatim jam ruentes, gauderet potiùs, quàm fleret? Quare, cùm anima in corpore velut carcere ſit conſtricta, meritò gaudere debet, ſi corporis parietes concidere & diſſolvi, mortémque fores carceris effringere videt. *Ib. n. 1.*

XXV. S. Gregorius Nazianzenus aſſiduò clamabat ad DEUM: Domine, ſolve hanc tunicam adeo mihi gravem & ponderoſam (nempe centonem corporis) & da mihi leviorem (ſcilicet gloriæ veſtem.) *Ib. n. 5.*

S. Greg. l. 4. Dial. c. 11.

XXVI. Urſinus Sacerdos in morbo cæleſtibus viſis recreatus, ſæpius exclamavit: Venio, venio, gratias ago. Cùmque adſtantibus, quos cælites videret, expoſuiſſet, eaſdem voces iteravit: Ecce venio, ecce venio. Inter quæ verba abiit è vita.

Mortis memoria.

Leontius Epiſc in vit. c. 18.

XXVII. S. Joannes Eleemoſynarius adhuc ſanus monumentum ſibi exſtrui, ſed non abſolvi ideo juſſit, ut diebus ſolemnioribus, præſente Clero, rem ſacram facturus ab aliquo moneretur: Domine, ſepulchrum tuum imperfectum eſt; jube igitur inchoatum abſolvi, neſcis enim, quâ horâ fur veniat.

Beſſaus in conc. de mort. p. 1.

XXIII. S. Baſilius quoque, quoties Epiſcopali habitu prodibat in pompam, ne aliqua gloriolæ titillatio ſubiret animum, à certa Perſona ad id conſtituta ſibi in aurem dici jubebat: Pater, ſepulchrum perfici jube.

Calamat. in Silva concept. tit. mors.

XXIX. Majolus Epiſcopus Vultuarienſis cùm vix ex Ephebis exceſſiſſet, adeò mortem meditari cœpit, ut pro memoria hâc refricanda ad omnia conclavis latera calvariem ſeu larvam mortis appenderit.

Drex. in prodrom. c. 1. §. 19.

XXX. Carolus V. diu ante Imperium abdicatum Sarcophagum ſibi cum funebri ſupellectile conſtrui juſſit, & quocunque peregrinatus eſt, ſecum deportavit. Admirantibus verò aliis, & theſaurum latere ſuſpicantibus, ipſe ſubridendo dicere ſolebat, in rei cariſſimæ uſum, eam ſibi arcam deferri.

Fab. conc. 2. in Dom. 3. Adv.

XXXI. Idem Maximilianus primus Imperator fecit, qui & moriens præcepit, ut cadaver ſuum poſt mortem omni hominum ſorti conſpiciendum proponeretur, ut vel ſuo exemplo diſcerent omnes, nulla diademata, nullas opes, nec ulla imperia à morte eripere poſſidentem.

Spec. Ex. & S. Clim. gr. 6.

XXXII. Quidam Monachus ſat negligens cùm ad horæ ſpatium migrâſſet à corpore, rediens ad ſe, duodecim annis cellæ ſe incluſit, cum nemine locutus, ſolo pane & aquâ vivere ſolitus, qui & in agone accurrentibus Fratribus dixit: Nemo, qui mortem ſeriò cogitat, peccare poterit.

Platus l. 3. de bono ſtat. rel. c. 38.

XXXIII. Adoleſcenti cuidam vaniſſimo nullam rei piæ mentionem admittenti cùm vir quidam Religioſus hanc ſententiam ingeſſiſſet: Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes: adeò permotus eſt, ut ſequenti die ad Religionis portum confugerit.

Coton. ſ. de morte.

XXXIV. Similem effectum experta eſt Domicella, quæ nullam aliam pœnitentiam in confeſſione admittere volens, tandem hanc ſuſcepit, ut quoties manus lavaret, ſibi ipſi tacita diceret: Hæc caro vermium eſca erit; nam ubi eam ſemel, iterúmque explevit, ſic immutata eſt, ut, quàm antea fuerat mali exempli, tam fuerit poſtmodum boni.

Baldeſan. l. 2. ſtim. virt. c. 19.

XXXV. Alius quidam Adoleſcens juſſus à Confeſſario lectum conſcendere, ac per horæ quadrantem ſibi imaginari, quòd aliquando ſic in lecto fortè agonizans decubiturus ſit, miram vitæ emendationem inſtituit.

Cæſar. l. 4. c. 4.

XXXVI. Liffardus Monachus & Janitor Monaſterii, cùm tœdio religioſæ vitæ ſuboriente, reverti in mundum cogitaret, à ſene quodam ad cœmiterium de nocte ductus, & aperto ſepulchro cadaver inſpicere juſſus, in propoſito firmiſſimè confirmatus eſt.

Mors repentina.

Pædag. Chriſt p. 1. c. 8. §. 5.

XXXVII. Eremita quidam Turnonenſis in Vivarets quâdam die monitus, ut ad Comitem Turnonenſem excipiendum ſe pararet, qui poſtero die ad eum viſendi causâ venturus eſſet, dic Comiti, inquiebat Nuntio, hodie, ſi quid me velit, jubeat, nullus enim mihi craſtinus dies. Hæc ſanus dixit & vegetus, ſed poſtea à Comite adveniente mortuus repertus eſt.

Pallad. hiſt. c. 92.

XXXVIII. Cheremon Abbas, dum opus facit, dum ſedet, dum omnia pro ſano agit, moritur, atque ita ſedens, ac opus manibus tenens repertus eſt.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Vita.

I. **S.** Ignatius manibus junctis, oculis in cælum defixis, JESUM corde & ore implorans, placido vultu ſanctiſſimè migravit pridie Calendas Auguſti. 1556.

II. S. Franciſcus Xaverius moribundus obverſis in cælum oculis identidem repetebat: Fili David, miſerere mei: O Mater DEI, memento mei.

Hiſt. Soc. l. 6. n. 85.

III. P. Petrus Faber poſt mortem viſus eſt in cælo cum magno ſplendore conſpicuus, eò quòd ex obedientia mortuus fuiſſet, in ſummis caloribus Romam intrare juſſus.

Vita n. 9.

IV. P. Claudius Aquaviva de morte admonitus, non timeo, inquit, mortem; bonum Dominum habemus.

Hiſt. Soc. l. 2. n. 39. & l. 3. n. 20.

V. Anima Hoſii, dum S. P. Ignatius in miſſa confeſſionem dixit, viſa eſt inter cælites præcipuè radiare; ſimili modo etiam animam Joannis Codurii coruſcantem in cælum evolare vidit.

Ann. Sicil. 1598.

VI. Joannes Baptiſta Martinus Panormi rogatus à Sacerdote in extremo morbo, num B. Virginem agnoſceret? ſæpe, reſpondit, ſe mihi ſpectandam præbuit; dein illis verbis: MARIA Mater gratiæ &c. prolatis ſanctiſſimè expiravit.

Ann. Tolet. 1606.

VII. P. Joannes Ponce Ducis de Arios Filius, Rector Novitiatus villaregienſis, cùm in ultimo morbo phreneſin timeret, rogavit DEUM, ne permitteret, ut, quoad viveret, cognitione DEI privaretur. Rogavit, & impetravit; tam exigua enim phreneſis fuit, ut rationem non minueret. Prædixit obitûs diem, & poſt mortem adhuc ſingularem in facie ſuavitatem retinuit. Ultima ejus verba erant: elegi abjectus eſſe in domo mei magis, quàm habitare in taberanaculis Peccatorum.

Ann. Bithuan. 1606.

VIII. P. Joannes Gerardinus in agone dixit: non timeo mori, habens à Chriſto ſyngraphã

ad

Coll. Baltavienſ. ad cælum duplicem ejus ſigillo munitam; intelligebat per hoc ſigillum verba illa: Amen, amen dico vobis: per ſyngrapham autem verba illa: qui reliquerit &c. Dein ad B. Virginem converſus, O MARIA, inquiebat, tribulater certè nimiùm, ſi neſcirem tuum Patrocinium; quæſo pia mater, clemens Patrona, dulcis virgo, in hora mortis tuo dulci præſidio fulciar, tu quaſi terebynthus extende ramos, & me laſſum refice. Denique animam propriam ſic alloquebatur: O anima mea, jam hîc malè tractaris, malè pelleris, jam non noſceris, en domicilium tuum jam quaſſatur, baſes nutant, fundamenta diruuntur, parietes finduntur, & per rimas & fiſſuras jam ſpiculis dolorum infirmitas te pellit; quid igitur moraris? ex iocyus, en læta inſtar columbæ è cavea miſſæ, reditura cum virenti ramo olivæ.

Vita. IX. Joannes Berchmannus regulas, roſarium, & crucifixum in manibus tenens dixit: cum his libenter moriar. & ſic obiit.

Mors deſiderata.

Hiſt. Soc. l. 16. n. 61. X. P. Andreas Fruſius cùm graviter ægrotans, ſub ſacro verba illa audiviſſet omne debitum dimiſi tibi: tantum deſiderium ob factam quaſi de æterna vita pro miſſionem concepit, ut ſequenti mox die ſanctiſſimè fuerit mortuus.

Ann. Rom. 1594. XI. Hieronymus Gualdio tantam ſenſit dulcedinem mentis, cùm ad mortem ægrotare ſe vidit, quantam vix unquam totâ vitâ ſentiebat. Idem incredibiliter recreabatur, cùm videbat lintea ſuo cruore infecta, quòd diceret, ea eſſe mortis vexilla.

Hiſt. Soc. p. 2. l. 1. XII. Joannes Rodericius Grammaticæ Magiſter interrogatus à Rectore, an nihil conſcientiam torqueret? reſpondit, hoc unum ſe timere, ne fortè vita prorogaretur.

Ann. Luſit. Coll. Ebor. 1516. XIII. Vincentius de Rocha Scholaſticus, eum, qui mortem illi annuntiavit, amplexus eſt, próque tam optato nuntio cilicium è pulvinari extractum, quod nunquam aliàs à ſe dimiſerat, donavit.

XIV. Panormi cùm Medicus Matthæo Gerardo mortem annunciaret, præ lætitia is exclamavit: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Vita ſu. de Angel. præfixa. XV. P. Franciſcus Suarez in agone plenus gaudio cæleſti, non putabam, inquiebat, tam ſuave eſſe, & tam dulce mori.

Ann. Belg. Duac. 1611. XVI. P. Henricus de Habspruck in ultimo morbo rogatus, num in Societate mori jucundum eſſet? reſpondit: ſuperat hoc omnem cogitationem. Beneficium eſt beneficiorum. Nemo credit, nemo credit.

Annua. 1602. XVII. Novitius annorum octodecim extremùm inunctus ad Fratres, quos Angelos rebatur, converſus, non poſſum, inquit, vobis explicare, quam ſolida voluptas, quàm ſecura & tranquilla quies, quàm profuſum atque ad ſenſum pertingens gaudium ſit animo cogitare, ſe mori in Societate, quâ unâ cogitatione dolores omnes & mortem ſuavem duceret.

Ann. Boetic. Coll. Grab. 1611. XVIII. P. Ludovicus Pontius Ducis Archiobrigenſis Filius, cùm illi mors denunciata eſt, nuntii manum arctiſſimè complectens præ gaudio oſculatus eſt. Inde tantis ſuavitatibus perfundi cœpit, tum ex cæleſtium gaudiorum deſiderio, tum quod inter noſtros moreretur, ut timendum ſibi diceret, ne laborem in vita pro DEO aſſumptum, DEUS jam totum in hac vita compenſâſſe videatur.

Mors repentina.

Ibid. 1598. XIX. Montellæ Antonius de Valentia Coadjutor ſeptuagenario Major, cùm præſente Medico Pleuritici alicujus Fratris ſanguinem emiſſum videret, unà cum aliis ſanus totus, ita depravati ſanguinis aſpectu territus fuit, ut ter JESU nomen ingeminans mortuus concideret, ſicque compos ſit factus petitionis, quâ petiit à DEO, ut liceret ſibi ſine moleſtia Domeſticorum decedere.

Annua. 1504. f. 822. XX. P. Ludovicus Gagliardus Provincialis olim & Rector, cùm Succeſſoris ſui ſermoni cum ſocio intereſſet, finita concione ſine ſenſu & motu repertus eſt mortuus.

Ex relat. priv. XXI. Quidam, cùm ſciret, pleroſque Cognatorum ſuorum ſubitanea morte mortuos fuiſſe, diffidens ſibi, quotidie confeſſus eſt; cúmque aliquando in recreatione manum pro ſtrophiolo in ſaccum immitteret, mortuus concidit.

Hiſt. Soc. p. 2. l. 3. n. 162. XXII. P. Juvenalis Boterus noctu ſanus cubitum iens, manè mortuus repertus eſt, tam compoſitus, ac ſi dormiret.

§. VII.

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

Fab. conc. 2 in Dom. 1. Adv. I. Ariſtoteles moriens dixiſſe fertur: dubius vixi, anxius morior: neſcio, quò vado, Ens Entium miſerere mei.

Sen. l. de ſenect. II. Seneca de ſeipſo dixit: non me vixiſſe pœnitet, ut non fruſtra me natum exiſtimem: & ex vita ſic diſcedo, tanquam ex hoſpitio, non tanquam domo; commorandi enim natura diverſorium nobis, non habitandi dedit.

Eraſmus l. 3. apoph. III. Socrates Critoni ſuadenti, ut, ſi vitam ipſe ſuam negligeret, ſaltem libens parceret & amicis ab ejus incolumitate pendentibus, reſpondit: liberi, DEO, qui mihi eos dedit, curæ erunt: amicos hinc diſcedens vobis ſimiles aut meliores inveniam, ne veſtra quidem conſuetudine diu cariturus, quandoquidem vos brevi eodem eſtis migraturi.

Xenoph. in apol. IV. Idem advertens amicos ipſum in carcerem ſequentes lugere, dixit ad illos: quid hoc eſt? nónne me jam, ex quo genitus ſum, morti adjudicatum ſcitis? ſi bona mihi advenirent, vitáque præriperetur, enim vero mihi benevoliſque meis, lugendum foret: at malis impendentibus cùm diem obeam, an non potiùs lætari mecum, gratularíque mihi convenit?

V. Idem

Inchin p. 1. c. 81.

V. Idem Platoni quærenti, an libenter moreretur? reſpondit: In juventute benè vivere, in ſenectute bene mori laboravi, atque ita interiore dolore ſeu cruciatu non afficior, nec mori recuſo: nam vita honeſta fuit: mortem cum hilaritate exſpecto.

Iuſ. Lang. in Pol. V. mort.

VI. Hadrianus Imperator in morte his verſibus luſit:

> Animula, vagula, blandula,
> Hoſpes, Comeſque corporis,
> Quæ nunc abibis in loca,
> Pallidula, rigidula, udula,
> Nec, ot ſoles, dabis jocos?

Stob. in Encom. mort.

VII. Thrauſi, Cauſiani ac Getæ exequias cum hilaritate, Natales cum fletu celebraverunt.

Drex. in prodr. c. 1. §. 15.

VIII. Ludovicus Cortuſius Juteconſultus Patavinus lamentationes & lacrymas in funere ſuo fieri, teſtamento ſuo vetuit, ſed potiùs Auledos, Citharœdos, & omnis generis Moſicos oumero quinquaginta, qui cum Clero canditati incederent, conſtitui voluit. Feretrum autem à duodecim innuptis Puellis praſinâ veſte induτis & læta carmina canentibus portari. Pro comitatu verò omnes etiam Religioſos aſſomi præcepit, exceptis iis, qui nigro habitu uterentur.

Mors incerta.

Idem §. 20.

IX. Tarquinius piſciculi ſpinâ: Fabius pilo cum lacte haoſto: Ariſtides Muſtelæ morſu obiit: Anacreontem & Sophoclem vaæ acinus: Luciam Marci Aurelii Filiam punctiuncula acûs ſubitò extinxit.

Plin. l. 7. c. 7. & 53.

X. Manlius Torquatus, dum in cœna placentam appetit: Quintius Scapula, dum apud Aquilium Gallum cœnat: Saufeius, cùm ovum ſorbet: Æmilius Lepidus, dum egrediens limini cubiculi pedem allidit; C Anfidius, dum pedem in Comitio offendit: Bebius Pamphilus, dum à Puero horas quærit: Juventius Talva, dum ſacrificat: Bebius Judex, dum vadimonium differri jubet, repeotè extincti ſunt.

Drex. in prodr. c. 1. §. 45.

XI. Philemon Comicus jam Comœdiæ partem in ſcena repræſentârat, ſed quia pluvia interveniens abrumpere tertium actum coēgit, ad ſpectatorum preces promiſit, ſe illum poſtero die abſoluturum. Cùm autem tempore deſtioato omnes jam conveniſſent, Philemon fruſtra exſpectatus, in lectulo mortuus inventus eſt.

Guido Bituric. en hiſt. Eccl.

XII. Meſſadavus jam ſenex, cùm ab Amico in craſtinum invitaretur convivium, cur me in craſtinum vocas, inquiebat, qui à multis annis craſtioum non habui, ſed mortis adventum in ſingulos dies exſpectavi: quæ nobis nuoquam inſidiatur, donec nos incautos tandem etiam opprimat.

Mortis memoria.

S. Hier. in c. 10. Matt.

XIII. Plato Diſcipulis ſuis hanc legem dedit, ut iter ingreſſi nunquam pedes operirent; quo ritu voluit extremum vitæ ſemper cogitandum, eò quòd tantò quemque ſapientiorem fore crederet, quantò vivaciùs mortem conſideraret.

Radz. ivil. epiſt. 1. p. 134.

XIV. Ægyptii prudentiores ſemper ſolebant oblonga oſſa mortuorum ſive vera, ſive ex ebore ficta ſecum portare, &, ubi ſibi occurrebant, eorum oſtenſione ad meditandum obitum exhortari.

Drex. in prodr. c. 1. §. 26.

XV. Imperatorem Orientis recèos creatum nemo priùs alloqui audebat, quàm Latomus diverſi coloris marmora ei exhibuiſſet, quæſiviſſetque, ex quo genere ſibi ſua Majeſtas monomentum fieri vellet?

Ælian. l. 8.

XVI. Philippus Rex Macedonum negotium dedit Puero, ut quotidie è lecto ſurgenti diceret: Rex, homo es, vive memor lethi.

Plut. in convivi.

XVII. Ptolemæus Rex Ægypti ſemper calvariam ponè ſe, vel in mediis etiam epulis habuit, ne mortis ipſi excideret memoria. Quin & Miniſtrum ſibi identidem occinere voluit: Rex, inſpice, talis eris.

Beſſ. c. 1. de mort.

XVIII. Agothocles Siciliæ Rex vaſis figulinis æquè ac aureis in menſam omnia inferri conſtituit, qoo ſe ex figulo & limo natum, & Regem factum meminiſſet.

S. Hier. in Epiſt.

XIX. Romanis de hoſte triomphantibus ſemper ſervus à tergo inclamare debebat: Hominem te mortalem memineris.

§. VIII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Lud. Gran. in Duce pec. l. 1. p. 1.

I. Sicut is, qui caſtrum vult expugnare, primò ruinam majoobus tormentis ſternit, inde oppugnat, invadit, & occupat; ſic ante mortem gravis infirmitas præmittitur, quæ ita impugnat naturalem fortitudinem, ut nullam vel diurnam, vel nocturnam homini quietem permittat, ſed ita concutiat ſingula membra, ut anima deſperans de corporis caſtro ampliùs defendendo tandem fugiat, & in alterum mundum pergat.

Sen. de brev. vit. c. 9.

II. Sicut vas liquore plenum non extrema gutta cadens exhaurit, ſed quidquid ante decerptum eſt; ſic ultima vitæ hora non ſola mortem facit, ſed ſola conſummat.

Stapl. te. 2. in Dom. 15. poſt. Pent.

III. Sicut is, qui eminus, aliquid videt, confuſè videt, neſciens, homòne, an arbor ſit; ſic qui longam ſibi vitam promittens, mortem quaſi eminùs & longè diſtantem reſpicit, eam, qualis ſit, quàm terribilis nempe & acerba, non videt.

Idem te. 2. in Dom. 23. poſt. Pent.

IV. Sicut vaſa fictilia æquè ſunt obnoxia periculo, ſive ſint nova, ſive diuturna; ſic homines æqualiter ſunt mortales, & integriùs periculo expoſiti, ſive ſiot Adoleſcentes, ſive Juvenes, ſive viri, ſive ſenes.

Olympiodor c. 12. in Eccl.

V. Sicut hydriâ juxta fontem contritâ, aqua non perit, ſed in fontem ſuum revertitur, eámque rurſus, qui voluerit, ex fonte haurire poteſt,

ita

ita corpus, quod in elementa velut fontem ſuum reſolvitur, iterum reſuſcitari poteſt, quandocunque DEO placuerit.

S. Aug. in p. 103.
VI. Sicut torrens pluvialibus aquis colligitur redundat, perſtrepit, currit, & currendo curſum finit; ſic naſcuntur homines, & moriuntur; & aliis morientibus aliis naſcuntur, ſuccedunt, accedunt, decedunt, nec manebunt.

Idiota de contempl. mort. §. 1.
VII. Sicut ſtellæ, quæ ab Oriente veniunt, quamvis ſint magnæ celeritatis & virtutis, tendunt tamen ad occaſum, & ibi ſecundùm diverſos circulos tardiùs aut citiùs ſe à noſtris aſpectibus abſcondunt; ſic Homines univerſi ab oriente, id eſt, Nativitate in mundum veniunt, ſed omnes iterum, ubi aliquamdiu fulſerint, per mortem ad occidentem tendunt.

Idem §. 10.
VIII. Sicut aqua dilabens in terram ita abſorbetur, ut ampliùs non appareat; ita homo in terram per mortem cadens ita abſumitur, ut nulla ejus memoria extet, ſed ſicut ex oculis, ita & ex animo evaneſcat.

Cic. in Caton. Major.
IX. Sicut poma ex arboribus, ſi cruda ſint, vi avelluntur; ſi matura & cocta, decidunt; ſic vitam Adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas.

Drex. in prodr. c. 1. §. 39.
X. Sicut is, qui è carcere ad mortem ducitur, non minùs angitur, etſi longiore via quàm alius ducatur; ita cùm nos omnes ad mortem damnati ſimus, parùm ſolatur, etiamſi tardiùs eò perveniamus.

Eccl. 5. v. 14.
XI. Sicut egreſſus eſt nudus de utero Matris ſuæ, ſic revertetur, & nil auferet ſecum de labore ſuo homo.

Beirl. to. 3. in feſto S. Cath.
XII. Sicut hyems hortos & vireta frondibus ſpoliat & foliis, nudámque humum reddit; ita mors importuna omne ſacrum profanat; & quidquid in mundo admiratione dignum eſt, in momento dejicit, nudatáque reddit regum ſceptra, dum illos æquali falce, ac inopes ferit.

Neceſſitas.

Ioan. Clim.
XIII. Sicut panis neceſſarius eſt homini præ cæteris alimentis; ita intenta meditatio mortis neceſſaria eſt homini præ aliis donis & exercitiis bonis.

Idiota de contempl. mortes. §. 19.
XIV. Sicut omnia flumina tendunt ad mare; ita omnes homines ad amaram mortem properant; mors enim eſt omnium pœna, omnium tributum, omnium carcer, omnium Domina, omnium receptaculum.

Utilitas.

Beirl. to. 3 in feſto S. Ioan. Evang.
XV. Sicut Matres volentes ablectare Infantes, aliquid abſinthii aut aloës mammillis apponunt; ſic DEUS à voluptatibus mundi abſtrahere nos deſiderans, amaram mortis memoriam proponit.

Beſſ. conc. c. de mort. p. 4.
XVI. Sicut Navarchus, ut navim bene dirigat, in puppi ad clavum ſedet; ita ut homo ſeipſum bene dirigat, non tam ortûs ſui vitæq; initium & progreſſum, quàm finem & exitum conſiderare debet.

XVII. Sicut corvus nunquam redit ad nidum, ſi cineres aut contriti vitri pulveres in eo conſpexerit; ſic neque Dæmones ad animam redeunt, ſi cinere, id eſt, mortis memoriâ conſperſam advertant.

B. Alb. Magnus l. de vegetab.

XVIII. Sicut Hirundines, ſi corpori pertinaciùs adhæreſcant, cinere ſuperjecto decidunt; ita, ut Homines à voluptatum & divitiarum concupiſcentia abſtrahantur, non aliud æquè efficax remedium eſt, quàm mortis memoria. *Beſſ. l. c. p. 5.*

XIX. Sicut illi, qui migrare cupiunt, omnia, quæ minùs transferre poſſunt, in pecuniam redigunt; ita, qui mortis iter ſibi propinquom credunt, omne ſtudium in bonis operibus coacervandis impendant. *Idem p. 4.*

XX. Sicut nemo prudens inter Oceani fluctus in tabula ludit: nemo ab ingenti præcipitio pendulus ſcelera meditatur: nemo inter medios armatos hoſtes inermis hilareſcit; ita, qui in perpetuo mortis metu verſatur, nunquam audebit ea perpetrare, quæ æternùm inferna afferunt mortem. *Drex. in prodr. c. 5. §. 3.*

XXI. Sicut apes, cùm vehementer inter ſe tumultuantur, jactu pulveris componuntur; ſic homines turbulentis paſſionibus agitati mortis recordatione ſedantur. *Stapl. to. 2. in Dom. Poſt. Pent.*

XXII. Sicut cinis ignem ſibi ſuperpoſitum conſervat; ita mortis recordatio ignem divini amoris fovet, ac nutrit. *Beirl. to. 3. in feſto S. Io. Evang.*

Mors libenter acceptanda.

XXIII. Sicut mutuata pecunia æquo animo reddenda eſt; ſic vitæ munus, quod à DEO accepimus, ſine querimonia eſt reſtituendum. *Plut. in me.*

XXIV. Sicut nemo miratur, liquefactum eſſe, quod potuit liquefieri, aut exuſtum eſſe, quod eſt exuſtibile; ita nec mirandum, aut ægrè ferendum eſt, mortuum eſſe, quod mortale eſt. *Idem.*

XXV. Sicut is, qui ſcit, ſe in conducta domo habitare, minùs moleſtè fert, ſi exire jubeatur; ita qui intelligit, domicilium corporis ad breve tempus ſibi commodatum eſſe, non ægrè id deſeret, ſi DEUS, qui illud conceſſit, jubeat. *Langius in pol. v. eod.*

XXVI. Sicut nemo eſt, qui non gaudeat, ſi longa maris pericula emenſus, ad terram ac portum feliciter appellat; ita nec triſtandum, ſi poſt ſuperata vitæ hujus pericula per mortem in Patria appellamus. *Ibid.*

XXVII. Sicut felicior eſt, quem ventus acrior citò ad portum deportavit, quàm is, quem venti ſegnes, & longa tranquillitas leniſſimo tædio delaſſârunt; ita fortunatior eſt, quem feſtinata mors citò his malis eximit. *Ibid.*

XXVIII. Sicut, qui debitum contraxit, de quo magnum cenſum ſolvere cogitur, gaudet, ſi ſolutione capitalis liberare ſe à cenſu poſſit; ita cùm propter debitum mortis plurimis incommodis, puta famis, ſitis, morborum &c. obnoxii ſimus, lætari meritò debemus, ſi aliquando hoc debitum mortis naturæ *Inchin. p. 1. c. 16.*

ſolvere, & per hoc nos à miſeriis iſtis abſolvere poſſimus.

S. Chryſ. in verb. Apoſt. nolite ignorare. XXIX. Sicut ſtatua, quando in fornace confringitur, non deletur, ſed renovatur; ſic, cùm corpus noſtrum moritur, non perit, ſed renovatur.

Beſſaus conc. 7. de mort. p. 2. XXX. Sicut Apoſtoli navigantes viſo Domino timuerunt omnes, & putabant phantaſma eſſe; ita nos in hoc mari appropinquantem mortem, quæ adjuvet nos, arbitramur inimicam eſſe; cùm verò ad litus Patriæ cæleſtis appulſi fuerimus, agnoſcemus, vel maximè ſalutarem fuiſſe.

Idem conc. 7. p. 5. XXXI. Sicut ſi duo ſint in carcere, unus ob leve, alter ob capitale delictum; ille, quoties panditur carcer, gaudebit, quia ſe libertati reſtituendum putat; alter verò terrebitur, quia ad mortem eductum ſe iri timet; ita juſtus quisque gaudet morte adveniente, impius verò tremente animo eandem excipiet.

§. IX.

M O T I V A.

Ad timendam mortem.

I. QUia eſt *certiſſima quoad ſubſtantiam*: Hinc Seneca, certum eſt, inquit, *Senec. apud Beirl. tit. 3. in feſto S. Cath.* mortem vitámque per vices ire, & compoſita diſſolvi, & diſſoluta componi. Omne humanũ genus, quodcunq; eſt, quodcunq; erit, morte damnatum eſt. Quotidie morimur, quotidie etiam demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque, cùm creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde Pueritiam, deinde Adoleſcentiam, uſque ad heſternum, quidquid tranſiit corporis, periit: hunc ipſum, quem agimus diem, cum morte dividimus.

Et magnos, parvóſque terit, tum fortibus æquat
Imbelles, Populíſque Duces, ſeniúmque Juventæ, ut non malè canit Poëta quidam.

II. Quia eſt *incertiſſima quoad horam*: nam, ut Poëta Tragicus canit,

Certo veniunt ordine Parcæ,
Nulli juſſo ceſſare licet:
Nulli ſcriptum proferre diem.
Sed -
Nemo tam divos habuit faventes,
Craſtinum ut poſſet ſibi polliceri.

Gen. 27. v. 2. Intellige de ordinaria lege. Hinc Iſaac ad Eſau, vides, inquit, quòd ſenuerim, & ignorem diem mortis meæ.

III. Quia eſt *acerbiſſima quoad præſentiam*: cùm, teſte Ariſtotele, ſit omnium terribilium terribiliſſimum.

IV. Quia eſt *periculoſiſſima quoad exitum*: ob graviſſimas tentationes dæmonum, qui, licet ſemper ſint execrabiles, tunc etiam omnino ſunt intolerabiles; quia tunc ſciunt fluere illud momentum magnum, à quo tota æternitas pendet; æternitas enim à morte, mors à vita, hæc à momento pendet, nam periiſſe ſemel, æternum eſt.

Ad expetendam mortem.

V. Quia mors eſt *debitum* omnibus ſolvendum; atque adeò ſtultum eſt metuere, quod vitari nequit.

VI. Quia mors eſt *portus malorum*, perfugium ærumnoſæ vitæ, effugium miſeriarum. *Cic. l. 1. Tuſc.* Seu ut clariùs dixit S. Chryſoſtomus, eſt ſomnus, migratio, translatio, & requies, & *S. Chryſ. ho. 7. ad pop.* tranquillus portus, & perturbationis liberatio, & à vitæ curis abſolutio.

VII. Quia mors *aperit viam* ad Patriam & *S. Cypr. ſim.* Amicos, uti Cyprianus indicavit, dum dixit: Quid non properamus, & currimus, ut Patriam noſtram videre, & Parentes ſalutare poſſimus? Ad horum autem aſpectum & complexum venire, quanta & illis, & nobis in commune lætitia eſt?

VIII. Quia mors eſt *tranſitus* à corruptione ad incorruptionem, à mortalitate ad immortalitatem, à perturbatione ad tranquillitatem, teſte S. Ambroſio. *S. Ambr. de bon. mort.*

IX. Quia mors eſt exitus animæ è carcere; quis autem è carcere, in quo ſummas eſt moleſtias perpeſſus, non liberari deſideret?

Pro memoria mortis.

X. Quia hæc memoria facit, ut ſuo tempore libenter moriamur: ſicut enim equus, ut non horreat ſtatuam in hippodromo ferendam, priùs ſæpius per illud ſtadium ducitur; ita ut mortem non horreamus, frequenter priùs per cogitationem animus ad eam conſiderandam impellendus eſt. Hinc Seneca monet: Effice mortem tibi cogitatione familiarem, ut, ſi ita ſors tulerit, poſſis illi obviam exire. *Senec. de nat. qq.*

XI. Quia facit etiam, ut bene moriamur: quia, teſte S. Auguſtino, mors omnium vitiorum eſt peremptoria, atque adeò, ſicut bene vivere, ita & mori facit bene. *Fab. con. 8. in c. [illegible] anim.*

XII. Quia faſtidium rerum terrenarum parit, ut in exemplo S. Franciſci Borgiæ, & S. Eliſabethæ, Hungariæ Regis Filiæ patet, quæ audiens Maritum vitâ functum eſſe, dixit: ſi mortem Frater meus obiit, & mihi poſthac mundo, ejúſque vanitatibus defunctæ moriatur mundus ipſe.

XIII. Quia curas & ſollicitudines terrenas *Ibid.* excludit: ſicut enim, qui Leonem aut Monocerotem ſe inſequentem adverteret, non eſſet multùm de pallio retinendo ſollicitus, ſed de ſolâ vitâ; ita, qui mortem ſibi ſingulis momentis imminentem videt, parùm de bonis temporalibus coacervandis, aut retinendis ſollicitus erit, ſed id unicè aget, ut mortis æternæ inſidias evadat.

XIV. Quia à tentationibus Diaboli protegit, ut enim Perdices, ut Aucupis inſidias evadant, glebâ ſe cooperiunt; ita qui Dæmonum inſidias effugere cupiunt, mortis memoriâ ſe communiunt.

XV. Quia ad gaudiũ & ſolatium in morte diſponit; ut enim, teſte S. Cypriano, non eſt dignus *S. Cypr. l. 4. ep. 2. ad Antonian.*

in

in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum; ita nullus hoc ſolatium plùs ſperare poteſt, quàm qui frequenter ejuſdem memoriam renovavit.

§. X.

MEDIA.

S. Greg. in hom. ſunt. Iambis. I. FRequens memoria mortis: nam, ut S. Gregorius Sapienter advertit, ſic mors ipſa, cum venerit, vincitur, ſi priùs, quàm veniat, ſemper timeatur. Habet ſe enim, ut *Greg. Nyſſ. in Dom. 15. poſt Pent. §. 2.* Gregorius Nyſſenus ait, ſicut Baſiliſcus, qui perimitur, ſi priùs videatur; ſecus ipſe perimit. Hinc Monachus quidam, teſte S. Maximo, *S. Max. ſ. 96.* ſciſcitanti, quid maximum ad beatè moriendum haberet momentum? reſpondit: cogitare, ultimum ſibi hunc diem fore.

Senec. ep. 12. II. *Preparatio quotidiana*: ſic enim ſuaſit Seneca dicens: nemo ſcit noſtrum, quàm prope verſetur DEUS. Sic itaque formemus animum, tanquam ad extrema ventum ſit. Venientem nemo hilaris mortem excipit, niſi qui ad illam diu ſeſe compoſuerit.

S. Aug. in l. de dis. Chriſt. c. 2. III. *Vita bona*: nam, teſte S. Auguſtino, non poteſt malè mori, qui bene vixerit. Hinc non immeritò mors Echo vitæ vocatur. Unde & Poëta:

Ut tibi mors felix contingat, vivere diſce:
Ut felix poſſis vivere, diſce mori.

IV. *Miſericordiæ exercitium*: uti S. Hieronymus ſuaſit dicens: Non memini, me legiſſe, malâ morte fuiſſe defunctum, qui libenter opera caritatis exercuit.

Matth. 26. v. 41. Joan. Tith. in vit. Gerſ. l. 1. c. 2. de ſcript. eccl. V. *Oratio propria & aliena*: ſic enim Chriſtus ſuaſit dicens: Vigilate & orate; neſcitis enim, quando tempus ſit. Sic cancellarii Gerſon exemplo ſuo docuit, dum paulò ante obitum pauperes ad templum B. Virgini dicatum duxit, omnéſque poſt largam eleemoſynam in genua procidere, & orare juſſit: Miſerere Domine DEUS Gerſonis ſervi tui.

S. Athan. in l. de paſſ. VI. *Spes in Chriſto*: nam, ut S. Athanaſius ait, quemadmodum veſpa, cùm impetit petram, non eam lædit incurſu, ſed potiùs perdit ſtimulum; ſic & mors incurrens vitam, quæ eſt Chriſtus, non potuit eum tenere, ſed ipſa potiùs aculeum perdidit, adeò ut, quos priùs terrebat aculeo, nunc inſultent, ac dicant: ubi eſt tuus, mors, aculeus?

Chryſ. ho. in compar. reg. & monac. VII. *Religionis ingreſſus*: nam, ut S. Chryſoſtomus ait, Religio hoc habet, ut qui eam ſecuti ſunt, primùm in hac vita bonis multis repleat, deinde poſt vitæ exitum hilares & ludibundos ad DEI thalamum perducat. Hinc S. Bernardus quoque ait: Spiritui à corpore exeunti à cella in cælum non longa, nec difficilis via invenitur: moriens enim aut vix, aut nunquam aliquis à cella ad infernum deſcendit, qui vix unquam aliquis, niſi cælo prædeſtinatus in ea uſque ad mortem perſiſtit.

VIII. *Sibi ipſi priùs mori ſpiritualiter*: uti jam olim etiam Ethnicus Seneca agnovit, *Senec. in epiſt.* & ſuaſit dicens: optimum eſt, antequam optes, mori. Incertum eſt, quo loco mors te exſpectet; tu illam in omni loco exſpecta. Egregia res eſt, mortem morte condiſcere; quid ad illam carcer & cuſtodia, & clauſtra? liberum habet oſtium. Hinc ſuadent nonnulli, ut cum Jobo dicat: in nidulo meo moriar, & ſicut Phœnix (ſic enim aliqui legunt, ubi vulgata verbum *Palma* habet) multiplicabo dies; id eſt, ſicut Phœnix nidum ſibi de odoriferis lignis facit, & ſe verſus ſolem vertens, alis ventilatis ignem accendit, ſeque ipſam combûrit, ut ex ejus cineribus vermis prodeat, ac in phœnicem novum vertatur; ita juſti ſibi moriuntur, ut tectiùs in DEO olim vivant.

IX. *Amor B. Virginis*: maximè ſi per ſalutationem angelicam ſæpe rogetur, ut in hora mortis non deſerat; ſic enim ipſa non ſemel promiſit, ſe fideliter adfuturam, nec minùs fideliter præſtitit, quàm promiſit.

X. *Deſiderium moriendi*: nam; ut S. Auguſtinus ait, qui cupit diſſolvi, & eſſe cum *S. Aug. in Ioann.* Chriſto, non patienter moritur, ſed patienter vivit, & delectabiliter moritur.

§. XI.

ASCETICA.

I. QUatuor ferè ſunt, quæ Aſcetæ ſpecialiter circa mortem ponderanda, benéque ruminanda ac notanda ſunt. Primum *Fab. conc. 2. in Dom. 15. poſt Pent.* eſt, ut bene cognoſcat cauſas, ob quas mors in mundo à DEO permiſſa eſt, nimirum 1. ut peccatum in partu ſuo monſtroſo tantò clariùs cognoſceremus, & deteſtaremur. 2. Ut mundi vanitates, & carnis illecebras tantò faciliùs aſpernaremur; hinc S. Gregorius ſuaſit: *S. Greg. l. 14. mor.* Caro, cùm concupiſcitur, penſetur, quid ſit exanimis; intelligetur, quid amatur. Tunc enim quodammodo dici poteſt cum Daniele: Ecce numina veſtra! ecce quem colebatis! 3. Ut effrenata peccandi licentia coërceatur, quem ad finem mors pennde, ac patibula publicè erecta plurimùm conducit. 4. Ut divites humilientur; ſi videant, mortem omnia æquare, nec ſpecialem ſe præ pauperibus ab hoc tributo exemptionem habere. 5. Ut pauperes ſolatium habeant, ſi meminerint, per mortem quotidie ſibi finem malorum imminere. 6. Ut occaſionem habeamus, vanas in mortis lucta virtutes exercendi. 7. Ut major DEO gloria exurgat, ſi à morte nos reſuſcitet.

II. Alterum eſt, ut ſolidum addiſcat modum, ſeſe ad mortem præparandi; nam ſancti *S. Greg. in mor.* viri, teſte S. Gregorio, qui brevitatem vitæ indeſinenter aſpiciunt, & tantò ſe ſolliciriùs manſuris præparant, quantò nulla eſſe tranſitoria, ex fine ſemper penſant. Sed *Idem hom. 13. in Evangel.* & horam ultimam Dominus noſter idcirco nobis eſſe incognitam voluit, ut, dum illam prævidere non poſſumus, ad illam

ſine intermiſſione præparemur. Porro in quo conſiſtat præparatio iſta, clarè videtur Salvator apud S. Marcum indicâſſe, dum dixit: Videte, vigilate, & orate; neſcitis enim, quando tempus ſit. Ubi per verbum *Videte*, commendat aſſiduam memoriam mortis; nam, ut S. Gregorius l. c. dicit, ſic mors ipſa, cùm venerit, vincetur; ſi, prius quàm veniat, ſemper timeatur. Per verbum *Vigilate* autem quid indicare voluerit, pulchrè idem Sanctus Gregorius l. c. ſignificavit dicens: proinde, Fratres mei, in conditione mortalitatis veſtræ oculos figite, venienti vos Judici per *fletus* quotidie & *lamenta* præparate. Et cùm certa mors maneat omnes, nolite de temporalis vitæ providentia incerta cogitare. Audite, quid ſapiens Salomon dicat: Quodcunque poteſt facere manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ſcientia, nec ratio, nec ſapientia erunt apud Inferos, quò tu properas. Quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & poſt mortem operari non poſſumus, supereſt, ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Unde rectè nonnulli ſuadent ſanctæ feminæ, Ida nomine, exemplum ſequendum, & ſicut illa feretrum, quod conſtrui ante mortem juſſerat, bis quotidie panibus & aliis alimentis in pauperes diſtribuendis implevit; ita nos quoque tumbam noſtram deteſtatione ſeria peccatorum commiſſorum, & bonorum operum ſedulo exercitio impleamos. Per verbum *Orate* denique indicavit Chriſtus, quòd, cùm tempore mortis præcipuè tentationes nobis graves ex Dæmonum calcaneo noſtro inſidiantium furore immineant; ad has autem ſuperandas ſemper quidem, ſed tunc præcipuè ob majorem corporis, animique debilitatem ſufficientes non ſimus, oculos noſtros ad cælum convertamus, & inde auxilium, robúrque ad luctam hanc fortiter, feliciterque obeundam cum humilitate & fiducia expetamus. Alii ad hanc præparationem etiam requirunt, ut ad illa accidentia, quæ in omni verè periculoſo morbo plerumque accidunt, nempe *mortis metum*, *dolorem corporis*, & *amiſſionem voluptatum*, ſollicitè nos præparemus, & timorem quidem mortis amore divino, dolorem corporis conſcientiæ tranſquillitate, intermiſſionem voluptatum generoſo earum contemptu vincere, aut lenire ſaltem ſtudeamus.

Marc. 13. v. 33.

Eccl. 9. v. 10.

Drex. in prodr. c. 2. §. 10.

III. Tertium eſt, ut ardens diſſolutionis ſuæ, DEIque videndi deſiderium in ſe, aliíſque excitare ſtudeat; hoc enim vel maximè DEUM ab amicis ſuis requirere, ex variis hiſtoriis patet, ex quibus habetur, aliquos idcirco duntaxat à cæli ingreſſu fuiſſe ſuſpenſos, quòd ejuſmodi in ſe excitare deſiderium neglexerint. Ut autem tale deſiderium tantò faciliùs eliciatur, proderit ponderare ea, quæ Franciſcus Petrarcha pro hoc fine in quodam ſuorum Dialogorum ſuppeditat his ferè verbis: *Dolor.* En Morior. *Ratio.* En te Dominus præſtolatur. Accelera, ne turbes, seu cunctans, pone ſuſpicionem, seu tu tibi carior es, quàm illi? quis vocatus ab amante diffidit? adhuc fortè mirabèris timuiſſe, quod optandum eſt. Multa enim ſolutus ſcies, quæ vinctus nullo unquam ſtudio didiciſſes, uſque adeò, ut arcana rerum noſſe valeas, ad quæ mortali velo obſita acies veſtra non penetrat, quæ profectò cupiditas naturalis eſt homini, ſed vehementior ſtudioſo, nil morte meliùs putem, nilque quod brevius adoptatum ferat. *Dolor.* Morior. *Ratio.* Imò obdormis, feſſúsque vitæ, ut arbitror, requieſcis. *Dolor.* Morior. *Ratio.* Vade in æternam requiem. Nunc primùm vivere incipis. Bona mors initium eſt vitæ.

IV. Quartum eſt, ut utilem quoque ſciat modum, eos, qui morti viciniores ſunt, ad eandem piè ac Chriſtianè obeundam diſponendi. Quâ quidem in re proderit inſtructionem Concilii Nannetenſis obſervare, quod ſic loquitur: Cùm Sacerdos audierit, aliquem infirmari in ſua plebe, quàm citiùs ad eum pergat, & ingreſſus cubiculum, aquam benedictam ſuper eum, & per omne cubiculum aſpergat cum Antiphona: *Aſperges me, Domine*: & verſu, *Exurgat DEUS*: Deinde dicat orationem: *DEUS, qui Sacerdotibus tuis totam præ ceteris gratiam contuliſti &c.* Deinde cantet ſeptem pſalmos pœnitentiales cum precibus pro infirmis. Poſt hæc omnes jubeat extra cubiculum ſecedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blandè lenitérque alloquatur, ut omnem ſpem ſuam in DEO ponat: ut flagellum DEI patienter toleret; ut hoc ad purgationem & caſtigationem ſuam provenire credat, ut peccata ſua confiteatur: ut emendationem promittat, ſi Dominus vitam conceſſerit; pœnitentiam pro culpis promiſſis ſpondeat; ut ſubſtantiam ſuam dum adhuc ſenſus & ratio in eo vigent, diſponat. ut peccata ſua eleemoſynis redimat: ut his, qui in ſe peccaverunt, indulgeat: ut rectam fidem & credulitatem teneat: ut de DEI miſericordia nunquam deſperet. Cùm his & ejuſcemodi allocutionibus fuerit mens infirmi relevata, datâ benedictione recedat ſacerdos, non poſt multum reverſurus, détque locum, ut ægrotus de peccatis ſuis poſſit cogitare. Circa quam quidem Concilii inſtructionem duo ſpecialiter adhuc ſunt notanda & obſervanda. 1. Ut, ſi quidem diſponere de ſubſtantia ſua in ſalutem animæ ſuæ voluerit, id per ſeipſum potiùs, quàm per alios faciat; nam, ut ſapienter S. Gregorius advertit, tutior eſt via, ut bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat ipſe, dum vivit, per ſe Beatius quippe eſt, liberum exire, quàm poſt vincula libertatem quærere. 2. Ut, quandoquidem, teſte S. Joanne Climaco, Diabolus homini ſano perſuadet, DEUM eſſe infinitè pium ac pronum ad indulgendum, quatenus homo parvi pendat peccata, atque audentius peccet; agonizanti autem perſuadet interdum, DEUM eſſe rigoroſiſſimum, & peccata ſua eſſe plurima & graviſſima, ut hâc ratione diffidat, ac deſperet, idcirco arripiendum tunc S. Grego-

Concil. Nannetenſe c. 4.

S. Greg. l. 4. Dial. c. 58.

Idem l. 2 8 mor.

rius

emiciatur eſſe conſilium, in hæc ferè verba datum: ſicut, dum vivimus, debemus bona noſtra à memoria repellere, ne extollant; ita appropinquante exitu ea plerumque juſtè ad memoriam revocamus, ut fiduciam præbeant, & deſperatum timorem premant.

§. XII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Rom. 5. v. 14.

I. **E**X occaſione thematis: *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen* poteſt mors Reginæ comparari, & poteſtas ejus in omnes homines explicari. Ut autem hoc aptiùs fiat, poteſt imago mortis utpote plena myſteriis exponi, dicique, quòd 1. pingatur *ſine oculis*; quia neminem reſpicit, ſed æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regúmque turres, ut Horatius canit. 2. *ſine auribus*; quia eſt inexorabilis, &, ut Boëthius cecinit,

Boëthius l. 1. de conſol.

> Heu, heu, quàm ſurdâ miſeris avertitur aure,
> Et flentes oculos claudere ſæva negat,

3. *ſine Naſo*; quia nec odores, nec fœtores curat. 4. *ſine cute & ſanguine*, quia pulchritudine non capitur. 5. *ſine veſte*: quia non miſeretur inopiæ, nec veretur divitias: 6, *ſine indicio ſexûs*; quia Maribus æquè ac feminis dominatur. 7. *cum falce*; quia nemini parcit, & triticum æquè ac zizania demetit. Unde mentò quiſque eam veretur, & ad illius adventum ſe præparat, ut velut tela prævisà minùs feriat. Vide Fabrum in conc. Funebr. exh. 31.

Luc. 19. v. 43.

II. Ex occaſione thematis: *Venient dies in te, & circumdabunt te Inimici tui vallo*: poſſunt terribiles circumſtantiæ mortis explicari, & 1. oſtendi, quomodo *circumdabunt Inimici vallo*, nempe Dæmones, peccata, curæ ſeculares. 2. Quomodo *coanguſtabunt undique*, quia ſupra ſe videbit ſeverum Judicem; infra ſe infernum; intra ſe vermem conſcientiæ; extra ſe amicos deſerendos cum bonis. Ante ſe mortem appropinquantem, retrò ſe judicium incertum. 3. Quomodo ad *terram proſternent*: tum projiciendo in ſepulchrum, tum terrenis cogitationibus & ſollicitudinibus involvendo. 4. Quomodo *non relinquent lapidem ſuper lapidem*: quia bonis corporis & fortunæ, imò & fructu ſuorum operum & laborum privabunt; & ipſa etiam Peccatoris propoſita ac vota concident; quæ omnia fuſiùs apud Fabr. conc. 1. in Dom. 9. poſt Pent. explicata videri poſſunt.

Luc. 21.

III. Ex occaſione themati: *Erunt ſigna in Sole, & Luna, & in ſtellis, & in terris preſſura gentium*: poſſunt explicari tribulationes morientium, & earundem remedia. Et 1. quidem oſtendi, qualia ſigna in Sole ſint futura, id eſt, in ipſa vita, quæ ut ſol vivificat omnes hominis partes, ſed tunc clara ſigna per morbos accipiet, quòd occidere debeat. Sed quia nutu DEI evenit, patienter ferendus hic eſt occaſus, quia DEUS faciet, ut cum majori gaudio hic ſol iterum oriatur. 2. *In Luna*, id eſt, in rebus terrenis, ſeu fortunæ bonis, quæ perinde ut Luna mutationi ſunt obnoxia; quæ tunc incipient non dare lumen ſuum, hoc eſt, nullum morienti ſolatium præſtare poterunt; unde mentò priùs ſpernenda, & in cælum præmittenda ſunt, ut vel ſic ſolatio eſſe poſſint. 3. *In ſtellis*: id eſt, propinquis & amicis, quæ & ipſæ cadent, & retrahent ſplendorem ſuum; unde rectiùs cæleſtium Amicorum patrocinium, quod tunc ſtabile erit, quæritur. 4. *In terris*, id eſt, corpore, ubi dolores, aliæque miſeriæ prævalebunt; ad quos mentò per patientiã nos præſtarare debemus. Quæ omnia fuſiùs explicata videri poſſunt apud Fabrum conc. 2. in Dom. 1. Advent.

Eccl. 4. v. 2.

IV. Ex occaſione thematis: *Laudavi magis mortuos, quàm viventes*: poſſunt comoda mortis explicari, quia ſcilicet, ut S. Bernardus ait, triplex in morte congratulatio eſt, homines ab omni labore, peccato, & periculo liberari. Hinc & cygnus ut eſt in Fabulis, quæſitus, cur in morte caneret, reſpondit: Quia neque cibi quærendi curâ ampliùs cruciabor, neque Aucupum laqueos, mortuus extimeſcam. Quæ omnia vide fuſiùs apud Fabr. in conc. funebr. exh. 23.

S. Bern. in tranſ. Malachiæ.

Pſ. 115. v. 15.

V. Ex occaſione thematis: *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus*. poteſt differentia inter mortem Juſtorum & Impiorum explicari, quia videlicet. 1. Mors Juſtorum eſt *matura*, Impiorum *immatura*, cùm illi inferantur in cæleſte horreum, ut triticum electum; hi verò, ut Zizania, in foveam inferni abjiciantur. 2. Quia illorum mors eſt *pacata*, horum *turbulenta*; de illa enim dicitur: in pace in idpſum dormiam; de hac: Morietur in tempeſtate anima eorum. 3. Quia illorum Mors eſt *hilaris*, (quia, ut S. Bernardus ait, fit ibi quies à laboribus, fit jucunditas de novitate, fit ſecuritas de æternitate) horum verò *triſtis*, quia Mors peccatorum eſt mala in amiſſione mundi peior in diſſolutione carnis, peſſima in tormentis inferni. 4. Quia illorum mors *bene olens & glorioſa*; horum verò *fœtida & infamis*; ut[illegible]m olim Salomon prædixit dicens: Memoria Juſti cum laudibus, & nomen Impiorum putreſcet. 5. Quia illorum Mors tantùm temporalis, horum autem æterna eſt; nam illi ibunt in vitam, hi in ſupplicium æternum, quod, teſte S. Auguſtino, Mors potiùs dicenda eſt, quàm vita, nulla quippe major & peior mors eſt, quàm ubi non [illegible]itur mors. Vide hæc fuſiùs apud Fabr. exh. funebr. 27.

Pſ. 4. v. 9.

Iob. 36. v. 14.

S. Bern. ſ. 41. ex parv.

S. Aug. l. de civ. 6 ult.

Ioh. 16. v. 5

VI. Ex occaſione thematis: *Quo vadis?* poteſt oſtendi, quomodo & cum quo fructu mortem præmeditari debeant Auditores, nempe ſi 1. Cogitent ſe per mortem tendere ad locum ſupplicii nobis deſtinatum, videlicet ad ſepulchrum; hinc enim ut eductis ad

mortem, omnia faſtidia erunt. 2. *Ad deſertum & locum vaſtæ ſolitudinis*: ubi nihil invenient, niſi quod præmiſerint; hinc enim ad opera bona & eleemoſynas præmittendas incitabuntur. 3. *Per lacum congelatum & lubricum*: propter periculum ex ſubſequenti judicio & ſententiâ ſubeundum; hinc enim armare pedes affectuum firmo timore DEI & amore oportet. 4. *Ad perpetuam manſionem*: quia in quocunque loco ceciderit lignum, ibi erit. Ergo conandum potiùs ut ad Auſtrum, quàm ad Aquilonem cadat. 5. *Ad eum, qui miſit nos in vineam*, ut fructum operaremur: hinc etiam ſalutans ſtimulus ad bene operandum haurietur; ſi enim, ut S. Hieronymus diſcurrit, tantâ curâ pertimeſcitur judicium pulveris, quâ intentione cogitandum eſt, quâ formidine prævidendum tantæ judicium majeſtatis? vide hæc fuſiùs apud Fabr. conc. 5. in Dom. 4. poſt Paſcha.

Eccleſ. 11, v. 3. — *S. Hier. in epiſt.*

Iſ. 38. v. 1. VII. Ex occaſione thematis: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*: poteſt oſtendi, quomodo quilibet ſe ad bonam mortem diſponere debeat, videlicet 1. Diſponendo de *domo ſpirituali* ſeu conſcientia, per Sacramentorum ſuſceptionem, ſeu etiam pœnitentiam, pióſque actus illi articulo convenientes. 2. Diſponendo de *domo materiali ſeu familia*: reddendo, quæ ad alios pertinent: teſtamentum condendo: & ſi quæ dubia vel arcana enodanda vel revelanda, ad cavendas lites vel alia incommoda videbuntur, non negligendo. 3. Diſponendo de *domo cœleſti*: hoc eſt, ea media eligendo, quæ ad cæleſtem gloriam obtinendam præ ceteris efficacia videbuntur, prout fuſius Faber exh. funeb. 29. oſtendit.

Eccl. 22. v. 10. VIII. Ex occaſione thematis: *Modicum plora ſuper mortuum, quoniam requievit*: poteſt oſtendi, quomodo mortui plorandi ſint; nimirum 1. *moderatè*: uti Siracides in textu citato innuit, & confirmat S. Auguſtinus, dum ait: Permittantur pia corda carorum de ſuorum mortibus contriſtari dolore ſanabili, & conſolabiles lacrymas fundant conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium, quâ credunt Fideles, quando moriuntur, paulùlum à nobis abire, & ad meliora tranſire. Hinc & Chriſtus pro Lazaro plorans, infremuit Spiritu in ſemetipſo, nempe naturæ motum reprimens, ne in lacrymas indecoras prorumperet. 2. *Prudenter*: non inani duntaxat fletu, ſed potiùs medijs ipſi proficuis adhibitis commiſerationem oſtendendo, nam, ut rectè advertit S. Chryſoſtomus, honor mortuo non fletus, non ejulatus eſt, ſed hymni & pſalmi, & vita optima. Vis honorare mortuum? fac eleemoſynas. 3. *Religioſè*: ſic enim Apoſtolus monuit dicens: Nolumus vos ignorare Fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent; ſed certò credentes, quòd, ſi bene vixerint, in altera vita felices erunt, pro nobis oraturi, & avidè nos exſpectaturi ſint, ut adeò potius occaſionem ſumere debeamus, ipſorum exemplo benè vivendi, ut eos in cælis videre, & ipſis in æternum cohabitare poſſimus.

S. Aug. ſ. 34. de Apoſt. — *S. Chryſ. ho. 61. in Ioan.* — *1. Theſſ. 4.*

IX. Ex occaſione thematis: *Juſtus Dominus in omnibus viis ſuis: & Sanctus in omnibus operibus ſuis*: aut, *Judicia tua abyſſus multa*. poſſunt variæ quæſtiones circa diverſa genera mortis proponi, & reſolvi. 1. Cur tam multi ante maturam ætatem moriantur? ad quam quæſtionem reſpondet S. Auguſtinus dicens: vocantur ante tempus boni, ne diutiùs vexentur à noxijs: mali verò & impij tolluntur, ne diutiùs bonos perſequantur. Plures rationes affert, & fusè explicat Matthias Faber exh. funebr. 32. 2. Cur quandoque juſti tam acerba morte occumbant? nempe ob expiationem peccatorum, augmentum gloriæ, exemplum bonorum, malorum terrorem, & ne tam de via, quàm de viæ termino ſolliciti eſſe diſcamus, ut pluribus deducit Faber exh. funebr. 33. 3. Cur vita humana modò tam brevis ſit? Nempe quia nunc lex gratiæ eſt, atque adeò convenit, ut vita noſtra, quæ nihil aliud, quàm exilium, curſus in ſtadio, & labor eſt, citiùs abſolvatur, id quod fuſiùs Faber conc. 7. in feſto S. Catharinæ oſtendit, ubi alias etiam rationes hujus brevitatis affert. 4. Cur mortem incertam eſſe voluerit DEUS? nimirum quia alioqui multa peccata committerentur, & multa bona omitterentur, uti idem Faber exh. 37. funebri fuſiùs iterum deducit, ubi alias etiam rationes affert.

Pſ. 144. v. 17. — *Pſ. 35. v. 7.*

§. XIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Apoc. 14. v. 14.

I. MOrs falcata pingitur, qualem olim S. Joannes vidit, ſimilem Filio Hominis, habentem in capite coronam auream, & in manu ſua falcem acutam; nam ut Chriſtus omnium Judex, ſic mors omnium eſt carnifex, & falx utriuſque eſt index.

II. Diogenes Cynicus inter buſtuaria obambulans, ſciſcitanti Alexandro Magno, quid ibi ageret? Patris tui Philippi, reſpondit, calvariam quæro, ſed internoſcere nequeo: tu, ſi potes, oſtende.

Laert.

III. Idem rogatus, num quid mali eſſet mors? reſpondit: quo pacto malum, cùm præſentem non ſentiamus? quod autem abeſt, nulli malum eſt. Dum ſentit homo, vivit; nondum igitur adeſt mors, quæ, ſi adſit, abeſt ſenſus: Malum autem non eſt, quod non ſentitur.

Hugo de clauſtro animæ.

IV. Tres ſunt nuntij mortis, Caſus, Infirmitas, Senectus; Caſus dubia, Infirmitas gravia, Senectus certa denunciat. Caſus nuntiat mortem latentem, Infirmitas apparentem, Senectus præſentem. Ex hac incertitudine mortis timor, ex gravitate dolor, ex certitudine Senectutis non obſtinatio, ſed humilitas & afflictio ſequi debet.

V. Gor-

Laert. l. 6. V. Gorgias jam vicinus morti, & ſenſim in ſomnum delapſus, cùm quæſitus fuiſſet, quid ageret? jam ſomnus, reſpondit, me Fratri ſuo tradere incipit.

Senec. ep. 82. VI. Mors non eſt glorioſa, ſed fortiter mori glorioſum eſt. Nemo mortem ſuam laudat, ſed eum, cujus mors abſtulit animum: intereſt, utrum malitia illi, an virtus manum admoverit. Mors enim, quæ in Catone glorioſa eſt, in Bruto turpis & erubeſcenda. Cato illâ honeſtiſſimè uſus eſt, turpiſſimè Brutus.

Drex. in …dr. c. 1. §. 38. VII. Gulielmus Dux Bavariæ in ſomnio vidit cervum eminentis ſtaturæ in altero cornu campanulas, in altero accenſos cereos ferentem, qui à Venatoribus canibúſque agitatus, cùm omnes effugiendi vias interclusas cerneret, in apertum Cœmiterij D. Virginis ſepulchrũ fugit, ibique captus & occiſus eſt. Ex quo ſomnio evigilans Princeps, ego, inquiebat, ſum ille cervus, quare & in dicto cæmeterio ſepeliri volo. Quod & factum, morte brevi ſecuta.

Ion. 4. VIII. Olim paravit DEUS vermem aſcenſu diluculi, & percuſſit hederam, & exaruit. Hedera talis homo eſt, vermis mors.

Preſſ. conc. 4. p. … IX. Militia eſt vita hominis ſuper terram: teſſera noſtra pulvis eſt; hinc hominem agnoſcas. Memento ergo homo, quia pulvis es, & in pulverem revertêris.

…ch p. 1. de nov. c. 2. X. Rectè cecinit quidam Poëta:

Nudus ut in terram veni, ſic nudus abibo,
Quid fruſtra ſudo, funera nuda videns?

Hoc eſt

Auff Erden bin ich kommen bloß /
Da d' Mutter mich gebohren /
Bloß kehr ich in der Erden Schoß /
Wird alles ſeyn verlohren.

S. Io. Damaſ. c. 12. viſ. XI. Barlaamus mortem Unicorni ferocienti & hominem inſequenti comparat, vitam arbori, in qua homo ſe aliquamdiu ſuſtentat, donec à duobus muribus, albo & atro (puta die ac nocte) radice abſumptâ, cum arbore cadat. Infra ipſum ſcrobem apertam (orbem miſerijs refertum) & in ea Draconem horrendum (infernas fauces) ex quatuor verò lateribus, quatuor aſpides (elementa) fingit. An non ergo meritò homo timeat? an non ſtultè agit, ſi ſui ſecurus guttam mellis ex arbore decerpat?

…ex in …dr. c. 2. §. 6. XII. Senex quidam cùm mors raptura hominem adeſſet, illéque quereretur, ſe monitum nunquam fuiſſe, reſpondit illa, ſat monitum eſſe, dum tot Infantum, Juvenum, Senúmque funera, & præterea ſuos etiam canos aſpexiſſet; hos enim fidiſſimos mortis nuntios eſſe.

Engelgr. in …ſto. S. …anc. …rg. XIII. Numa Romanus Rex in cubiculo ſuo ſpeculum appendit, calvis mortuorum circumcinctum, quos inter hoc lemma legebatur: ſpeculum hoc non fallit.

…nec. l. 1. nat. qq. c. 17. XIV. Sed & Seneca ait, inventa eſſe ſpecula, ut homo ſeipſe noſceret. Ut juvenis ætatis flore admoneretur, tempus illud eſſe diſcendi; ſenex ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.

Utilitas.

XV. Nil meliùs æterna Lex fecit, quàm quòd unum introitum nobis ad vitam dedit, multos exitus. *Senec. ep. 68.*

XVI. Ægyptij olim in divitum epulis cadaver ligneum oſtendebant dicentes: in hunc intuens pota, & oblecta te, talis poſt mortem futurus, ut hoc freno intemperantiam coërcerent. *Herod. l. 2.*

XVII. Agis interrogatus, quo pacto quis libertatem tueri poſſet? ſi mortem, inquit, contempſeris. Cùm verò injuſtè ad laqueum damnato Lictor quidam flendo condoleret, deſine, dixit illi, vicem meã flere, nam ſic moriens, melior ſum ijs, qui me occidunt. *Plutarch. in Lacon.*

XVIII. Mors & exilium, & omnia, quæ in malis habentur, ob oculos tibi quotidie verſentur, omnium verò maximè mors; ſic nihil unquam humile cogitabis, nec impensè cupies quicquam, inquit ſapienter Epictetus. *Epict. in enchir. c. 28.*

XIX. Aquila cervum expugnatura, multum pulverem excutit in oculos, & pennis ora verberat, donec præcipitet in rupes; ſic Eccleſia in die Cinerum cineres capiti inſpergit, ut nos hoc pacto per mortis memoriam ſibi & DEO ſubjectos efficiat. *Plin. l. 10. c. 4.*

XX. Simonides Philoſophus poſcenti à ſe Pauſaniæ Regi Lacedæmonio, ut mnemoſynon è Philoſophia promeret, è quo melior evadere poſſet, Hominem, aiebat, te, & mortalem memineris. *Plutarch. in conſol.*

XXI. Solon ad elatos Spiritus Græcorum retundendos, Delphici templi valvis inſcripſit: noſce teipſum, quis, unde, quò tendas, nam vivendo moreris, & moriendo vivis. *Beſſæus conc. 1. de mort.*

XXII. Saladinus Domitor Aſiæ induſium ſuum poſt mortem in Pertica ſuſpendi, ſimulque clamari juſſit: Hoc ſpolium orientis terror, & domitor Aſiæ Saladinus ex tot triumphis ſecum abſtulit. *Fulgoſ. l. 2.*

XXIII. Pavus cùm oculatæ iridis ſinuoſa volumina pandit, ubi nigredinem pedum conſpicit, mox criſtam cadere ſinit; idem eveniet homini ob ſua dona & talenta elato, ſi pedes ſuos, id eſt, vitæ exitum, &, quid poſt mortem futurus ſit, conſideret.

XXIV. Cùm Agamedes & Triphonius Architecti pro constructo Apollini fano mercedem ab eo, quam optimam haberet, poſtulâſſent, reſpondit ille: Poſt octiduum voti compotes eritis. Unde die ſeptimo ambo mortui ſunt, quaſi à DEO nec dari, nec peti meliùs quid morte poſſit. *Plutarch. apud Beſſ. c. 7. de mort.*

XXV. Plato relicta Athenienſium Civitate, cum quibuſdam ſuis Diſcipulis in villa quâdam antiqua & ruinoſa commoratus eſt, ut timore periculorum, ex frequenti terræ motu ortorum, in ſe vitia carnis & inordinatas alias concupiſcentias refrenaret. *S. Hier. l. 2 contra Iovin.*

XXVI. Cùm de Theſpeſio ſcelerato homine oraculum fuiſſet conſultum, num quæ ſpes foret, ipſum emendandi? reſponſum eſt: melior erit, poſtquam mortuus fuerit. Paulò pôſt *Plutarch. de ſera Num. vind.*

ita-

itaque gravi caſu colliſus ad terram per triduum exanimis jacuit; reverſus tandem ad ſe, retulit, quendam è ſuis cognatis ad ſe acceſſiſſe, dixiſſeque: Salve Theſpeſi. cúmque ille diceret, ſe Andæum vocari, ſubjecit cognatus: Andæus fuiſti, ſed deinceps Theſpèſius, id eſt; divinus eris. Et ſic factum vita pòſt acta probavit.

S. Bern. ſ. de prim. med. & noviſſ.

XXVII Memorare noviſſima, ait Siracides, & non peccabis; & non ait memorare primordia aut media; validior enim, & vehementior eſt Spiritus timoris ad reſiſtendum peccato, quàm pudor, & dolor; quia pudor de ſimilitudine, & dolor de qualicunque hujus mundi conſolatione capit ſolatium, timor verò non invenit, ubi conſoletur.

Idem ſ. ad milit de templ c. 11.

XXVIII. Inter ſancta & deſiderabilia loca ſepulchrum tenet quodammodo principatum, & devotionis plùs neſcio quid ſentitur, ubi mortuus requieſcit, quàm ubi vivus converſatus eſt.

XXIX. S. Joannes poſt alios tres equos vidit quartum pallidum, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors.

S Albert. in c. 22. Matth.

XXX. Rex Evangelicus ſolos illos admiſit ad nuptias, qui vocati ſunt apud exitus viarum, illi autem juxta S. Albertum Magnum, ſunt in exitibus viarum, qui mortem ſuam jugiter proſpiciunt, & qui ſe credunt quotidie morituros. Et certè tales dignos ſe efficiunt, ut ad Chriſti nuptias introire mereantur; quicunque enim mortis ſuæ efficaciter recordantur, ſtudent eſſe patientes, continentes, & obedientes.

Nyſſenus ſ. 1. in die Cin. §. 4.

XXXI. Etſi Chriſtus illos, quos à morbis curaverat, exhortatus ſit, ne deinceps ampliùs peccarent; nulli tamen à morte reſuſcitato, ſimilem adhortationem fecit, eò quòd mors ipſa utpote optimus Magiſter, eos imbuendos ſuſceperit, ut Nyſſenus diſcurrit.

Matt. 8. v. 28.

XXXII. Cùm Chriſtus regionem Geraſenorum intràſſet, occurrerunt ei duo dæmonia habentes, de monumentis exeuntes: ſuper quæ verba

S. Petrus Chryſol. ſ. 16.

S. Petrus Chryſologus dicit: Exeunt de monumentis, & verſa vice captivos ferunt, à quibus fuerant captivati; ſiſtunt pœnis, quorum cruciatibus torquebantur, nimirum ex repræſentatione mortis roborati.

Nyſſen. in fer. 5. poſt. Dom. 4. quadr. §. 3.

XXXIII. Licet pœna inferni reipſa ſit gravior, quàm mors corporis, comminatio tamen corporalis mortis acrius, & vehementior eſt ad commovendum hominem; hinc DEUS Adamo mortem, non infernum minatus eſt, ſi vetitum pomum comeſturus eſſet.

S. Ambr. in apol. David.

XXXIV. S. Ambroſius quærit, cur S. David ab aquæ, quam tres robuſtiſſimi per mediam Philiſtinorum aciem cum periculo vitæ penetrantes attulerant, potu abſtinuerit? & reſpondet ſuavitatem bibendi habere non poterat, quæ propoſitæ mortis horrore conſtabat. Nempe, ut addit Nyſſenus, ob oculos mortis, licet ſolùm cogitatæ, nulla eſt ſine multo felle voluptas, nulla ſine amarore dulcedo, nullæ ſine anxietatis deliciæ.

XXXV. DEUS primis Parentibus poſt offenſam tunicas pelliceas ex pellibus mortuorum animalium injecit, ut expreſſam ſuæ fragilitatis imaginem cernerent, ex iiſque, quid paulò pòſt futuri eſſent, perdiſcerent. de quibus tunicis ſic loquitur Theodotus: Tunicas pelliceas dedit illis DEUS ex ineffabilibus theſauris, quare minimè quærendum eſt, unde eas attulerit. Nam, ut Iſidorus advertit, tunica appellata eſt, quia in metu incedentis ſonum facit; tonus enim ſonus eſt, unde primis Parentibus tunicæ pelliceæ poſt lapſum ſunt factæ, ut perpetuum ſuæ fragilitatis & inſtabilitatis monitorem haberent. *Nyſſen. hic* *Theodor. cath.* *Iſid. l. 19. Etym. c. 22.*

XXXVI. S. Chryſoſtomus quærit, cur Paterfamilias noviſſimis Vineæ operariis eandem ac primis mercedem dederit? & reſpondet, primos operarios fuiſſe ex juſtis primi ſeculi, qui, quia ætatem ſuam prolixiorem cogitabant, quodammodo negligentes eos faciebat circa juſtitiam, & refrigeſcere faciebat animas eorum exſpectatio ſeculi longioris, & illis infrigidatio erat cognoſcere mundi ſpatia eſſe longiora; at poſtremi, quia brevitatem vitæ ob oculos habebant, ſeipſos incitabant, & accendebantur amore DEI, ut, quantò brevius habebant ſpatium temporis, tantò ferventiùs in vinea Domini laborarent. *S. Chryſ. apud Nyſſ. l. c.*

XXXVII. De ſponſa olim dixerunt Superi: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii; ubi eam omnigenis virtutibus per pulverem univerſum intellectis repletam fuiſſe ex eo colligunt, quòd Myrrham & thus, id eſt, ſtudium orationis, & conſiderationem mortis, velut radices & cauſas omnium virtutum habuerint; nam, ut bene S. Albertus Magnus advertit, quicunque mortis ſuæ efficaciter recordantur, ſtudent eſſe continentes, patientes, & obedientes; nituntur ſemetipſos per veram contritionem & peccatorum confeſſionem à peccatorum maculis expiare, non negligunt eleemoſynas ſuas pauperibus erogare, non ceſſant orationibus ac aliis bonis operibus invigilare. *Cant. 3. v. 6.* *S. Albert. ſ. 6.*

XXXVIII. Plinius de apibus ſcribit, quòd pulvere ex veſtigio anguium collecto ſparſæ in alvearia revertantur; idem hominibus accidit, qui, ſi à juſtitia & bonorum operum ſtudio diſcedunt, cinere, qui ex primævi anguis Dolo collectus eſt, conſperſi ad alveare ſuum, id eſt, vitæ melioris ſtatum revertuntur. *Plin. . . . cap. ult.*

XXXIX. Obſervat acutè Cajetanus, quòd DEUS olim ſerpenti dixerit: Inimicitias ponam inter te, & mulierem. Et numerum pluralem propterea uſurpârit, quia non ſufficit inimicum eſſe Diabolo quoad ea, quæ ſunt fidei aut ſpei, ſed oportet inimicum eſſe ſecundùm omnes partes, ſecundùm ea, quæ ſunt caſtitatis, abſtinentiæ, miſericordiæ & reliquorum ſanctiorum officiorum. Has autem inimicitias quomodo procurare debeamus, *Cajet. in 3. Gen.*

S. Clim. gr. 14. mus, docet S. Climacus, ſic gulam loquentem introducens: inimicitias per omnia contra me gerit mortis intenta cogitatio. Unde aliqui virtutem & efficaciam hujus conſiderationis, efficaciæ nominis JESU comparant, ajúntque illi ſuo modo applicari illud elogium poſſe: Turris fortiſſima nomen Domini; ad ipſum currit juſtus, & exaltabitur. Hinc Evagrius ait: *Evagr. ep. ad Anaſt.* ad omnem anhelitum nomen JESU & mortis meditationem adjunge; ingentem enim ambæ utilitatem afferre conſueverunt.

Sander. l. 1. Schiſm. Angl. XL. Cardinalis Reginaldus Polus cùm audiviſſet Henricum Regem quinquaginta millia aureorum promiſiſſe illi, qui ipſum occiſurus eſſet, miratus Regis amentiam dicit; jam dudum ſe hujus vitæ tædio affectum, mortem deſideràſſe, nec Henricum aliud agere, quàm ſi quis ire dormitum cupienti, veſtem velit detrahere.

Neceſſitas.

S. Fulg. l. 1. myth. c. 7. XLI. Veteres, ut S. Fulgentius notat, mortem non immeritò *Atropos*, id eſt, *ſine ordine* vocârunt; quia mortis conditio ſine lege venit.

Hebr. 9. v. 27. XLII. Illa verba Apoſtoli: ſtatutum eſt hominibus ſemel mori: varii variè explicant; nam Theophilactus legit *deſtinatum* eſt; ſeu electum, & certo fini aſſignatum. Alii deſtinatum, id eſt, adſtrictum, alligatúmq; mortis legi ac imperio. S. Chryſoſtomus legit *Inſtitutum*, ac ſi diceret: Hæc eſt profeſſio hominis, ut tuo tempore moriatur.

Pſ. 101. v. 11. XLIII. Illud Pſalmiſtæ: Cinerem tanquam panem manducabam: Ven. Beda ſic exponit: Cinerem tanquam panem manducabam, id eſt, memoria infirmitatis & conditionis meæ, quâ memini me pulverem, & cinerem eſſe, *Beda l. de trop.* panis mihi eſt, refectio mea eſt. Hinc & Chriſtus docuit panem quotidianum *hodie* petere, ut incertitudinem horæ ultimæ ſemper ob oculos haberemus. Unde exclamans S. Auguſtinus ait: O Sapientia vera, & divina providentia. Quæ docuit & panem ſuum petere, & hodie nominare! hoc enim dicto & aviditas cum avaritiâ tollitur, & humanæ vitæ inſinuatur incertum &c. Competenter ergo oramus: panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, quia craſtinus dies, quid pariat, ignoramus.

Matth. 18. v. 3. XLIV. Etiam in illa Sententia: Niſi converſi fueritis, efficiamini, ſicut Parvuli, non intrabitis in regnum cælorum: mortem nobis Chriſtus in memoriam revocare voluit; nam, *Nyſſen. ſ. 1. in die Cin. §. 2.* ut Nyſſenus ait, dicere quodammodo voluit, neminem poriturum æterna beatitudine, niſi exiſtimatione ſua mortuo ſimilis fiat, ut per omnia ſimillimus puer eſt. Hinc Artemidorus ajebat, ſi quis ſomniaret, ſe Puerum eſſe, ægrotanti mortem prænuntiari, quandoquidem & mortui laceris involvuntur pannis, & linteolis, quemadmodum infantes, & humi deponuntur.

XLV. Mundi conditio ſimilis eſt illis locis, quæ Caſtellani *Behetria* vocant; ut enim in his, quantumcunque ſit aliquis nobilis, tributum pendere debet; ita & in mundo nemo eximitur à mortis tributo pendendo. *Nyſſen. ſ. 2. in Fer. 5. poſt Dom. 4. quadr.*

XLVI. Rupertus Abbas quærit, cur Abrahæ poſt mortem uxoris Saræ, DEUS non ampliùs apparuerit? & reſpondet, quòd priùs ob varias inſidias & tentationes robore & conſolatione egebat; poſt mortem verò Saræ, mors ipſa hoc robur conferebat; nec enim arx eſt tam munita, nec murus tam validus, qui adeò ſuos tueatur incolas, quemadmodum ſeria mortis cogitatio, omnem ab animo tentationem prohibet, atque adverſus inſidias Diaboli, mundi vanitates, & blanditias carnis defendit. *Rupert. in c. 35. Gen.*

Certitudo mortis.

XLVII. De hac rectè Poëta: *Ovid. ad Livia.*

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.

XLVIII. Et alius: *Corn. Gallus.*

Omnibus eſt eadem lethi via: non tamen unus
Eſt vitæ cunctis, exitûque modus.

XLIX. Et iterum alius: *Statius. 2. Sylv. 1.*

Quidquid habet ortus, finem timet: ibimus omnes,
Ibimus, immenſis urnam quatit Æacus umbris.

L. Cui naſci contingit, mori reſtat: intervalliſque diſtinguimur, cætera æquamur. *Cornel. Gall.*

LI. Sed & alius: *Apud Beſſ. conc. 2.*

Eſt commune mori: mors nulli parcit honori:
Dives & fortis veniunt ad funera mortis.

Incertitudo quoad tempus.

LII. Fleres, ſi ſcires, unum tua tempora menſem, *Inchinns. p. 1. c. 23.*
Rides, cùm non ſit forſitan una dies?

LIII. Quis ſcit, an adjiciant hodiernæ craſtina vitæ *Horat. l. 4. odar.*
Tempora Dii ſuperi?

LIV. Iphicrates ſemper in armis ſtare exercitum volebat, etſi in ſolo Amicorum conſiſteret, cauſam rogatus reſpondit: ne ex improviſo obrutus dicere cogat: non putatam. quantò magis idem in militia Chriſtiana faciendum eſt? *Plut. in apopht.*

LV. Annibal, quamdiu Scipionem ſibi inſtare ſciebat, arma nunquam exuit, nec dormivit, niſi vigilantibus Ducibus; quid Scipio ad mortem? meritò ergo Cicero, moriendum, *Cicero in Caton.* inquit, certò eſt, ſed incertum, an eo ipſo die. Mortem igitur omnibus horis impendentem timeas.

Mors deſideranda.

LVI. Quid fles miſer? quid trepidas? omnes hac neceſſitate ducuntur: eò ibis, quò omnia eunt. Ad hanc legem natus es. Hoc *Senec. ep. 78.*

Cc Pa-

Patri tuo accidit, hoc Matri, hoc omnibus ante te, hoc omnibus poſt te. Quantus te populus moriturum ſequetur? quantus concomitabitur? Fortior, ut opinor eſſes, ſi multi tibi commoterentur; multa millia hominum hoc ipſo momento, quo tu mori dubitas, animum variis generibus emittunt; an non putabis, te ad id aliquando perventurum, ad quod ſemper ibas? nullum ſine exitu iter eſt.

Cicer. c. 1. Tuſc. qq. LVII. Pro Dii immortales! quàm iter illud jucundum eſſe debet, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla ſollicitudo futura ſit.

Idem l. 3. LVIII. Nemo cenſet fugiendam eſſe mortem, quàm immortalitas ſequatur. Jam ſenſus moriendi, ſi aliquis eſſe poteſt, is ad exiguum tempus durat, præſertim ſeni: poſt mortem autem aut ſenſus nullus eſt, aut optandus.

Senec. ep. 88. LIX. Stultum eſt, timere, quod non poſſis vitare. Mortem non effugit, qui etiam diſtulit. Moriar nec primus, nec ultimus. omnes me anteceſſerunt, omnes ſequentur: hâc conditione intravi, ut exirem.

Idem de cons. mort. LX. Nullum malum, quod extremum eſt. Mors ad te venit; timenda erat, ſi tecum eſſe poſſet.

Idem in l. de moribus. LXI. Stultum eſt, ſomno delectari, mortem horrere, cùm ſomnus aſſiduus ſit mortis imitatio.

Mors bonorum.

Plut. in Lacon. LXII. Callicratides percontanti, quàm ob cauſam viri fortes glorioſam mortem ignominiæ anteponerent? reſpondit, quoniam alterum naturæ proprium, alterum ſuum eſſe ducunt; nam naturæ beneficio vivunt & ignaviſſimi, at mori fortiter non contingit, niſi virtute præditis.

Langius in polyanth. v. eodem. LXIII. Cygnus interrogatus à Ciconia, cur ante mortem canere liberet? reſpondit, id ob ſpem vitæ melioris, & futuræ felicitatis præſagium provenire, quæ in eo conſiſteret, quòd & à quærendi victûs curâ, & inſidiarum metu abſolveretur.

Senec. ep. 77. LXIV. Quomodo fabula, ſic vita: non quàm diu, ſed quàm bene acta ſit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas. Quocunque voles, deſine: tantùm bonam clauſulam impone.

Mors impiorum.

Senec. in trag. LXV. Illi mors gravis incubat, qui notus nimis omnibus, ignotus moritur ſibi.

Maxim. ſ. 36. LXVI. Bias percontatus, quod genus mortis malum eſſet? quod legibus conſtitutum eſt, reſpondit. hoc enim ſolum propudioſum eſt, utpote ex delictis ortum.

Æneas ſylv. l. 2. comm. LXVII. Fridericus Imper. iis Principibus, qui crudeles fuiſſent, meritò mortem dicebat extimeſcendam, quia, quales ſe aliis præſtitêre, tales in ſe judices inventuri ſunt.

LXVIII. Ariſtoles quærens, cur Olores in morte canant, Sirenes plorent? reſpondet, cauſam eſſe, quia in Cygnis puriſſimus, in Sirenibus verò impurus ſanguis ad cor fluit. Rectiùs tamen hoc de Juſtis & Injuſtis dicitur, ex quibus hi meritò gement in morte, ob impura opera ad cor & memoriam fluentia; illi autem propter conſcientiam rectè factorum meritò gaudebunt, & canent.

§. XIV.

AXIOMATA.

I. Mors ſervat legem, tollit cum paupere Regem.

Todt halt ſein Gſatz ohn Vnderſcheid/
Nimbt ſowol reich/ als arme Leuth.

II. Ad lectum, ad lethum. Ins Beth/ins Grab. Dicebat Lipſius, dum morbo correptus decumbere cœpit.

III. Qualis vita, finis ita.

Wies Leben ſingt/ der Todt nachklingt.
vel
Lebens Gſang/ Todtenklang.)

IV. Qualis mors, talis Sors.

Wie der Baumb fahlt/ alſo ligt er.

§. XV.

AUTHORES.

I. Jeremias Drexelius in Prodromo æternitatis.

II. Gabriel Inchinus de quatuor noviſsimis part. 1.

III. Dionyſius Carthuſianus de quatuor noviſsimis à c. 2. uſque ad 16.

IV. Petrus Caniſius to. 4. de noviſſ.

V. Joannes Buſæus in tom. de ſtatibus hominum. p. 2. de ſtatu morientium.

VI. P. Matthias Faber in concionibus Funebribus. & in conc. 3. de quatuor Domini Adventus.

VII. Ludovicus Granatenſis in locis comm. fol. 803.

VIII. Philippus D'outreman in Pœdagogo Chriſtiano. p. 1. c. 8. §. 4.

IX. Henricus Engelgrav. Embl. 3. p. 2. Luc. Evangel. Item in feſto S. Franciſco Borgiæ p. 2. Cæli Empyrei.

X. Joannes Major in Speculo Magno Exemplorum v. eodem.

XI. Joſephus Langius in Polyanthæa v. eod.

XII. Antonius Dauroltius in Catechiſmo hiſtoriali. c. 8. à tit. 1. uſque ad 14.

XIII. Thomas Stapletonus te. 7. in Dom. 7. & te. 3. Dom. 15. & te. 2. in Dom. 23. & 24. poſt Pent.

XIV. Laurentius Beitlynck in Theatro vitæ humanæ v. eodem. & in promptuario Evang. te. 3. in feſto S. Joan. Evang.

TITULUS XXI.

PASSIO CHRISTI

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

SUnt cruciatus & mors à Chriſto pro generis humani redemptione tolerati; de quibus jam olim Iſaias prædixit: *Iſaia 53. v. 4.* Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum à DEO, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.

Diviſio.

II. Dividitur in Paſſionem *Internam* & *Externam*, ſeu *Corporis* & *Animi*: de quibus *Marc. 10. v. 38.* Chriſtus ipſe olim duobus Filiis Zebedæi dixit: poteſtis bibere *calicem* (quo animi cruciatus indicantur) quem ego bibo: aut *baptiſmo* (per hunc intelligendo corporis cruciatus) quo ego baptizor, baptizari?

Particulares Corporis cruciatus.

III. Fuerunt quinque præcipui, in recitatione Roſarii doloroſi uſurpari ſoliti. Quorum Primus fuit *agonia ſanguinea* Chriſti: quæ ex quatuor cauſis profluxit. 1. Ex conflictu interno, quo ex una parte horror tormentorum & mortis, ex altera Zelus honoris DEI & fructus Redemptionis hominum certabant inter ſe. 2. Ex apprehenſione peccatorum omnium ab hominibus commiſſorum & committendorum, quorum multitudinem, enormitatem, & effectus ponderabat. 3. Ex conſideratione exigui fructûs ex paſſione ſua orti, & perditionis tot animarum: de quibus *Iſ. 49. v. 4.* jam olim per Iſaiam conqueſtus eſt dicens: In vanum laboravi, ſine cauſa, & vanè conſumpſi fortitudinem meam. Ergo judicium meum cum Domino, & opus meum cum DEO meo. 4. Ex conſideratione dolorum & tormentorum, atque afflictionum, quas Martyres & Confeſſores paſſuri eſſent. Hinc S. Laurentius Juſtinianus dixit, quod tunc fuerit lapidatus cum Stephano, crucifixus cum Petro, excoriatus cum Bartholomæo, aſſatus cum Laurentio &c.

IV. Secundus fuit *flagellatio*: quam ipſe *Pſ. 17. v. 18.* indicavit per Pſalmiſtam dicens: Congregata

ſunt ſuper me flagella. Et iterum: ſupra dorſum meum fabricaverunt peccatores, vel, ut *Pſ. 128. v. 3.* alii legunt, araverunt aratores. Fuit autem hæc flagellatio crudeliſſima, multis ex capitibus. 1. Ex parte inſtrumentorum, quæ juxta S. Chryſoſtomum, Euſebium & alios fuerunt virgæ, funes, & catenæ ferreæ, quibus totum corpus adeò laceratum eſt, ut à planta pedis uſque ad verticem non fuerit in eo ſanitas, ut dixit Iſaias. *Iſ. 1. v. 6.* 2. Ex parte Corporis Chriſti, quod erat tenerrimæ & ſenſibiliſſimæ complexionis, multúmque debilitatum agoniâ & tormentis præcedentis noctis. 3. Ex multitudine ictuum, quæ ex revelationibus comperta ſunt exceſſiſſe quinque millia. 4. Ex odio Pontificum, aliorúmq; Judæorum inſtigantium milites, ad acerbam flagellationem.

V. Tertius fuit *coronatio*: quæ & ipſa crudeliſſima fuit, tum ob ſpinas acutiſſimas maximâ violentiâ capiti impactas; tum ob illuſionem militum turpiſſimam concomitantem.

VI. Quartus fuit Crucis bajulatio: quæ oneroſiſſima & moleſtiſſima fuit, tum ob ipſum pondus ligni, tum ob debilitatem exhauſti corporis, tum ob peccata noſtra idipſum vehementiſſimè aggravantia.

VII. Quintus fuit ipſa Crucifixio: quæ doloriſſima fuit tum ob manuum, pedúmque perforationem, tum ob eorundem violentiſſimam extenſionem, tum ob ſanguinis univerſi, ex quo ſitis inexplicabilis orta eſt, effuſionem.

Particulares Cruciatus animæ.

VIII. Etiam hi quinque ſunt præcipui, quorum primus eſt *Derelictio*; quâ tum ipſe derelinquere debuit Matrem, aliáſque cariſſimas Perſonas; tum ipſe derelictus eſt à Patre (ut illa verba indicant: DEUS, DEUS meus, ut quid dereliquiſti me? & à Diſcipulis partim eum tradentibus, & negantibus, partim turpiter fugientibus.

IX. Secundus eſt contemptus: quem jam pridem Iſaias prædixerat, dum dixit: vidimus *Iſ. 53. v. 2.* eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum: deſpectum, & noviſſimum virorum. Quæ Prophetia impleta eſt, cùm & Barrabæ latroni peſſimo poſtpoſitus, & inter ſceleratos duos latrones crucifixus eſt.

X. Tertius eſt *Ignominia*: quæ multiplex illi obtigit, tum per denudationem in flagellatione & crucifixione: tum per tot falſas accuſationes & contumelias: tum per publicam, latronis inſtar, factam captivitatem, condemnationem, eductionem, crucifixionem.

XI. Quartus erat *Illuſio*: quæ tum ab Herode, & illius aula, veſtem albam in ſtultitiæ ſignum ei injiciente: tum à militibus coronam ſpineam ei imponentibus, & arundinem in manus, & purpuram in humeros dantibus, faciémque conſpuentibus, & quâ verbis, quâ feſtibus ſubſannantibus, facta eſt.

XII. Quintus eſt *Injuria* graviſſima; quæ ei per tot falſas accuſationes, per injuſtam flagellationem, condemnationem, & mortem ipſam illata eſt.

Figuræ paſſionis illuſtriores.

Gen. 6. XIII. Prima fuit oſtium in latere arcæ Noë factum; quod ſanctiſſimum lateris Chriſti vulnus repræſentat, ut S. Auguſtinus his verbis indicavit: Oſtium, quod in latere accepit arca, profectò illud eſt vulnus, quando latus Crucifixi lanceâ perforatum eſt; hâc quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta manârunt, quibus credentes initiantur. (S. Aug. l. 15 de civ. c. 26.)

Gen. 22. XIV. Secunda fuit Iſaacus faſciculum ligni portans; & per hoc Chriſtum crucem bajulantem præfigurans; ut enim Abraham faſciculum ligni à dorſo jumenti in humeros Iſaaci tranſtulit; ita DEUS Pater onus Crucis in humeros Chriſti à Peccatoribus tranſportavit.

Gen. 9. XV. Tertia fuit Noë; quemadmodum enim hic fuit juſtus, & invenit gratiam coram DEO, ideóque electus eſt ad genus humanum ab interitu ſervandum; poſtea verò à vino inebriatus, nudatus, & à proprio Filio Cham irriſus eſt; ita Chriſtus tanquam Filius dilectus, in quo ſibi Pater æternus complacuit, ab eodem electus eſt ad totum genus humanum ab æterno interitu ſervandum; ſed & vino earitatis inebriatus, in cruce nudatus eſt, & à Judæis, quos Filiorum loco habuerat, & in Populum acceptabilem elegerat, turpiter irriſus eſt.

XVI. Quarta fuit Joſephus; quia ſicut hic à Juda Fratre Iſmaëlitis & Madianitis viginti argenteis ex invidia venditus eſt; ita Chriſtus à Juda Diſcipulo triginta argenteis venditus eſt Judæis & Gentilibus, & ab illis ex invidia ad Pilatum ductus.

Levit. 16. XVII. Quinta fuit Caper expiatorius pro peccato, ſortibus jactis morti adjudicatus, altero emiſſario dimiſſo; hic enim ſignificat Chriſtum pro peccato humani generis per Judæorum petitionem fuiſſe ad mortem damnatum, Barraba ſcelerato Latrone dimiſſo.

Gen. 22. XVIII. Sexta fuit *aries* cornibus inter vepres hærens, & loco Iſaaci oblatus; ſic enim & Chriſtus pro humano genere eſt immolatus, & inter ſpinas, quibus à Judæis coronatus eſt, hæſit.

Num. 21. XIX. Septima fuit *Serpens aneus* in haſtili exaltatus; ut enim illius aſpectu Iſraëlitæ à morſu ſerpentium virorum ſunt ſanati; ita &, qui in Chriſtum Crucifixum aſpiciunt, ſuámque in eo fiduciam ponunt, à morſu ſerpentis infernalis liberantur, ac ſanantur.

XX. Octava fuit *Botrus* à duobus Viris terram Sanctam explorantibus allatus; hic enim ſignificat Chriſtum Crucifixum in medio duorum Latronum pendentem, quorum ſiniſter tergum illi vertit, ſolus dexter verò illum aſpexit, & ut meminiſſe in regno ſuo velit, rogavit. Num. 13.

XXI. Nona fuit David à Rege Achis pro ſtulto habitus, & ab aula ſua univerſa illuſus; ſic enim & Chriſtus ab Herode & totâ illius aula ſpretus & irriſus fuit. 1. Reg. 21.

XXII. Decima fuit *Samſon* duas columnas geminis brachiis apprehendens, & omnes inimicos ſuos perdens; hic enim Chriſtum brachia in cruce extendentem, ac de Hoſtibus ſuâ morte triumphantem aptè repræſentat. Jud. 16.

XXIII. Undecima fuit *Jonas* in mare ejectus, & tribus diebus in ventre Ceti deliteſcens; ſic enim & Chriſtus in mare tribulationum præcipitatus, tribus diebus in mortis faucibus hæſit. Jon. 2.

XXIV. Duodecima fuit *Agnus Paſchalis* olim à Judæis tempore Paſchatis immolatus; hic enim propriè agnum innocentiſſimum Chriſtum, peccata mundi tollentem repræſentabat; uti fuſiùs tam de hac, quàm præcedentibus figuris Matthias Faber conc. 7. in Fer. 3. Paſch. 1. & in them. 1. in Feria Paraſc. in auctario oſtendit. Exod. 12.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur. Job. 30. v.

II. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Iſ. 50. v.

III. Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam. Pſ. 128. v. 3.

IV. Ecce Agnus DEI, qui tollit peccata mundi. Jo. 1. v. 29.

V. Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. Iſ. 53. v. 7.

VI. Dabo clavem domûs David ſuper humerum ejus. Iſ. 22. v. 22.

VII. Factus eſt principatus ſuper humerum ejus. Iſ. 9. v. 6.

VIII. Foderunt manus meas & pedes meos: Dinumeraverunt oſſa mea. Pſ. 21. v. 18.

IX. Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti, non eſt ei ſpecies, neque decor, vidimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum. Iſ. 53. v. 2.

X. Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Dan. 9 v. 26.

XI. Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manum inimicorum ejus. Jer. 12. v. 7.

XII. Interrogate Gentes, quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Iſraël? Jer. 18. v. 13.

XIII. Ego quaſi Agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & non cognovi, Jer. c. 11. v. 19.

quia

Digitized by Google

quia cogitaverunt ſuper me conſilia dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur ampliùs.

Iſ. 53. v. 7. XIV. Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.

Pſ. 68. v. 22. XV. Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.

Utilitas.

Hebr. 9. v. 13. XVI. Si Sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quantò magis Sanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum DEO viventi?

2. Cor. 8. v. 9. XVII. Scitis gratiam Domini noſtri JESU Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſſetis.

2. Cor. 5. v. 15. XVIII. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut &, qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Itaque nos ex hoc neminem novimus.

Hebr. 12. v. 3. XIX. Recogitare eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes.

Meditatio.

Thren. 1. v. 12. XX O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.

1. Petr. 4. v. 1. XXI. Chriſto in carne paſſo, & vos eâdem cogitatione armamini.

Job. 16. v. 19. XXII. Terra, ne operias ſanguinem meum (per oblivionem) neque inveniat in te locum latendi clamor meus.

Cant. 5. v. 1. XXIII. Veni in hortum meũ (per meditationem) ſoror mea ſponſa; meſſui myrrham (dolorum) cum aromatibus meis (id eſt, virtutibus in paſſione exercitis.

Cant. 3. v. 11. XXIV. Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem veſtrum in diademate, quo coronavit illum Mater ſua in die deſponſationis ſuæ.

Imitatio.

Hebr. 12. v. 2. XXV. Per patientiam curramus ad propoſitum certamen, aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem JESUM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextra DEI ſedet.

1. Petr. 2. v. 21. XXVI. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.

Iſ. 11. v. 12. XXVII. Erlevabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſraël, & diſperſos Juda colliget à quatuor plagis terræ.

2. Reg. 15. v. 21. XXVIII. Vivit Dominus, quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, ſive in vita, ſive in morte, ibi erit ſervus tuus.

§. II.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. O Bone JESU, quid tibi eſt? mori nos debuimus, & tu ſolvis? nos peccavimus, & tu luis? opus ſine exemplo, gratia ſine merito, caritas ſine modo. *S. Bern. in quodlib. ſerm.*

II. O homo, vide, quæ pro te patior: non eſt dolor, ſicut quo crucior: ad te clamo, qui pro te morior: Vide pœnas, quibus afficior: vide clavos, quibus confodior: cùm ſit dolor tantus exterior, interior eſt planctus gravior, cùm te tam ingratum experior. *Idem.*

III. Si totum debeo pro me facto, quid addam jam pro me refecto, & refecto hoc modo? nec enim tam facilè refectus, quàm factus: nam qui me ſemel, & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & geſſit mira, & pertulit dura; nec tantùm dura, ſed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe, &, ubi ſe dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo, quid DEO retribuam pro ſe? nam etiamſi millies me rependere poſſem, quid ſum ego ad DEUM? *Idem de dilig. Deo.*

IV. Domine, qui tibi non ſervit, quia creatus eſt, infernum meruit; ſed qui non ſervit tibi, quia redemptus eſt, meretur, ut novus pro ipſe infernus fiat. *S. Aug.*

V. Crux Chriſti non tantùm eſt lectulus morientis, ſed etiam cathedra docentis. *Idem tr. 119. in Io.*

VI. Cùm poſſet nobis etiam non moriendo ſuccurrere, voluit tamen hominibus moriendo ſubvenire, quia nos videlicet minùs amâſſet, nec vim dilectionis ſuæ nobis oſtenderet, niſi hoc, quod à nobis tolleret, ad tempus ipſe ſuſtineret. *S. Greg. l. moral.*

VII. Sitio, inquit Dominus; Domine, quid ſitis? Ergone te plus cruciat ſitis, quàm crux? de cruce ſiles, & de ſiti clamas? ſitio. Quid? veſtram fidem, veſtram ſalutem, veſtrum gaudium; plùs animarum veſtrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenet. *S. Bern. in ſer.*

VIII. O amoris vim! itáne ſummus omnium viliſſimus factus eſt omnium? quis hoc fecit? amor dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? triumphat de DEO amor. Quid tamen jam non violentum? amor eſt. Quæ eſt iſta vis, quæſo, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? *S. Bern. ſ. 64. in Cant.*

IX. Ex conſideratione remedij, periculi mei æſtimo quantitatem. Neſciebam, ſanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis Filius, Filius DEI, altiſſimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioſo ſanguinis illius balſamo medeatur. Agnoſce, ô homo, quàm gravia ſint vulnera tua, pro quibus neceſſe eſt Domi- *S. Bern. ſ. 3. de Nativit.*

num Chriſtum vulnerari. Si non eſſent hæc ad mortem, & ad mortem ſempiternam, nunquam pro eorum remedio DEI Filius moreretur.

Utilitas.

S. Damaſ. lib. 4. X. Crux Chriſti clavis eſt Paradiſi, hæc infirmorum baculus, paſtorum virga, convertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ ſalus & corporis, omnium malorum averſio, bonorum omnium datrix.

S. Bern. ſ. 22. ſup. Cant. XI. Paſſio tua, Domine JESU, ultimum eſt refugium, ſingulare remedium: deficiente Sapientia, Juſtitia non ſufficiente, ſanctitatis ſuccumbentibus meritis, illa ſuccurrit. Cùm enim defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido. Scio, quid faciam. Calicem ſalutaris accipiam; ſcio, quòd merita mea non ſufficiant, ego verò fideliter, quando ex me mihi deeſt, uſurpo ex viſceribus Domini, quoniam miſericordiâ affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant: foderunt manus meas, & pedes meos, & latus lanceâ foraverunt. Et per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleum de ſaxo, & videre, & guſtare, quàm ſuavis eſt Dominus.

S. Aug. l. 5. contra hæreſ. XII. Fuſus eſt ſanguis medici, & factus eſt medicamentum phrenetici.

Rabanus de laude Crucis. XIII. Paſſio Chriſti cælum ſuſtentat, mundum regit, tartarum perfodit, in ea confirmantur Angeli, redimuntur Populi, convertuntur Inimici: ſtabiliuntur ſubſiſtentia, animantur viventia, conſentiunt ſentientia, illuſtrantur intelligentia.

S. Leo in ſ. 7. menſ. XIV. Effuſio ſanguinis juſti pro injuſtis, tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut, ſi univerſitas captivorum in redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.

S. Bern. ſ. 76. XV. Nobis aſſumpſit, quæ pro nobis ſuſtinuit, naſci, lactari, mori, ſepeliri: mea eſt mortalitas nati, mea infirmitas parvuli, mea expiratio crucifixi, mea dormitio ſepulti.

S. Leo ſ. 9. de quadr. XVI. Audite ac percipite ſublimiſſimum divinæ miſericordiæ Sacramentum; nam certa atque ſecura eſt exſpectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio dominicæ paſſionis.

S. Laur. Juſtin. XVII. Nulla ſalubrior ad mentis conſtruendum habitaculum cogitatio reperitur, quàm Paſſionis Chriſti; per ipſam quippe humanæ ſalutis reſtauratio, & ineffabilis DEI ad homines agnoſcitur ſumma dilectio. Nemo aliunde divinæ caritatis æternum fontem deguſtat meliùs, quàm in hujuſmodi attenta, ſedulâque meditatione.

Origen. apud Fabr. conc. 6. in Dom. Paſſ. XVIII. Certum eſt, quia, ubi mors Chriſti animo circumfertur, non poteſt regnare peccatum. Eſt enim tanta vis crucis, ut, ſi ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita ut in ipſam mortem Chriſti intentis mentis oculis inſpiciatur, nulla concupiſcentia, nulla libido, nullus furor, nulla ſuperare poſſit invidia, ſed continuè ad ejus præſentiam totus ille peccati, & carnis fugatur exercitus.

XIX. Multos DEI Filios unicus fecit DEI Filius: ſibi acquiſivit Fratres ſuo ſanguine: approbavit illos, cùm ipſe reprobaretur: redemit eos, cùm ipſe caperetur: manumiſit eos, cùm ipſe venderetur: condecoravit illos, dum ipſe dedecoraretur: reſuſcitavit eos, dum ipſe moreretur. *S. Aug. apud eund. conc. 6. in Paraſc.*

XX. Quis tam irreligioſus, qui non compungatur? quis tam inſolens, ut non humilietur? quis tam iracundus, ut non indulgeat? quis tam delicioſus, ut non abſtineat? quis tam flagitioſus, ut non contineat? quis tam malitioſus, ut non pœniteat his diebus? meritò quidem, nempe adeſt Paſſio Domini, uſque hodiè terram movens, petras ſcindens. *S. Bern. ſ. 4. hebd. ſacr.*

XXI. Ante Crucem ſcalâ carebat cælum, nec Abraham, nec Jacob, nec David aſcendere valebant, nec ullus hominum, appoſita eſt ſcala, erecta eſt Crux, in cælum aſcenſus patet, ſcalam vides è terra in cælum uſque pertingentem, dum Crucem intueris. Scala cælos attingens Crucis figuram habet; Dominus innixus ſcalæ, Chriſtus crucifixus oſtenditur. *S. Aug. ſ. 79. de temp.*

XXII. Certè & crux ſpecioſa eſt; & Crux amari poteſt, & Crux habet exultationem. Ita eſt, Fratres mei, ſi fuerit, qui colligat ſemper lignum Crucis, vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ ſtillat, balſamum ſudat ſpiritualium chariſmatum. Non eſt ſilveſtris arbor, lignum vitæ eſt apprehendentibus eam, arbor frugifera, arbor ſalutifera eſt, alioqui quomodo dominicam occuparet terram? *S. Bern. ſ. de S. Andrea.*

XXIII. Crux facta eſt ſtatera corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. Cùm enim ipſe crucifigeretur, appenſa ſunt cum ipſo peccata, quæ commiſimus, calamitas, quam incurrimus. Ipſe erat innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis converſatio illius; non enim peccatum fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Et quoniam talis ac tantus tam indigna dignatus in cruce pati, præponderare cœpit calamitas, & crimina levigari. Cùm adhuc tamen in cruce erectus ſtaret, vacillare videbatur ſtatera, nec planè cognoſcebatur, quò cadere deberet; inclinato tamen capite emiſit Spiritum, ut calamitas præponderando caderet, & quaſi arena maris gravior appareret. *S. Bern. ſer. 2. Paſch. ſ. de duob. Diſcip.*

Meditatio.

XXIV. Inſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redientis, cicatrices reſurgentis. Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint, cogitate; hæc in ſtatera veſtri cordis appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce. *S. Aug. in lib. de Virg.*

XXV. In Paſſione Domini tria ſpecialiter convenit intueri, opus, modum, cauſam; nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in cauſa caritas commendatur. Patientia ſingularis, humilitas admirabilis, ſed caritas inæſtimabilis. *S. Bern. in ſer. 4. hebd. Sacr.*

XXVI.

S. Bonav. de paſſ. XXVI. Si vis, ô homo, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in meliùs proficere; quotidie, quantâ potes devotione, mediteris Dominicam paſſionem; nihil enim in anima ita operatur univerſalem ſanctificationem, ſicut meditatio Paſſionis Chriſti.

B. Albert. Magn. tr. de miſſ. XXVII. Simplex recordatio vel meditatio Paſſionis Chriſti plùs valet, quàm ſi quis per annum jejunaret in pane & aqua, quâlibet ſextâ feriâ, vel diſciplinaret ſe quâlibet hebdomade uſque ad effuſionem ſanguinis, vel quotidie legeret Pſalterium.

Compaſſio.

Bern. de Buſto. ſ. 15. in fer. XXVIII. Magis meretur vel unam ſolùm lacrymam emittens, ob memoriam Paſſionis Chriſti, quàm ſi uſque ad terram promiſſionis peregrinaretur.

S. Hier. ſuper Matth. XXIX. Omnis creatura compatitur Chriſto morienti. Sol obſcuratur, terra movetur, petræ ſcinduntur, velum templi dividitur, ſepulchra aperiuntur, ſolus homo miſer non compatitur, pro quo ſolo Chriſtus patitur.

Imitatio.

S. Bern. de dilig. Deo. XXX. Etſi cetera taceam, hoc ſolo non immeritò ſibi vendicat vitam noſtram, quia pro ea poſuit ſuam. Nemo igitur ſibi vivat, ſed ei, qui pro ſe mortuus eſt; cui enim juſtiùs vivam, quàm ei, qui, ſi non moreretur, ego non viverem?

S. Auguſt. in ſ. quadr. XXXI. Congruit noſtræ devotioni, ut, qui Domini Crucifixi Paſſionem celebraturi ſumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipſi etiam faciamus.

S. Bonav. XXXII. Nolo, Domine, vivere ſine vulnere, quia te video vulneratum.

S. Bern. ſ. 21. in Cant. XXXIII. Quàm pauci, Domine JESU, poſt te ire volunt, cùm tamen ad te pervenire nemo ſit, qui nolit, hoc ſcientibus cunctis, quia delectationes à dextra tua uſque in finem. Et propterea volunt omnes te frui, at non ita & imitari. Conregnare cupiunt, ſed non pati. Non curant quærere, quem tamen deſiderant invenire, cupientes conſequi, ſed non & ſequi. Non ſic illi, quibus ajebat: vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tribulationibus.

S. Bern. ſ. 5. in feſto omnium SS. XXXIV. O Regem! ô diadema! pudeat ſectari gloriam membra, quibus caput ſuum tam inglorium exhibetur. Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum.

S. Auguſt. ſ. 18. in Matth. XXXV. Dicit Chriſtus homini ægro: bibe calicem tentationum & tribulationum, ut ſanetis, & vivas. Et ne reſponderet ei languidus: non poſſum, non fero, non bibo, prior bibit Medicus ſanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. Qui enim amarum eſt in tali poculo, quod ille non biberit?

S. Bern. XXXVI. Super omnia te mihi amabilem reddit, ô bone JESU, calix, quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis; hoc enim omnino amorem noſtrum ſibi vendicat, hoc, inquam, devotionem noſtram blandiùs allicit, juſtius exigit, arctiùs ſtringit, & vehementiùs afficit.

S. Laur. Iuſtin. de caſt. connub. c. 8. XXXVII. Cujus ſaxeum pectus non emolliant vulnera Salvatoris? quis pati renuet patiente Domino? crucifixus ſiquidem reliquit exemplum, ut ſequamur ipſius veſtigia. Proinde nullus à doloribus Chriſti debet fieri alienus, nemo extraneus ſit communione ſponſi, ſi gaudij illius cupit eſſe guſtator. Præceſſit Gigas ingens, & Paſſionis ſubijt certamen, ut cæteri ei militantes ſimilia ſuſtinere non paveant. Verecundum quippe eſt, ut irrumpente Duce cuneos tribulationum, reliqui imitari dedignentur. Non eſt abjectum in ſervo, quod præceſſit in Domino. Dolorem ſervi dolor lenit Domini. Paſſio paſſione vincitur, & cruciatibus cruciatus ſuperatur.

Æquitas.

Euſebius Emiſſenus in hom. de Paſch. XXXVIII. Extendit homo inobediens præſumptuoſas manus ſuas ad arborem vetitam: extendi ego manus meas innocentes ad arborem crucis. Per lignum commiſſum eſt peccatum: per aliud lignum ablatum eſt peccatum. Peccavit homo guſtans ſuavitatem arboris prohibitæ, ſatisfactum eſt pro illo peccato ſelle & aceto, quod propter illud ebibi. Homo condemnatus eſt propter ſuperbiam, affectans DEO ſimilitudinem, humiliata eſt mea divinitas propter culpam illius ſuperbiæ, & oblata eſt Majeſtas pro delicto in ipſam majeſtatem commiſſo. Præter hæc omnia homo debitor erat mortis, & oportuit illud debitum exolvi: ideo mortalem naturam aſſumpſi, & mortem meam pro morte illa obtuli.

S. Athan. l. de Incarn. XXXIX. Par erat, ut Dominns hoc modo mortem ſuſtineret, manúſque ejus extenderentur, ut hâc quidem veterem Populum, illâ verò Gentiles attraheret, & ambos in ſe conjungeret. Id enim ipſe dixit, indicans, quâ morte omnes redempturus eſſet. Cùm exaltatus fuero, inquit, omnes ad me traham.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Utilitas.

L. 1. c. 25. §. 6. I. Religioſus, qui ſe intentè & devotè in Paſſione Domini exercet, omnia utilia & neceſſaria ſibi abundanter ibi inveniet: nec opus eſt, ut extra JESUM aliquid meliùs quærat.

Ibid. II. O ſi JESUS crucifixus in cor noſtrum veniret, quàm citò & ſufficienter docti eſſemus!

L. 2. c. 1. §. 4. III. Si neſcis ſpeculari alta & cæleſtia, requieſce in Paſſione Chriſti, & in ſacris ejus vulneribus libenter habita. Si enim ad vulnera & pretioſa ſtigmata JESU devotè confugis, magnam in tribulatione confortationem ſenties; nec multùm curabis hominum deſpectiones, faciliterque verba detrahentia perferes.

IV. Quid

L. 3. c. 19. §. 1. IV. Quid eſt, quod loqueris, Fili? Ceſſa conqueri, conſideratâ meâ & aliorum Sanctorum paſſione. Nondum uſque ad ſanquinem reſtitiſti.

Imitatio.

L. 2. c. 12. §. 7. V. Tota vita Chriſti crux fuit & Martyrium, & tu quæris requiem & gaudium?

L. 2. c. 12. §. 4. VI. Nemo ſira cordialiter ſentit paſſionem Chriſti, ſicut is, cui contigerit ſimilia pati.

§. V.

EXEMPLA CHRISTIANA.

Meditatio Paſſionis.

In revel. S. Birg. l. 2. c. 21. I. B. Virgo de ſeipſa olim dixit: In ſepulchro Filij mei ſemper cogitatio & cor meum verſabatur.

Ib. l. 2. c. 10. II. S. Catharina Filia S. Birgittæ ante dormitionem per quatuor horas continuas, in genuflexionibus & pectoris tunſionibus, cũ lacrymis multis, ob recordationem amariſſimæ paſſionis Chriſti, omni veſpere in holocauſtum ſe Domini offerebat.

Ib. c. 26. III. De S. Laurentio M. B. Virgo S. Birgittæ dixit: Imprime tibi monile Paſſionis Filij mei, ſicut S. Laurentius impreſſit. Ipſe enim cogitabat quotidie in mente ſua ſic: Dominus meus ipſe eſt DEUS meus, ego verò ſervus. Ipſe Dominus JESUS Chriſtus fuit nudatus & deriſus, quomodo ergo decet, ut ego ſervus veſtiar delicatioribus? ipſe fuit flagellatus & affixus ligno, non decet ergo, ut ego, qui ſervus ſum, ſim abſque dolore & tribulatione.

1. Cor. 2. v. 2. IV. S. Paulus tam aſſiduus erat in meditanda & prædicanda Chriſti paſſione, ut dicere auderet, ſe nihil ſcire, niſi JESUM Chriſtum, & hunc crucifixum.

Silveſt. in roſ. aur. 1. 4. V. Cùm S. Maria Magdalena poſtquam ſe in Eremum contulerat, ſupplex à DEO petijſſet, ut, quâ in re potiſſimùm ſe occuparet, oſtendere dignaretur, S. Michaël Archangelus ei crucem pulcherrimam in aditu ſpeluncæ ſic conſtituit, ut in oculos Magdalenæ ſemper incurreret, neque illam unquam myſteriorum paſſaturum oblivîſci pateretur.

Chron. S. Franc. p. 6. l. 1. c. 46. VI. S. Franciſcus Seraphicus cùm aliquando prope Portiunculam ſingultibus, ſuſpirijſque indulgeret, cauſam hujus rogatus reſpondit: Quidni tam diris cruciatibus Domino meo Jeſu immerentiſſimo culpâ noſtrâ illatis, quos videam in tanta omnium noſtrûm oblivione jacere, illacrymem?

Ludolphus de Sax. in Vita Chriſti. VII. Quidam Eremita certior fieri cupiens, quibus maximè obſequijs divinum Numen demereri poſſet? ſemel Chriſtum nudum, plagis lividum, & cruce onuſtum conſpicuum habuit, qui ei dixit, rem ſibi gratiſſimam fore, ſi ejus cultores in cruce ferenda eum adjuvarent; hoc autem facturos, ſi recordatione ſuorum cruciatuum eū proſecuti, partem eorum in ſui cordis ſenſum derivârint.

Thomas Cantipr. l. 1. de apibus c. ult. VIII. Captivus quidam ſemper triſtis, cùm Tyraño triſtitiæ cauſam quærenti reſpondiſſet; ſe Paſſionis Chriſti Stigmata in pectore ferre, quæ lætum eſſe non ſinerent, Tyrannus hoc experiri volens cor evelli juſſit, & in altera quidem parte poſt diviſionem, crucifixi Chriſti imaginem, in altera quaſi ſigillum ejus reperit. Unde credens & ipſe in Chriſtum, cum omnibus ſuis baptizatus eſt.

Spec. Ex. diſt. 5. ex. 28. IX. Quidam Peregrinus cùm ſacra loca Jeroſolymis viſitaret, ubi ad montem oliveti venit, tanto deſiderio patiendi cum Chriſto, & propter ipſum moriendi, incenſus eſt, ut rupto corde exſpirârit.

Surius in Vit. c. 3. 16. Nov. X. S. Edmundus cùm adhuc Puerulus Chriſtum Puerum vidiſſet, legiſſétque in ejus fronte titulum crucis ejus: JESUS Nazarenus Rex Judæorum: ab eo tempore, nocte & die Paſſionem Chriſti animo verſare, in eâque meditanda medullitus delectari cæpit.

Riber. in vita. XI. S. Thereſia de ſeipſa ſic ſcripſit: Conabar mihi ſæpiùs repræſentare JESUM, & optimè habebam in meditatione myſteriorum, ubi ſolus erat; videbatúrque mihi, quòd ſic afflictus non poſſet me reijcere accedentem, ut ſolatio ei forem. Specialiter ejus conſortium quærebam in oratione in horto, ibi frequenter conſiderabam ejus afflictionem & ſudorem, cupiebámque, ſi poſſibile foret, ejus faciem & ſudorem moleſtum abſtergere, ſed memini, me nunquam id auſam, utpote peccatorum multitudine deterritam; interim ſtabam diu cum eo multis afflicta cogitationibus. Jam à pluribus annis maxima parte noctium poſtquam decubuiſſem, ſolebam de hoc myſterio cogitare, etiam ante, quàm ſtatum Religioſum aſſumerem, & exiſtimo, plurimùm inde profectûs ſpiritualis me conſecutam.

Surius in Vita. XII. B. Clara de Monte Falco in JESU crucifixo ſive vigilans, ſive dormiens hærebat. Cùm ſemel in hoc exercitio graviter confixa fuiſſet, apparuit ei Juvenis humeris crucem ferens, & dicens: Filia mea Clara, quæſivi locum ſolidum, in quo hanc crucem plantarem, & inveni cor tuum: ibi eam figere volo, oportet ergo, ut moriaris in hac cruce, ſi Filia mea & hæres vis eſſe. Exinde adeò impreſſum cordi habuit Paſſionis myſterium, ut, quidquid comederet, vel biberet, ei amarum foret in memoria paſſionis, & quidquid videret, intelligeret, & diceret, ſelle crucis Chriſti reſperſum crederetur. Unde poſt mortem omnia inſtrumenta Paſſionis cum ipſo crucifixo, cordi impreſſa cernebantur.

Marchant. tr. 3. lect. 20. XIII. B. Didacus Ordinis Minorum Laicus paſſionem Domini brachijs expanſis meditabatur, ſempérque in manibus ligneam crucem habebat, omni hora in ſe & alijs excitans memoriam paſſionis Chriſti. Quam & morti vicinus amplexus & deoſculatus dixit: Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera &c. & inter hæc verba animam exhalavit.

Ribad. in Vita. XIV. S. Edmundus in agone crucifixi imaginem amplectens, lacrymis eam rigabat, & velut ſugens ex latere, magno Spiritu dicebat: a-

modo

modo haurietis aquas cum gaudio de fonte Salvatoris; & poſt hæc verba mortuus eſt.

S. Bern. ſuper Cant.

XV. S. Bernardus de ſeipſo dicebat ad Fratres: Ego ab ineunte mea converſatione pro acervo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, faſciculum hunc colligare curavi collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Primum ſcilicet infantilium illarum neceſſitatum: deinde laborum, quos pertulit in prædicando: fatigationum in diſcurrendo: vigiliarum in orando: tentationum in jejunando: lacrymarum in compatiendo: inſidiarum in colloquendo: poſtremò periculorum in falſis Fratribus: convitiorum, ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobrationum, clavorum, horúmque ſimilium.

Utilitas.

Engelgr. in Dom. Quinqu. §. 3.

XVI. Dum S. Joannes Evangeliſta adhuc in terris exiſtens arderet videre Deiparam glorioſam, illa ipſi apparens benè longum cum eo de cruciatibus Chriſti ſermonem texuit, & inter alia dixit, Filium ſuum ei, qui jugiter Paſſionem ejus recoleret, tres prærogativas conceſſurum. 1. Ut ante mortem ferventis contritionis actum exercere poſſit. 2. Ut Deipara in agone ipſum ſpecialiter defendat. 3. Ut per ipſam quidvis impetrare poſſit.

Bloſ. c. 2. monil.

XVII. S. Gertrudis divinitus diſcebat, quoties quis Chriſti Crucifixi imaginem animo piè commoto aſpexerit, toties divinæ pietatis oculum ei adverti.

Vincent. in ſpec. hiſt. Surius in vit.

XVIII. S. Edmundo adhuc Puerulo Chriſtus apparens ſuaſit, ut quotidie aliquod myſterium vitæ aut Paſſionis ſuæ meditaretur; id enim ei contra quaſvis tentationes, ad comparandas etiam, conſervandáſque virtutes, & tandem ad mortem feliciter obeundam, ſingulare præſidium fore.

Spec. Exempl. diſt. 6. ex. 101.

XIX. Paſſionis Chriſti merito, Frater quidam ſine purgatorio ad cælos tranſivit, quia, quoties propè crucifixum tranſierat, rogavit Chriſtum, ut propter amaritudinem in cruce toleratam, in egreſſu animæ ſuæ miſereatur.

Ibid. diſt. 9. ex. 159.

XX. Cuidam Juveni Religioſo apoſtatare volenti apparens Chriſtus, latúſque diſcooperiens, & ſanguinem effluentem oſtendens, juſſit reverti ad Monaſterium, & omnia rigoroſa ordinis ſui intingere in latus iſtud, & mox in dulcedinem vertenda dixit. Quod ille audiens rediit, ſanctéque vixit.

Ludolph. de Saxon. p. 2. c. 58.

XXI. Cùm quidam Religioſus initio ſuæ converſionis aliquando graviſſima deſperatione oppreſſus, in cellula ſua triſtis ſederet, audivit vocem dicentem: Surge, & meam paſſionem devotè pertracta, & in amaritudine mea tuum dolorem vinces. Surrexit, & liberatus eſt.

Surius 27. ſept. c. 23.

XXII. S. Elzearius Comes conſideratione Paſſionis Dominicæ ad tantam in omnibus adverſis patientiam pervenit, ut, licet graviſſimis affectus injurijs fuiſſet, nunquam impatienter aliquid dixiſſe vel egiſſe ſciretur. Unde & eandem in agone ſibi prælegi jubebat; & licet terribilem ab initio vultum tunc oſtenderit, paulò pòſt tamen dixit: magna eſt dœmonum vis, ſed eam penitus enervârunt virtus & merita SS. Paſſionis.

Marchant. tr. 3. lect. 18. prop. 1.

XXIII. Godefridus Bullonius, cùm electus eſſet primus Rex Jeroſolymæ, nunquam voluit uſurpare titulum Regis, nec coronam ſibi imponi permiſit, indignum exiſtimans, ut ſervus coronaretur auro in eo loco, ubi ſummi Regis caput ſpinis coronatum eſt.

Ibid. lect. 21.

XXIV. S. Hieronymus de ſe dixit: cùm graviſſimis urgerer tentationibus, ſedebam ad pectus JESU, & pectus percutiens ſæpe ibi multos dies & noctes tranſegi, donec rediret animæ tranquillitas. Ibi quoque ſapientes animæ ſederunt, ut ſpientiam haurirent.

Ibid.

XXV. B. Bonaventura rogatus à S. Thoma Aquinate, ut bibliothecam oſtenderet, ex qua tam ſublimem ſcientiam hauſiſſet, Crucifixi imaginem oſculis & lacrymis detritam oſtendit.

Imitatio.

Chron. min. l. 1. c. 105.

XXVI. S. Franciſcus petens à DEO, quo exercitio maximè DEO placere poſſet, ter Miſſale aperuit, ſempérque Paſſionem repent.

Annua Soc. 1589. f. 21.

XXVII. Florentiæ cùm Virgo quædam ad puteum, ſe præcipitatura, pergeret, ne Sodalis ſuæ aſperitatem diutius ferre cogeretur, Chriſtus ei apparens dixit: Redi ad te mulier parvi animi, & cogitans, quos ego, quantóſque cruciatus amore tui pertulerim, ſororis tuæ voculas inſuper habere diſce.

Sur. 30. April.

XXVIII. S. Catharina Senenſis cùm Chriſtus ei cum corona aurea in dextra, & ſpineâ in ſiniſtra apparuiſſet, optionémque alterutrius reliquiſſet, illa magno fervore ſpineam elegit, capitíque ſuo tam firmiter impreſſit, ut longo tempore gravem inde dolorem ſenſerit.

Sur. 10. Dec.

XXIX. S. Eulalia cùm toto corpore ferreis pectinibus dilacerata fuiſſet, exultans ad Chriſtum dixit: Nunc, ô mi Sponſe, & Redemptor, quàm bene reſplendet in me per vulnera iſta, viva tui imago: & characteres iſti in corpore meo per ſanguinem meum exarati, quàm ad vivum mihi exprimunt, & repræſentant ipſam paſſionem tuam.

Sur. 18. Auguſt.

XXX. S. Agapitus puer quindecim annorum virgis, nervis, igne, fumo, aqua bulliente, & alijs tormentis excruciatus, cùm in capite ejus carbones congererentur, gratias agens DEO dixit: Parva res eſt, ſi caput coronandum in cælo, prunis coronetur in terris. O quàm decorabit corona gloriæ plagas & vulnera excepta pro Chriſto.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Lyraus l. 1. apopht. 17.

I. S. Ignatius tanto recolendæ Paſſionis ardore ſuccenſus fuit, ut ordinariè in Miſſa, quam in converſionis ſuæ primordio audiebat, Paſſionem legeret. Eundem in finem palmarem Crucifixi effigiem circumgeſtare in pectore ſolebat. Cúmque poſtea ab Amicis nul-

nulla ratione perſuaderi potuiſſet, ut paternam domum inviſeret, per Paſſionem Domini tandem rogatus conſenſit. Sed & in Gallia Ciſalpina ab Hiſpanis pro exploratore habitus cum inſignibus contumelija exciperetur, Chriſtum ab Herode illuſum ſibi proponens, ſumma cum patientia tulit injuriam.

Vita l. 1. c. 3.

II. S. Franciſcus Xaverius ad omnem ſanctitatem incitabatur præcipuè crebrâ vitæ, mortíſque Domini noſtri Meditatione, ex qua exardeſcebat in illo humanæ ſalutis & Martyrij cupido, totúmque ſe ad illius imitationem pro illius gloria & ſalute hominum devovendi. Tanto verò affectu Japonenſibus adhuc Ethnicis Chriſti Paſſionem explicabat, ut lacrymas illis excuteret.

L. 4. c. 5.

Orland. l. 3. n. 37. & Lyraeus l. c.

III. P. Petrus Faber in inchoandis horis Canonicis, in acerbiſſimos Chriſti cruciatus figebat aſpectum, & ut in pſallendo progrediebatur, ita in reputandis acrioribus ejus pœnis atque doloribus procedebat. Valliſoleti cuidam viro primario modum orandi & meditandi petenti, hæc quatuor puncta præſcripſit. 1. Chriſtus Dominus noſter fuit omnium rerum egenus, & ego omnium dives. 2. Chriſtus eſurijt, & ego lautè vivo. 3. Chriſtus Servator meus in cruce nudus pendet, & ego ſplendidè veſtibus incedo. 4. JESUS doloribus & laboribus oppreſſus fatiſcit, & ego delicatus pati nihil valeo. Quæ quidem capita vir ille ab initio non magni fecit, ſed poſtea inter convivium verſanti adeò inhæſerunt, ut, quò lacrymis & affectibus liberiùs indulgeret, è menſa ſurgere, & in conclave ſecedere fuerit coactus.

Hiſt. Soc. P. 4. l. 7. n. 246.

IV. P. Simon Rodericius, ne Crucis obliviſceretur, ejuſdem imaginem palmarem pectori inſculpſit. Quem ipſum in finem etiam prægrandem è ligno crucem in cubiculo habebat, ad quam, lucente ante eam lampade noctu evigilans animum oculóſque elevabat.

H. ſ. p. 1. l. 12. n. 36.

V. P. Claudius Inius quotidie unum è ſacris Chriſti cruciatibus tetractabat.

Ib. p. 2.

VI. P. Franciſcus Villanova in ſuis Meditationibus non aliam ſumebat materiam, quàm vitam & Paſſionem Chriſti, dictitans, ſubliniores materias ſe in cælum ſervare.

Annuæ 1610.

VII. P. Thomas Sanchez die Veneris ad honorem S. Paſſionis flagello ſe cæcidit, cilicium tulit, & toto penè die illa cogitavit.

Vita c. 3. §. 2.

VIII. P. Balthaſar Alvarez rogatus, quem modum in orando teneret, cùm adhuc junior eſſet, reſpondit, ſibi ſtatim in ipſo ingreſſu offerri ſanctiſſimos Chriſti Crucifixi pedes, quos ipſe primùm adorabat, & ad eos conſtitutum, ſe meditari altiſſimam omnium virtutum lectionem, quam ex Cathedra ſupremus ille Magiſter docuit; ex quo valde accendebatur ad ſe mortificandum, crucíque affigendum; ad juvandos quoque proximos, pro quorum amore tantus Magiſter tot labores ſoſtinuit. Hortabatur verò omnes incipientes ad meditandam Chriſti paſſionem tanquam ſpiritualis eorum profectus fontem; & in ordinarija ſuis exhortationibus frequenter hoc repetebat: ne exiſtimemus, nos aliquid feciſſe, donec eò perveniamus, ut ſemper Chriſtum crucifixum in corde habeamus. Semper Chriſti crucifixi imaginem in cubiculo habebat, in quem frequenter aſpiciebat. Præcipuo tamen ſtudio in Chriſto crucifixo tres ejus comites, ſcilicet Paupertatem, contemptum, & dolores conſiderabat, & in ſe transferre ſtudebat.

Lyraeus l. 1. apoph. 17.

IX. P. Caſpar Paranymphus ad memoriam Paſſionis inter Populares ſuos in Sicilia excitandam effecit, ut Feriâ ſextâ ſub meridiem ære campano ſignum daretur; ſed & paſſim ædiculæ parvæ excitarentur.

Ibid.

X. P. Didacus Martinius, ut memoriam Paſſionis Chriſti, quam interdiu ſemper fovebat, etiam de nocte conſervaret, caput aſperrimo cilicio obvolvebat.

Ibid.

XI. P. Joſephus Anchieta fideli Amico ſuo narravit, ſe eùm in receſſu annuo de cruciatibus Chriſti meditaretur, magnam eorum partem cum acerbiſſimo dolore ſenſiſſe.

Ibid.

XII. P. Ferdinandus Suarez totum cubiculum ſuum crucibus inſtruxit, quas perpetuò amplecteretur.

Ibid.

XIII. P. Joannem Gondinum quâcunque noctis horâ conveniſſes, coram crucifixi Servatoris imagine deprecantem inveniſſes.

Vit. p. 2. ſ. 158.

XIV. Joannes Berchmannus dicere ſolebat, in rebus adverſis non eſſe tutiùs Aſylum, quàm ſinum, plagáſque Chriſti, & pallium B. V.

§. VII.

EXEMPLA PROFANA.

S. Ign. Ep. ad Polycarp.

I. Pilato ſedente ad tribunal, miſit ad eum Uxor dicens: Nihil tibi & juſto illi: multa enim ſum paſſa hodie per viſum propter eum. Cujus rei S. Ignatius Epiſcopus cauſam aſſignat his verbis: Cùm paranda eſſet crux, Diabolus tumultuabatur, & pœnitentiam immiſit Proditori, & laqueum illi monſtravit, & ſuſpendium, quo ſtrangularetur, edocuit; & Mulierculam turbans eandem in ſomnijs, ut à crucifigendo ceſſarent, inducere moliebatur, qui priùs omnem lapidem moverat, ut eadem Crux pararetur, non quòd pœnitudine duceretur, ob tantum malum (hâc enim parte fuiſſet minùs ſceleratus) ſed quia propriam ſuam perniciem ſentiebat.

Dauroli c. 1. tit. 92. §. 8.

II. Pilatus, qui ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, & ipſe Viennæ perpetuum in exilium relegatus eſt, tantíſque (irrogante Cajo) languoribus coarctatus, ut ſuâ ſe manu transverberans, multorum malum compendium mortis celeritate quæſierit.

Ibid. tit. 45. §. 5.

III. Ad Proceres Francos in bello captivos olim Saracenus acceſſit, quæſivitque, num in Chriſtum pro ipſis crucifixum, & reſurgentem crederent? quibus ita ſe credere affirmantibus, addidit, eos nec fracto, nec mœſto animo eſſe debere, ſi tantulam calamitatem ſubirent ejus nomine, qui extrema ſupplicia pro ipſis exantlâſſet; nondum enim ad mortem uſque

ipſos

ipſos decertâſſe. Quòd ſi tantæ ſit poteſtatis, ut propriâ virtute à mortuis reſurgere potuerit, dubitandum non eſſe, quin ipſos etiam brevi ex ſuis calamitatibus eximeret; id quod eventus probavit.

Spec. Exempl. diſt. 9. ex. 161.
IV. Cùm quidam Peregrinus cum Saraceno in die Paraſceves, per ſilvam iter faciens, omnes aves quaſi mortuas in arboribus ſuſpenſas hærere vidiſſet, poſtea verò in feſto Paſchatis rediens iterum redivivas, & ſuaviter canentes audiviſſet, quærens cauſam ex Saraceno, intellexit, ſingulis annis eo tempore id accidere, atque adeò illas patienti Chriſto condolente collegit.

Matth. 27.
V. Dum Chriſtus emiſit Spiritum, velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum, terra mota eſt, & petræ ſciſſæ, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis.

Fab. conc. 9. in Paraſceve.
VI. Regulus quidam Gentilis, Obo nomine, cùm audiſſet DEI Filium tam indigna morte mulctatum fuiſſe, ità accenſus dixit: Ecquis tam immane facinus perpetrare auſus eſt? quæ gens? quæ natio? quibus in terris habitat? quo nomine vocatur? Cùmque aliqui placare eum conarentur dicentes: DEUM ultro ſe morti obtuliſſe, ſubjecit ille: an verò DEUM vera prædicantem occidere debuerunt?

§. VIII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Fab. l. c. con. 2. R. 1.
I. Sicut Viator non bibit de flumine aut torrente, niſi magno æſtu calens; ſic Chriſtus non bibiſſet de torrente paſſionis, niſi ipſum accenſa erga nos caritas impuliſſet.

S. Chryſoſt. ho. 49. in Matth.
II. Sicut Patrefamilias moriente, tota ejus domus turbatur, omnis Familia plangit, & nigris ſe veſtibus operiunt; ſic humano genere, propter quod omnia fuerant creata, circa exitum conſtituto, & moriente capite illius Chriſto, totus contriſtatur mundus, univerſa cæli miniſteria lugent, & candore depoſito, tenebroſis nubibus velut veſtibus veſtiuntur.

1. Cor. 15. v. 55.
III. Sicut Veſpa, cùm impetit petram, non eam lædit incurſu, ſed proprium perdit aculeum; ita mors incurrendo Chriſtum, non hunc, ſed ſeipſam læſit; unde inſultans illi dicit: ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus?

Procop. in gen. c. 49.
IV. Sicut Leo non ſolùm vigilans, ſed etiam dormiens terribilis eſt; ſic Chriſtus non ante crucem tantùm, ſed etiam in cruce terribilis erat, magnáque deſignabat miracula.

S. Cyprian. de ſingul. Cleric.
V. Sicut hamum eſcâ conſeptum ſi piſcis rapiat, non ſolùm eſcam cum hamo non removet, ſed & ipſe de profundo, eſca alijs futurus educitur; ita is, qui habuit mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus JESU, non ſentiens in eo hamum divinitatis incluſum, ſed ubi devoravit, hæſit continuò, & diſruptis inferni clauſtris, velut de profundo tractus traditur, ut eſca cæteris fiat.

Utilitas.

S. Chryſ. ho. 4. in e. 2. Hebr.
VI. Sicut Medicus non habens neceſſitatem cibi, qui ægroto paratus eſt, prægustat, ut & ægroto ſumptionem perſuadeat; ſic & Dominus, quoniam omnes homines mortem timebant, perſuaſit illis, ut fiducialiter ad mortem accederent, ideóque ipſe illam guſtavit, licet nullam ejus neceſſitatem haberet.

Theodor. dial. 3.
VII. Sicut per unius hominis delictum, tranſiit in omnes homines condemnatio; ita per unius juſtitiam in omnes juſtificatio derivata eſt; ſicut enim per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi; ita etiam per obedientiam unius, juſti conſtituentur multi.

S. Auguſt. in Ioan.
VIII. Sicut olim, qui intuebantur ſerpentem æneum in deſerto, non peribant morſibus ſerpentum; ſic qui fide intuentur Chriſti mortem, ſanantur morſibus peccatorum.

S. Gertr. l. 3. inſin. c. 41.
IX. Sicut impoſſibile eſt, ut aliquis farinam tractet, & inde pulverem non contrahat; ſic fieri non poteſt, ut aliquis eum devotione etiam parva, Dominicæ intendat Paſſioni, & nullum inde fructum percipiat.

Exod. 15.
X. Sicut aquæ amaræ factæ ſunt dulces, poſtquam Moyſes lignum à Domino oſtenſum in eas miſit; ſic lignum crucis in aquas tribulationum miſſum, eaſdem ſuaves & gratas facit.

S. Cath. Sen.
XI. Sicut panis durus, ſi aquâ maceretur, facilè, & cum voluptate ſumitur; ita dolores noſtri & labores, licet duri ſint, leves & ſuaves efficiuntur, ſi per meditationem ſanguini & paſſioni Chriſti immergantur.

S. Franc. Salef. l. 11. de amor.
XII. Sicut purpura ſuum pretium non à lana, ſed à tinctura habet; ſic opera noſtra ſuum valorem non ex ſeipſis & ſua bonitate, ſed à tinctura ſanguis Chriſti accipiunt.

Ibid.
XIII. Sicut Virga Aaronis priùs tota arida, ubi ſummi Sacerdotis nomen ei inſcriptum fuit, florere & germinare cœpit; ita & anima noſtra ex ſe ſterilis, quamprimum ſummi Sacerdotis Chriſti nomen ac Paſſio inſcripta fuerit, uberes fructus producet.

Meditatio.

Rodriq. p. 2. tr. 7. c. 2.
XIV. Sicut Matri divini plùs placeret, ſi Filius peregrè profectus aſſiduò de ipſa cogitaret, & materna beneficia & amorem erga ſe conſideraret, quàm ſi neſcio quas divitias ei ſubmitteret; ita Chriſto præ alijs operibus placet, ſi ſanctiſſimam ejus Paſſionem & beneficia per hanc collata animo ſæpe volvamus, & apud alios commemoremus.

Staplet. to. 1. in Dom. quinq.
XV. Sicut inſanus haberetur, qui accepto à Rege literarum faſciculo, in quo certò ſciret incluſum deferri regium chirographum de ingenti aliquo reditu, differret illum reſignare, & legere, uſque ad mortem; ita ſeipſos mirabiliter

biliter fallunt, qui circa mortis articulum de Domini pro ipſis paſſi morte devotè ſe cogitaturos exiſtimant.

Applicatio.

XVI. Sicut, ſi amicus aliquis, te pro meritis ad ſupplicium quæſito, veſtes tuas indueret, & teipſum pro te capi, damnari, & in crucem agi ſineret, tu verò vicem ejus non doleres, ſed contrà poſt illum vociferareris, quin carnifices in ipſum concitares, & teipſum pro tali offerres, mille mortes promeritus cenſereris; ita, cùm hoc ipſum faciat Peccator gravis, meritò etiam gravi pœnâ dignus videbitur.

Fab. con. 6. in Dom. Paſſ. XVII. Sicut ſigillum non exprimit in cera ſui ſimilitudinem, niſi ceræ cum impetu impreſſum; ſic non poteſt in nobis efformari Chriſtus, ejúſque meritum, niſi adhibito aliquo voluntatis & operum conatu. Et ideo ſponſus ſe velut ſigillum ſuper cor & brachium poni jubet.

Ibid. XVIII. Sicut Paterfamilias jubet in domo ſua ad omnes januas appendi vaſculum aquæ benedictæ, ut egredientes moneantur, eâ ſe munire; ita Eccleſia ubique cruces, aliáque inſtrumenta Paſſionis proponit, ut ea venerando nobis applicemus.

Ibid. XIX. Sicut fons aquarum hauriri & bibi debet, ut effectus ſuos exerat; ita Chriſti merita nihil nobis proderunt, niſi per fidem vivam, & Sacramentorum religioſam uſurpationem applicetur.

§. IX.

MOTIVA.

Ad Paſſionem Domini recolendam.

I. QUia *Chriſto* nil *gratiùs* & *jucundiùs* eſt, quàm ſi ſanctiſſimæ ſuæ Paſſionis frequenter memores ſimus, uti ex varijs revelationibus ab eo factis patet.

II. Quia nihil *æquius* eſt, quàm ut, unde omne ſalutis noſtræ pretium fluxit, eò totum amorem ac cogitationes convertamus, fluminum inſtar, quæ ad locum, unde exeunt, revertuntur.

III. Quia nihil *efficaciùs* eſt ad Diaboli *inſidias* & *vires* infringendas, uti ipſemet olim S. Edmundo faſſus eſt.

S. Laurent. Juſt. de caſt. conn. c. 8. IV. Quia nihil *utilius* eſt ad *vitia* extirpanda ac *virtutes* inſerendas; nam ut S. Laurentius Juſtinianus ait, tutiſſima ſunt hîc præſidia, & inimicis inacceſſibilia; ubi reparantur vires, recaleſcit animus, reviviſcit Spiritus, renovatur mens, redintegratur, quod diſſipatum fuerat, quod amiſſum, quod debilitatum, quod fuerat periturum. De virtutibus

S. Bonav. apud Ly. raeum l. 1. apoph. 17. verò clariùs id indicans S. Bonaventura, ſi vis, inquit, ô homo, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quotidie, quantâ potes, devotione mediteris Domini paſſionem; quia hæc mentem alienat, & non ſolùm reddit Angelicum, ſed divinum.

B. Albert. Magn. tr. de ſacrif. Miſſ. V. Quia nihil *conducibilius* eſt ad *meritum* augendum; nam, ut B. Albertus ait, ſimplex recordatio vel meditatio Paſſionis Chriſti, plùs valet, quàm ſi quis per annum jejunaret in pane & aqua, quâlibet ſextâ feriâ, vel ſe uſque ad ſanguinem cæderet, vel quotidie Pſalterium legeret. Cujus rationem reddit Ludovicus de

Lud. de Pont. 4. p. introd. ad med. Ponte his verbis: Quia prædicta opera, etſi bona, valdè & utilia, non habent tantam vim ad purificandum cor à ſuis vitijs, illúdque veritatibus & virtutibus illuſtrandum, & inflammatis amoris divini affectibus perficiendum, atque attenta & profunda Paſſionis Chriſti meditatio; quæ omnia hæc efficit, addítque etiam Spiritum & vitam pœnitentiis ipſis, & operibus externis, permovendo efficaciter ad ferventem eorundem exercitationem.

S. Greg. in Epiſt. VI. Quia nihil *magis roborat in adverſis*: uti S. Auguſtinus ſuâ experientiâ teſtatus eſt, & confirmat S. Gregorius, dum ait: Nihil adeò grave eſt, quod non æquanimiter toleretur, ſi Chriſti Paſſio ad memoriam revocetur.

§. X.

MEDIA.

Ad fructum ex Paſſione Chriſti referendum.

I. F*Requenter meditari de SS. Paſſione*; ex hac enim meditatione exardeſcet ignis ſeu deſiderium compatiendi & condolendi.

II. *Exempla rerum inanimatarum Chriſto in morte condolentium perpendere*; ſic enim vel pudore victus quis ad ſimilem compaſſionem movebitur.

III. *Peccati gravitatem, ſtatum Peccatoris, cæleſtis præmij magnitudinem ponderare*; ex his enim diſcet animus, magnitudinem beneficij per paſſionem collati æſtimare.

L. 2. c. 12. §. 4. IV. *Patiendi occaſiones promptè, avidéque arripere*; nam, teſte Thoma Kempenſi, nemo tam cordialiter ſentit paſſionem Chriſti, ſicut is, cui contigerit ſimilia pati.

V. *Creſcere in amore & familiaritate Chriſti*; ſic enim ultro nobis ſuos dolores tanquam ingentis favoris indicia communicabit, & imprimet, uti non paucis ſanctis præſtitit.

VI. *B. Virginem rogare, ut tenerum affectum erga Paſſionem impetret*: quem in finem illa S. Bonaventuræ verba ſervire poſſunt: Eia Mater fons amoris, me ſentire vim doloris fac, ut tecum lugeam.

§. XI.

ASCETICA.

I. QUinque ſunt præcipua, quæ Aſcetæ circa Paſſionem Dominicam ſpecialiter ſcienda, benéque obſervanda ſunt. Primum eſt, ut cognoſcat *Convenientiam* Paſſionis, quæ qui-

quidem ex quintuplici reſpectu colligi poteſt; nam 1. fuit convenientiſſima *reſpectu DEI*: cujus Juſtitiæ ſatisfieri non poteras, niſi per paſſionem Filij, ſanguiniſque illius effuſionem. 2. *Reſpectu Chriſti*: qui condignum pretium pro ſua & hominum gratia offerre debebat; hinc Iſaias DEI nomine prædixerat: Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur, id eſt, quidquid circa homines in vitam æternam ſupernaturaliter perducendos fieri conſtituit DEUS, meritis Chriſti executioni mandabitur, ut interpretatur Ludovicus Molina. 3. *Reſpectu Adami*: ut ipſius peccatum, quod fuit fons & origo ceterorum, debita proportione plecteretur; id quod præclarè Euſebius Emyſſenus per ſententiam §. 3. n. 38. citatam oſtendit. 4. *Reſpectu Diaboli*: qui meliore modo confundi ac vinci non poterat, quàm ſi proprijs armis Chriſtus eum vinceret, &, ſicut ipſe per lignum & Mulierem in mundum invexit mortem, aliáſque miſerias, ita Chriſtus per lignum Crucis & MARIAM Matrem ſuam Mundum iterum redimeret, & ſalvaret. 5. *Reſpectu Hominum*: quos efficacius non poterat à vitijs abſtrahere, atque ad virtutes exercendas excitare, quàm ſi tali modo pateretur, & moreretur. Quæ omnia fuſius à P. Fabro conc. 5. in Dom. Paſſ. explicantur.

Iſ. 53. v. 10.

II. Secundum eſt, ut pariter etiam cognoſcere ſtudeat *Fontes*, ex quibus gravitas dolorum ac cruciatuum Chriſti tam externorum, quàm interiorum profluxit, quorum quatuor aſſignat Faber conc. 2. in Paraſceve. Primus eſt *Caritas Chriſti*, tum erga DEUM, tum erga homines, quæ, ſicut fuit infinita, ita copioſiſſimè ſatisfacere volebat. Secundus eſt *Puritas dolorum*: jam olim in veteri lege præfigurata, ubi vetatur quidquam mellis adoleri in ſacrificio, quia in ſacrificio crucis omnis ſuavitas defutura erat. Tertius eſt *tenerrima complexio Corporis Chriſti*: cùm enim animâ nobiliſſimâ præditus fuerit, meritò debebat etiam ſenſus longè vivaciores habere, atque adeò & ſentire magis dolores. Quartus *duratio & continuatio Paſſionis, támque variorum & multiplicium* tormentorum; decretum quippe erat Dæmoni, omnibus cum viribus invadere, ut, quem iſta non poterat vincere, gravitate tormentorum ſuperaret.

Levit. 2. 11.

III. Tertium eſt, ut utilem cognoſcat modum colendi debitè SS. Chriſti Paſſionem, qui quidem in tribus præcipuè capitibus conſiſtit, nempe 1. *In aſſidua memoria.* 2. *In cordiali & firma fiducia.* 3. *In liberali & amoroſa compaſſione*; quæ non in affectu duntaxat ſiſtat, ſed ad effectum etiam progrediatur, id eſt, ad crucem cum Chriſto ferendam incitet. Quâ ratione autem hanc ferre debeamus, pulchrè oſtendit S. Gregorius, dum ait: Crux à cruciatu dicitur; & duobus modis crucem bajulamus, cùm aut per abſtinentiam carnem affligimus, aut per compaſſionem Proximi, neceſſitatem illius noſtram putamus.

S. Greg. in homil.

IV. Quartum eſt, ut utilem ſciat modum meditandi paſſionem Chriſti, qui quidem duplex aſſignatur à Ludovico de Ponte. Primus eſt, ut ſingula myſteria ſeorſim conſiderentur, perpendendo, quod ſive in Perſonis, ſive verbis, ſive operibus conſideratione dignum eſt. Secundus eſt, ut dolor aut virtus aliqua particularis pro materia meditationis aſſumatur, & perpendatur, quid circa illos in omnibus Paſſionis partibus contineatur. Uterque autem ut efficax & fructuoſus ſit, curandum eſt, ut ſequentibus ferè affectibus condiatur; 1. *Gratitudinis.* 2. *Doloris.* 3. *Fiduciæ.* 4. *Amoris.* 5. *Patientiæ*; de quorum potioribus ſic loquitur Thomas Kemp. In Chriſti paſſione quatuor cogitanda ſunt, ſcilicet dilectio ejus redamando: amaritudo ejus compatiendo: fortitudo ejus adverſa patienter ſuſtinendo: & utilitas ejus gratias agendo.

Lud. de Ponte.

Thom. Kemp. in opuſc. de vener. ſacram.

V. Quintum eſt, ut cognoſcat finem, qui in ejuſmodi conſideratione præfigendus eſt, qui itidem juxta diverſitatem ſtatuum varius eſt; nam Tyrones quidem efficaciſſima reperient media, ad ſuas paſſiones mortificandas: Proficientes, ad creſcendum in omni genere virtutum: perfecti, ad conſequendam ardenti amore unitionem cum DEO; cùm, teſte S. Laurentio Juſtiniano, hoc ſit ſummum beneficium, in quo divinæ miſerationis reſeratur abyſſus, cælorum aperitur janua, caritatis latitudo oſtenditur, &, quantus ſit homo, apertiſſimè monſtratur; vile enim eſſe non poteſt, quod Filij DEI ſanguine comparatur.

S. Laurent. Juſtin. de triumphali agone Chriſti, c. 20.

§. XII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Duxerunt eum, ut crucifigerent*: poteſt oſtendi, quomodo Auditores Profeſſionem ſpiritualem inſtituere debeant. Et 1. quomodo *flagellantis* perſona ſuſcipienda, emittendo inordinatum amorem per generoſam ſui victoriam, ſicut per flagella ſanguinem elicimus. 2. Quomodo *crux bajulanda ſit*; per impletionem propriæ cujuſque vocationis; nam, ut S. Maximus ait, tota vita Chriſtiani, ſi ſecundùm Evangelium (& propriam vocationem vivat) crux eſt ac Martyrium. 3. Quomodo *expanſis brachijs* eundum. Seipſum cum Chriſto crucifigendo, & patienter ſuſtinendo inopiam, dolores, contemptus, velut tres Comites Chriſti. 4. Quomodo, ut hæc omnia faciliùs executioni mandentur, Crucifixi, vel flagellati Chriſti imago præferenda, id eſt, Chriſti patientis exemplum ob oculos ſtatuendum ſit, uti S. Paulus monuit dicens: Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem JESUM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.

Matth. 27. v. 31.

S. Maximus in ſer.

Hebr. 12. v. 1.

Hebr. 12. v. 2. II. Ex occaſione thematis: *Per patientiam curramus ad propoſitum certamen, aſpicientes in Authorem Fidei, & conſummatorem JESUM.* Poteſt Paſſio Chriſti Myrothecio ſpirituali (einem geiſtlichen Balſam-Büchſslein) comparari. Et 1. oſtendi, ex quibus rebus conficiatur, ſcilicet divinitate, humanitate, cruciatibus, virtutibus, meritis, ſanguine, morte Chriſti. 2. Quantopere hoc balſamum ſit commendatum à DEO, Chriſto ipſo, Angelis, Apoſtolis, SS. Patribus &c. quorum teſtimonia ſuprà citata videri poſſunt. 3. Quàm diverſa balſama pro diverſis Perſonis & morbis ſpiritualibus reperiantur in hoc myrothecio, præcipuè pro triſtibus, Peccatoribus, falsò judicatis vel accuſatis, contemptis, pauperibus, labore gravi oppreſſis, inimicitias gerentibus, mori timentibus &c. qui omnes, quomodo varijs Paſſionis myſterijs ſolari ſe debeant, fuſiùs oſtendendum erit, uti facit libellus Germanicus, das geiſtliche Balſam-Büchſslein vocatus, & Lucernæ impreſſus.

Cant. 1. v. 12. Cant. 2. v. 11. III. Ex occaſione thematis: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur:* vel: *Jam hyems tranſijt, imber abijt, & receſſit: flores apparuerunt in terra noſtra:* poteſt Paſſio Chriſti horto comparari, & inde flores varij colligi, qui per modum verni faſciculi Auditoribus offerantur. Primus itaque floſculus eſſe dicatur Triſſago ſeu vergiß mein nicht / per quem intelligitur affectus gratitudinis ob paſſionem ſpecialiter debitæ. Secundus viola ſeu Veielin / per quam dolor de peccatis indicatur, utpote ad quem eliciendum ſpecialiter conducit Paſſio. Tertius eſt origanum ſeu wolgemut. Vel Euphroſynon ſeu Augen-Troſt / per quem ſpes & fiducia, quam Paſſio ſingulariter excitare ſolet innuitur. Quartus eſt roſa ſeu Roſen / per quam patientia ſignificatur, cui præ alijs Paſſio Chriſti copioſam materiam & motiva ſubminiſtrat. Quintus eſt Flos Echij, ſeu je länger/je lieber/ per quem amor ab amore Chriſti patientis ſingulariter provocatus indicatur. Videantur hic affectus fuſiùs explicari in auctario Fabri in Feria Paraſceves them. 5.

Pſ. 73. v. 20. IV. Ex occaſione thematis: *Reſpice in teſtamentum tuum:* poteſt Teſtamentum à Chriſto in cruce factum, recitari, & explicari. Et 1. quidem dicatur, quomodo *corpus* terræ vel Joſepho & Nicodemo legârit. 2. Quomodo *animam DEO Patri.* 3. Quomodo dolores ſuos ægris. 4. Quomodo injurias ſuas ijs, qui ſimiles patiuntur. 5. Quomodo imagines virtutum Filijs ſuis, in cordis cubiculo ſuſpendendas. 6. Quomodo Bibliothecam ſuam, id eſt, crucifixum, à S. Bonaventura pro Bibliotheca habitum, indoctis. 7. Quomodo ſuum Pharmacopolium, Peccatoribus. 8. Quomodo coronam ſpineam obedientibus. 9. Quomodo linteum renes circumdans, & ſanguine purpuratum, luxurioſis. 10. Sacroſancta quinque vulnera, afflictis. 11. Theſaurum meritorum, Eccleſiæ. 12. Arma crucis militibus, ſub auſpicio ſuo militantibus. Quæ omnia facilè fuſiùs proponi, commendari, & apto Epilogo claudi poſſunt.

V. Ex occaſione thematis: *Dilectus meus candidus & rubicundus:* poteſt oſtendi, quomodo hi colores Chriſto conveniant, quomodo fuerit. Cant. 5. v. 9. 1. Candidus ob puritatem & innocentiam, rubicundus ob effuſum ex caritate ſanguinem. 2. Candidus in nativitate, utpote virginea carne circumdatus, rubicundus in circumciſione, utpote cruore ſuo aſperſus. 3. Candidus in Transfiguratione in nivea veſte; rubicundus in monte oliveti, ſudore ſanguineo perfuſus. 4. Candidus in Herodis aula, veſte alba circumdatus, rubicundus in atrio Pilati, veſte purpurea cinctus. 5. Candidus in cruce ob aquam è latere fluentem, rubicundus in ſanguine effuſo. 6. Candidus in Sacramento ob panis ſpecies; rubicundus ob ſpecies vini, & ſanguinem ſub ijs latentem. 7. Candidus ob miſericordiam, rubicundus ob juſtitiam. 8. Candidus in corpore myſtico ob virgines: rubicundus propter martyres. Excitentur proinde Auditores, ut & ipſi conentur eſſe candidi per vitæ innocentiam; rubicundi propter patiendi deſiderium & ſtudium.

VI. Ex occaſione thematis: *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum:* Jo. 12. v. 32. oſtendi poteſt, quomodo Chriſtus omnia ad ſe traxerit, nempe 1. res inanimatas, Solem, Lunam, Petras, quæ extraordinaria ſigna triſtitiæ dederunt. 2. Peccatores, præcipuè latronem, alióſque percutientes pectora ſua. 3. Mortuos ex ſepulchris prodeuntes. Deinde oſtendatur, quibus inſtrumentis traxerit, nempe funiculis Adæ, id eſt, caritate, quâ erga Adamum & omnes Poſteros ejus ferebatur, quæque ipſum tantopere ad talia patienda & agenda impellebat. Excitentur proin Auditores, ut & ipſi clament cum ſponſa: Trahe me poſt te: curremus in odorem unguentorum tuorum, id eſt, exemplorum in cruce relictorum, quorum aliqua proponi, & ad praxin explicari poſſunt.

VII. Ex occaſione thematis: *Noë vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis:* Gen. 6. v. 9. poteſt Chriſtus cum Noë comparari. 1. Quia ſignificatio Nominis, quâ Noë idem ſignificat, ac *ceſſatio* vel *requies*, ſpecialiter Chriſto convenit, ut qui verè ceſſare fecit miſeriam humanam, & requiem æternam ſuâ paſſione Mundo præparavit. 2. Quia & ipſe ad humanum genus ab interitu vindicandum, propter innocentiam & juſtitiam ſuam electus eſt. 3. Quia Arcam, id eſt, Eccleſiam, ædificavit, optiméque contra aquas diluvij, id eſt peccata & hæreſes, inſtruxit, ac munivit. 4. Quia per caritatem inebriatus, & in cruce nudatus eſt. 5. Quia ſicut Cham Noë Patrem irriſit, ideóque maledictionem ab eo obtinuit, Sem & Japhet verò nuditatem operuerunt, ac propterea benedici meruerunt; ita Chriſtus ab infidelibus & malis Chriſtianis irridetur & contemnitur, à bonis

à bonis autem honoratur, & amatur, unde illi quidem audient: Ite maledicti; hi autem: venite benedicti. Oſtendatur proin fuſiùs, quomodo eum in praxi colere & honorare poſſint, ac debeant, & quas benedictiones ab eo ſperare queant.

§. XIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Majol l. 1. canic. coll. 6. I. MAiolus ſcribit, quondam duos homines eodem in carcere fuiſſe, reum alterum, alterum innocentem; cùm autem reus à lictoribus ad mortem vocaretur, egreſſus innocens, ut qui idem cum reo nomen habebat, ad mortem ductus & occiſus eſt; nec apparuit error, donec de alterius judicio actum eſt. Applicatio facilis ad Chriſtum.

Bloſius. in monil. ſpir. c. 1. II. Chriſtus S. Gertrudem docuit, quòd homo aſpiciens crucifixi imaginem exiſtimare debeat, ipſum ſimilibus verbis eum alloqui: En vides, quomodo tui amoris causâ nudus in cruce pependerim, deſpectus quoque, totóque corpore vulneratus, ac per ſingula membra diſtentus. Et adhuc tanto caritatis dulcore cor meum erga te afficitur, ut, ſi ſaluti tuæ expediret, alitérque æternam felicitatem conſequi non poſſes, vellem pro te ſolo tolerare omnia, quæ ſuſtinui pro toto mundo.

Ibid. III. S. Birgittæ quoque quondam dixit: Dilectio mea erga homioem modò æquè grandis atque incomprehenſibilis eſt, ſient erat tempore paſſionis meæ. Et ſi fieri poſſet, ut toties moreret, quot ſunt animæ in inferno, promptiſſimâ voluntate & perfectiſſimâ caritate corpus meum traderem, eandémque paſſionem & mortem pro qualibet anima ſuſtinerem, quam ſuſtinui pro omnibus.

Cant. 5. 6. 13. IV. Rectè Chriſtus arbori myrrhæ à ſponſa comparatur, *myrrham primam* diſtillanti, quia ſicut myrrha ſolet ſuccum quendam amarum per corticem emittere, qui liquor myrrha prima ſeu electa vocatur ad diſtinctionem illius, quæ cortice diſciſſo fluit; ita Chriſtus in horto ſanguinem velut myrrham primam ſudavit, non exſpectatis tortoribus, qui eum elicerent.

Marchant. tr. 3. l. 16. prop 8. V. Egeſippus ait, hortum oliveti, poſtquam ſudore Chriſti ſanguineo immaduit, flores produxiſſe, in quorum folijs ſcriptum erat: O mors, quàm amara eſt memoria tua!

Utilitas.

Xenoph. VI. Tygranes Rex cum ſua conjuge à Cyro Rege Perſarum captus cùm interrogaretur, quid pro uxoris liberatione dare vellet? reſpondit, ſe libenter vitam pro uxoris redemptione oblaturum. Quæ reſponſio adeò Cyro placuit, ut mox ipſum cum uxore liberum dimiſerit. Cùm verò in reditu Tygranes conjugem quæreret, quomodo ipſi vultus Cyri placuiſſet? reſpondit illa, ſe id neſcire, ab eo enim tempore, quo ipſe pro ea vitam obtulit, ſe in neminem alium oculos conjeciſſe, quàm in eum, à quo ſe tantopere amari advertiſſet. Quidni magis in Chriſtum oculos aſſiduò conjiciamus, qui actu vitam, & quidem tali modo dedit?

Engelgr. VII. Crotildis Regina cùm peſſimè à Marito tractaretur, ſanguinem ſtrophiolo exceptum Fratri miſit, & ex hoc ſanguine colligere juſſit, quomodo à Marito tractetur; quo accepto adeò Frater commotus eſt, ut mox conſcripto exercitu Maritū oppugnârit. Quidni ergo & nos viſis Chriſti veſtibus ſanguine cruentatis bellum contra peccata, quæ taliter Chriſtum tractârunt, aſſumimus?

Lanciz. opuſc. 11. n. 56. VIII. B. Magdalena de Pazzis divinitus edocta eſt, quòd, quoties creatura offert ſanguinem Chriſti, quo redempta eſt, æterno Patri, tale donum offerat, ut ille quaſi non habeat pretium, quo ſolvat. Hoc donum eſſe tam magnum ajebat, ut Pater æternus ſe reputet obligatum creaturæ ſuæ.

S. Gert. l. 4. inſin. div. piet. IX. Chriſtus quondam S. Gertrudi dixit: Quicunque quamlibet gravi pondere peccatorum oppreſſus reſpirare poterit in ſpem veniæ, offerendo DEO Patri innocentiſſimam meam paſſionem & mortem. Et credat, ſe per hoc ſaluberrimum fructum indulgentiæ obtinere, quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terria haberi, quàm devota memoria meæ paſſionis, cum vera pœnitentia, & fide recta.

Lanciz. op. 11. c. 10. n. 64. X. Idem Chriſtus B. Angelæ de Fulginio dixit: Quicunque vult invenire gratiam meam, non levet oculos à cruce, ſive concedam, ſive permittam eum in triſtitia, vel lætitia eſſe vel vivere.

Vita. XI. Annuæ à S. Bartholomæo ad choreas eunti Chriſtus ſe oſtendit, dixitque: Perge te vanitati dare, dum ego in tormentis hæreo. Sicque diſparens ita perculſam reliquit, ut mox in monaſterium Carmelitarum ſe conferret.

Chronicon S. Franciſc. XII. Cùm quidam Religioſus pertæſus diſciplinæ ex Monaſterio fugeret, in via obvius quiſpiam auſtero vultu, minacibus oculis, & acri voce dixit: quò tu vadis? cúmque is diceret: quid tibi mecum? ille apertâ veſte oſtendens vulnera recenti ſanguine conſperſa dixit: Poteris his teſtibus cognoſcere, quàm meâ interſit, de hoc tuo itinere interrogare, quæ, ut te ab itinere æternæ damnationis abducerem, in cruce pertuli.

Kiſſel. to. 1. Ex. 1. §. 2. XIII. S. Gertrudis in raptu quondam vidit Chriſtum in menſa ſedentem, & S. Joannem aſſidentem, & ſcribentem alia atramento, alia coloribus, ſed in peculiari libro ſcripſit calamo in ſanguinem & vulnera intincto characteres, qui ut ſtellæ radiabant, & ut Chriſtus eidem revelavit, ſignificabat opera ſanctiſſimæ Paſſioni illius unita, & ab ijs ſplendorem & efficaciam haurientia.

2. Reg. 11. XIV. Urias à Rege David invitatus, ut lavaret pedes, & in domum ſuam ſe reciperet, reſpondit: Arca DEI, & Iſraël, & Juda habitant in Papilionibus, & Dominus meus Joab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent;

Digitized by Google

nent; & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? Per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ non faciam rem hanc. Quantò magis Chriſtianus recolens, quanta pro ſe paſſus ſit Chriſtus, à ſuperfluis delicijs & peccato abſtinebit?

Sueton. in Aug. XV. Veteranus Miles Cæſaris in jus vocatus, cùm Cæſarem rogâſſet, ut ſibi adeſſe vellet, Cæſar autem mox è ſuo comitatu aliquem aſſignâſſet, vociferans dixit illi: At non ego, te, ô Cæſar, periclitante Actiaco bello, vicarium quæſivi, ſed pro te ipſe pugnavi, ſimulque aperta veſte cicatrices oſtendit; quibus viſis erubuit Cæſar, & in advocationem ipſe deſcendit. Quantò magis vulnera Chriſti ab homine, pro quo accepta ſunt, conſpecta, quidvis ab eo impetrabunt?

Vita p. 3. §. 1. XVI. Chriſtus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis dixit: Dico tibi, ſi quâlibet Feriâ ſextâ attendas horæ, quâ expiravi in cruce, continuò recipies particulares gratias à Spiritu, quem reddidi Patri æterno; & quamvis illas non ſenties, nihilominus ſemper requieſcet in te.

Lud. Gran. in loc. com. f. 58. XVII. Qui diligenter & piè in humanitatis dominicæ myſterijs contemplandis verſantur, ijdem divinitatis quoque ejus delicijs mirè paſcuntur. Via enim & veluti ſcala ad divinitatis gloriam contemplandam humanitas Chriſti eſt, ipſo dicente: Ego ſum via, veritas, & vita. Hoc autem innuere ſponſa in Canticis videtur, cùm ait: Læva ejus ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur me. *Cant. 2.* Læva enim humanitas, dextra Divinitas Chriſti eſt. Eum enim, qui in humanitatis læva capite ſuperpoſito requieſcit: (dum omnia ſacræ humanitatis myſteria pia cogitatione revolvit,) illum divinitatis dextrâ molli ſinu fovet, & amplectitur, & cæleſtibus delicijs paſcit.

Nyſſ. Dom. ſex. §. 1. XVIII. Nyſſenus illud: vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum: ait ex Hebræo verti *ceſſatio virorum*: quia ſicut duellantes ſervi ceſſant litigare conſpecto Rege; ſic homines ceſſabunt iraſci, vindicare, conſpecto Chriſto.

Idem Dom. quinquag. §. 1. XIX. Chriſtus, dum adhuc viveret, ſuavibus verbis invitavit ad ſe homines dicens: ſi quis vult venire poſt me &c. at de ſe morituro dicit: Et ego ſi à terra exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum; innuens, mortem ſolâ conſideratione ſufficere ad movendum.

Ibid. XX. Sol Eclypſin patiens, omnia decolorat. Sic verus Sol Chriſtus, qui cognovit occaſum ſuum, eclypſin mortis in cruce patiens, omnes colores, omnes vanitates, omnes glorias fallaces, omnes honores debet decolorare. *S. Anton. de Padua Dom. 3. quadr.* Ideo dicit anima pœnitentis: Nigra ſum, ſed formoſa, quia decoloravit me ſol; dum enim oculo fidei DEUM meum, Sponſum meum, JESUM Chriſtum in cruce pendentem, clavis confixum, felle & aceto potatum, coronâ ſpineâ coronatum video, omnis decor, omnis gloria, omnis honor, omnis potentia tranſitoria in pallorem vertitur; & à me nihili æſtimatur.

Imitatio.

Gran. loc. com. f. 58. XXI. Sicut Duces erecto vexillo trahunt poſt ſe milites; ita ſponſus ſponſam immenſâ ſuâ caritate in cruce potiſſimùm oſtenſâ trahit; cæteris námque beneficijs ad ſui amorem invitavit, at mortis beneficio compulit.

Ribad. 29. April. XXII. Cùm D. Petrum Martyrem tres cælo lapſæ virgines viſitâſſent, & ille ideo accuſatus, ac ad Eſinum Cœnobium relegatus, Chriſto crucifixo ſuam injuriam quereretur. Chriſtus eidem de cruce reſpondit: Et ego quid feci, ut tot ac tantis onerarer opprobrijs, & morte turpiſſimâ condemnarer? ex me diſce ignominias & opprobria patienter ferre.

S. Gert. l. 3. inſin. c. 42. XXIII. Chriſtus quondam S. Gertrudi dixit: Qui circa meam afficiuntur imaginem, & paſſionis meæ exempla non ſequuntur per imitationem, hos reſpicio, ſicut Juvencula à matre ſua poſſet acceptare, quòd eam diverſimodè veſtibus ornaret, ſecundùm placentiam ſuam & honorem, nec tamen hoc, quod Filia maximè deſideraret, perficeret, imò etiam quandoque duriùs negaret.

Marchant. lect. 20. prop. 2. XXIV. Virgines Annunciatæ, dum Novitiam ſuſcipiunt, Prioriſſa, quæ apud eas Mater ancilla nominatur, ei cum Filiabus occurrens genuflexæ grandem crucem floribus ornatam, brachijs amplexandam offert, & offerendo canit: Veni, ſoror noſtra, aſcendamus in Palmam Chriſti, & apprehendamus fructus ejus.

Meditatio.

Amor crucifixus. XXV. Roſendus Epiſcopus pro inſigni ſpeculum cum circino habebat cruci appenſum, ſignificare volens, ſæpius nobis Chriſti paſſionem velut ſpeculum contemplandam, & juxta illam omnes actiones noſtras ordinandas, & velut circino menſurandas.

L. 2. revel. c. 19. XXVI. Chriſtus S. Birgittæ quondam dixit: Conſulo tibi, cogitare duo continuò in corde tuo. Primò, quæ feci pro te, patiendo & moriendo pro te; hæc cogitatio excitat caritatem ad DEUM. Secundò conſidera juſtitiam meam, & futurum judicium; hæc incutit timorem in animo.

Compaſſio.

Vita. l. 6. c. 9. XXVII. Chriſtus B. Veronicæ Virgini Auguſtinianæ dixit: opto, omnes homines ſatagere, ut corde affligantur ob paſſionis meæ venerationem veluti mihi compatientes. Quòd ſi vel ſolâ lacrymulâ egerint, magnum aliquid ſe egiſſe arbitrentur; nulla etenim lingua mortalium exploratum efficere poteſt, quantùm jucunditatis mihi, & quantùm commodi illi afferat illa lacrymula.

Vit. c. 14. XXVIII. B. Joannæ ab Angelis revelatum eſt, divinam Majeſtatem cum tanto affectu

amoris

amoris accipere planctum ob paſſionem, & illum adeò gratum eſſe ſacrificium, ac ſi ſpargeretur ſanguis, & afflictiones magnæ pro eo tolerarentur.

Vita. c. 6. n. 104. XXIX. B. Angela de Fulginio inter alias benedictiones, quas Chriſtus pronunoavit ſuper devotos ſuæ Paſſioni, etiam hanc audivit: Benedicti vos à Patre meo & Spiritu ſancto, & verè benedicti benedictione, quam dabo io extremo judicio, quia me in propria mea venientem, ſicut mei perſecutores, non repuliſtis, ſed me deſolatum in cordis mei hoſpioo per compaſſionem hoſpitem recipere voluiſtis. Qui mihi in cruce oudo exiſteno, ſitienti, fameſcenti, infirmo, clavis affixo, & morienti compati, & conſocij mei eſſe voluiſtis, in hoc verè miſericordiæ opera compleviſtis.

Faber. conc. 7 in Dom. paſſ XXX. S. Birgitta in ſuis revelationibus teſtatur, tempore paſſionis omnes, qui in orbe erant, homiues interno dolore ac pavore tactos fuiſſe, tametſi neſcirent, unde is provenerit.

XXXI. In Ezechiele jubentur omnes occidi, qui ſignum T. in frontibus expreſſum non habebant; quo docuit Propheta, eos omnes perire, qui in cordibus & ante oculos paſſionis Dominicæ memoriam non circumferrent.

§. XIV.

AUTHORES.

I. Alphonſus Rodriquez p. 2. tr. 7. toto.

II. C. Robertus Bellarminus de ſeptem verbis.

III. Euſebius Nietenbergius l. 2. de adorat. c. 7. 6. & 11.

IV. Caſparus Tauſch in matre doloroſa.

V. Hieremias Drexelius in Chriſto patiente.

VI. Philippus D'outreman in Pœdagogo Chriſtiano. p. 1. c. 8. §. 3.

VII. Jacobus Marchantius in Horto Paſtorum tract. 3. lect. 16. uſqu. ad 22.

VIII. Nicolaus Lancizius opuſc. 11. c. 6.

IX. Ludovicus Granatenſis in locis comm. f. 54.

X. Matthias Faber in Feria Paraſceve; & Dom. Paſſ. per aliquot Concion.

XI. Hadrianus Lyræus in Apopht. S. Ignatij apopht. 17. l. 1.

XII. Thomas Stapletonus in Dom. Quinquag. text. 1. & 2.

XIII. Joannes Major in magno ſpeculo Exemplorum.

XIV. Antonius Dauroltius in Catechiſmo Hiſtoriali. c. 1. tit. 31. & ſeqq.

XV. Joſephus Langius in Polyanthæa V. eodem & V. Crux Chriſti.

XVI. Leopoldus Mancinus de Paſſione Dominica.

XVII. Ludovicus de Ponte p. 4. ſuarum Medit.

XVIII. Laurentius Forer p. 4. vitæ Chriſti,

TITULUS XXII.

PURGATORIUM.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Auguſt. in Enchir. c. 109. EST locus ſubterraneus, ſive receptaculum, in quo animæ Defunctorum pro peccatis quoad pœnam necdum plenè remiſſis ſatisfaciunt. S.

S. Anſelm. in Elucidar. Anſelmus ſic illud deſcribit: Quid eſt purgatorius ignis? poſt mortem purgatio enr aut nimius calor ignis, aut magnus rigor frigoris, aut aliud quodlibet genus pœnarum, de quibus minimum majus eſt, quàm maximum, quod in hac vita excogitari poſſit.

Diviſio.

II. Dividitur in Purgatorium *deſiderij & ſensûs*; hoc eſt, in quo animæ pœnis ſenſibilibus ab igne aut alia re pœnali cruciantur; illud eſt, in quo anima ſolo Viſionis beatificæ deſiderio torquetur. De qua pœna ſic loquitur Viexmontius: O qoanta pœna eſt dilatio gloriæ! ô quàm amara eſt retardatio viſionis divinæ! maximè cùm jam tempus DEO fruendi advenerit, & anima à pondere ſui corporis abſoluta fuerit! ipſi animæ graviùs multò eſt carere DEO, quàm cruciari purgatorij igne. *Viexmont. Pariſ. c. 6. Inſtit. ad pœn.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Veritas ſeu Exiſtentia.

I. SI cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen *1. Cor. 3. v. 13.*
quaſi per ignem.

II. Cùm vadis cum Adverſario tuo ad Principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte *Luc. 12. v. 58.*
tradat te Exactori, & Exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec ſolvas noviſſimum quadrantem.

III. Et erunt in omni terra, dicit Dominus, *Zach. 13. v. 8.*
partes duæ in ea diſperdentur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea. Et ducam ter-

tiam partem per ignem, & viam eos, ſicut uritur argentum, & probabo eos, ſicut probatur aurum.

1. Cor. 3. v. 12. IV. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapidea pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit.

Malach. 3. v. 3. V. Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit Filios levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia.

Zach. 9. v. 11. VI. Eduxiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua, in ſanguine teſtamenti tui.

Mich. 7. v. 9. VII. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei: donec cauſam meam judicet, & faciat judicium meum: educet me in lucem, videbo juſtitiam ejus.

Philipp. 2. v. 9. VIII. Donavit ei nomen ſuper omne nomen, ut in nomine JESU flectatur omne genu cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, id eſt, purgantium animarum, quia, qui in inferno ſunt, non genuflectunt, ſed blaſphemant potiùs nomen Domini.

Qualitas.

Iſ. 24. v. 22. IX. Congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur.

Thren. 1. v. 12. X. O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.

Pſ. 39. v. 13. XI. Comprehenderunt me malá, quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem Deum ſcilicet per viſionem beatificam.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Veritas ſeu Exiſtentia.

S. Bern. de quinque region. TRia ſunt loca, quæ mortuorum animæ diverſis meritis ſortiuntur, Infernus, Purgatorium, Cælum. In Inferno impij, in Purgatorio purgandi, in Cælo perfecti. Qui in Inferno ſunt, redimi non poſſunt, quia in Inferno nulla eſt redemptio. Qui in Purgatorio ſunt, exſpectant redemptionem. Qui in cælo ſunt, gaudio gaudent ad viſionem DEI, Chriſti Fratres in natura, Cohæredes in gloria, ſimiles in æternitate jucunda. Quia primi igitur redimi non poſſunt, tertij redemptione non indigent, reſtat, ut ad medios tranſeamus per compaſſionem, quibus juncti fuimus per humanitatem.

Orig. ho. 8. in Levvit. II. Si poſt fundamentum JESU Chriſti, non ſolùm in tuo corde aurum, argentum & lapidem pretioſum (ſi tamen habes aliquid auri vel argenti) ſuperædificaveris, verùm & ligna, & fœnum, & ſtipulam, quid tibi vis fieri, cùm anima ſejuncta fuerit à corpore? utrum nam ingredi vis in Sancta Sanctorum cum lignis tuis, cum fœno & ſtipula, ut polluas regnum DEI? an propter lignum, fœnum & ſtipulam foris reſidere, & pro auro & argento, & pretioſo lapide nihil mercedis accipere? ſed neque hoc æquum eſt. Quid igitur ſequitur, niſi ut primùm propter ligna ignis tibi detur, qui conſumat fœnum, lignum, vel ſtipulam?

III. Accedens venerandus Antiſtes, precem ſuam ſuper mortuum peragit, precatur oratio illa divinam Clementiam, ut cuncta dimittat per humanam infirmitatem admiſſa peccata defuncto, eúmque in luce ſtatuat & regione vivorum. *S. Dionyſ. Areopag. p. 3. c. 7. de Eccl. Hier.*

IV. Etiamſi nuſquam in ſcripturis veteribus legeretur oblatum pro mortuis ſacrificium, non parva tamen eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ ad altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum. *S. Aug. l. de cura mort. c. 4.*

Qualitas.

V. Qui in aliud ſeculum diſtulit fructum converſionis, priùs purgabitur igne purgatorio. Hic ignis, etſi non ſit æternus, miro tamen modo gravis eſt; ſuperat enim omnem pœnam, quam homo unquam paſſus eſt in hac vita, vel pati poteſt. *S. Aug. in ſ. de igne purg.*

VI. Quia illum tranſitorium ignem omni tribulatione præſenti æſtimo intolerabiliorem, non ſolùm in furore æternæ damnationis opto non argui, ſed etiam in ira tranſeuntis timeo correptione purgari. *S. Greg. in Pſalm. 3. pœnit.*

VII. Si omnes, quæ in mundo cogitari poſſunt, pœnæ, tormenta, afflictiones, minori, quæ illic in Purgatorio habetur, pœnæ comparentur, velut ſolatia erunt; mallet enim quilibet viventium, ſi illas experientiâ noſceret pœnas, uſque ad finem mundi omnibus his ſimul ſine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines ſigillatim ab Adam hucuſque pertulerunt, quàm uno die in Inferno aut Purgatorio, minori, quæ illic habetur, pœna torqueri. *S. Cyrillus Ieroſol. in epiſt. ad S. Aug.*

VIII. Magna afflictio in Purgatorio eſt afflictio Dœmonis irridentis; ſolet enim Homini valde eſſe anguſtioſum, cùm videt inimicum ſuum inſultare & irridere de pœnis ejus; & propter hoc Razias vir venerabilis & magnæ opinionis in Populo Iſraël, ne captus illuderetur ab inimicis, projecit ſe ex feneſtra inter turbas. *S. Anton. tit. 5. de Purg.*

XI. Dœmones ſunt Purgatorij, artem exercentes in Animabus, quaſi Fullones in ſordidis veſtimentis. Verùm ſi quis ineſſet veſtimentis ſenſus, quid ea pati putas, cùm pedibus calcantur, nitro perluuntur, omníque modo tunduntur, & deraduntur? per quantos dolores putas elui veteres notas, veteréſque maculas fixè inhærentes? *Syneſius Epiſc. Ptolemaid. ep. 44.*

X. Nihil inter ſe differunt tormenta infernalia ab ijs, quæ ſunt in Purgatorio, quia eâdem ſunt magnitudine; ſed unum eſt, quòd differ- *S. Cyrill in epiſt. ad S. Aug.*

repoſ-

re poſſunt, quia infernales finem non exſpe-ctant, & Purgatorij pœnæ ſunt eum fine.

S. Cæſarius Arelat. Epiſc. ho. 7. XI. Sed dicet aliquis: Non ad me pertinet, quamdiu moras habeam in Purgatorio, tantùm ut ad vitam æternam perexeam. Nemo hoc dicat, Fratres chariſſimi, quia ille ipſe Purgatorius ignis durior erit, quàm quod poteſt pœnarum in hoc ſeculo aut videri, aut cogitari, aut ſentiri.

S. Bonav. inſ. de mortuis. XII. Tenebræ in Purgatorio impediunt operationem, vincula evaſionem, mendicitas ſolutionem, ferrum afflictionem inducit.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Lib. 1. c. 24. §. 2. I. HAbet magnum & ſalubre Purgatorium homo patiens, qui ſuſcipiens injurias plùs dolet de alterius malitia, quàm de ſua injuria: qui pro contrariantibus ſibi libenter orat, & ex corde culpas indulget: qui veniam ab alijs petere non retardat; qui faciliùs miſeretur, quàm iraſcitur: qui ſibi ipſi violentiam frequenter facit, & carnem omnino Spiritui ſubjugare conatur. Meliùs eſt enim peccata & vitia reſecare, quàm in futuro purganda reſervare.

L. 3. c. 12. §. 2. II. Si dixeris, te non poſſe multa pati, quomodo tunc ſuſtinebis ignem Purgatorij?

L. 1. c. 21. III. Si futuris Inferni ſive Purgatorij pœnas cordialiter perpenderes, credo, quòd libenter dolorem & laborem ſuſtineres, & nihil rigoris formidares.

§. V.

EXEMPLA CHRISTIANA.

Veritas ſeu Exiſtentia.

Beda l. 3. hiſt. c. 19. I. B. Furſeus vidit in via ad cælum maximos ignes, per quos neceſſariò tranſeundum erat, ſed ſimul videbat illos, in quibus nihil combuſtibile erat, illæſos tranſire, alios verò magis minúſve exuri, prout plùs vel minùs materiæ combuſtibilis, ſeu reatus afferebant.

Carthuſ. de 4. noviſſ. dial. de judicio anim. mar. art. 21. II. S. Mechtildis quondam vidit, animam cujusdam defunctæ à Chriſto in hortum amœniſſimum deduci, in quo multitudo animarum videbatur menſæ aſſidentium, quibus apponebantur fercula ſuffragiorum, quæ à viventibus offerebantur.

Cyrillus Hieroſol. in epiſt. ad Auguſt. III. Cùm olim hæreſis quædam exorta fuiſſet, aſſerens defunctorum animas nihil pati, donec poſt reſurrectionem corporibus jungantur, D. Hieronymus Euſebio olim ſuo Diſcipulo apparens, juſſit ſaccum, quo pro indumento uſus fuerat, trium virorum cadaveribus, qui eà nocte objerant, imponi; quo facto illi coram omnibus, qui in Eccleſia convenerant, reſuſcitati confitebantur, ſe à S. Hieronymo circumductos, & Infernum, & Purgatorium vidiſſe, & poſt viginti dies iterum cum Euſebio deceſſuros, cæléque, ſi catholicam fidem amplexi dignam pœnitentiam agerent, potituros. Quæ omnia cùm, uti dixerant, eveniſſent, & præterea illi pœnarum recordatione indeſinenter flerent, multi ex perverſis iterum ſanam doctrinam amplexi ſunt.

IV. Mauritius Rotomagenſis Epiſcopus poſt mortem templo inferendus, reſumptâ animâ circumſtantibus dixit: Ultima Paſtoris veſtri verba accipite. Naturaliter ſum mortuus, ſed ut, quæ vidi, nunciarem vobis, revixi: nec diu ſuperſtes ero, quia dormire in Domino placet. Ductores mei, quorum veſtitus, vultúſque longè pulcherrimi, ſermóque jucundiſſimus erat, mihi verſus orientem eunti pollicebantur Paradiſum, Hieroſolymíſque peractâ Sanctorum adoratione ad Jordanem tetendimus, cujus accolis comitatum noſtrum augentibus lætitia mihi ſuborta eſt. Cùm autem flumen tranſire maturarem, Comites Dominum præcepiſſe affirmabant, ut peccata venialia, quæ priùs confeſſione non dilueram, pavore ex aſpectu Dœmonum concepto purgarentur. Et extemplò tantus teterrimorum Spirituum exercitus, haſtas acutiſſimas vibrantium, ignéſque evomentium adſtitit, ut aër totus ferreus, flammeúſque videretur: quo ſpectaculo ſupra modum cruciatus ſum. Ut igitur veſtræ ſaluti conſulatis, hoc recepto habitu vobis dixi, ſtatímque iterum expiravit. *Vincent. l. 25. c. 4.*

V. S. Patritio Hybernis Evangelium, & ex illo Purgatorij pœnas annunciante, cùm plerique ad converſionem duriores peterent, evidenti ſigno demonſtrari, quod aſſerebat, impetravit à DEO, ut locus aliquis deſignaretur, per quem in Purgatorium quoddam Animarum tranſiretur. Itaque Egneus miles ad extremum ingreſſus poſt alios plures, ductus à Spiritu ad omnia ſuppliciorum immanium loca fuit, & inaudita tormentorum exempla conſpicatus, etiam Purgationis locum ſubijt, ac reverſus, enumeratis omnibus, quæ viderat, pœnarum purgatoriarum intolerabiles cruciatus & diuturniora ſupplicia pronuntiavit. *Dion. Carth. a. 5. de 4. noviſſ.*

VI. Religioſa quædam Virgo cùm in Monaſterio D. Gertrudis defuncta eſſet, vidit ipſa Gertrudis animam ejus in loco admodum lucido mirificè exornatam conſiſtere, cui etiam Chriſtus adſtabat, & quinque vulneribus ſuis ſenſus ejus novâ ſuavitatis dulcedine recreabat, eámque blandè conſolabatur. Dixit itaque Gertrudis ad Dominum: Cùm tu DEUS totius conſolationis huic tam amicabilem ſerenitatem exhibeas, quid eſt, quòd ipſa mœſtiori vultu apparet, & gravamen internum oſtendit? cui Dominus: Ex hac mea præſentia, anima, quam cernis, non niſi delectamenta meæ humanitatis percipit. Unde & plenè conſolari non poteſt, ſed ubi à negligentijs præteritæ vitæ purgata fuerit, ego eam in præſentia jucundiſſimæ Divinitatis meæ perfectè conſolabor. Ad quæ iterum Gertrudis: nunquid, Domine mi, miſeratio tua non prævalet Filiam tuam (cui ab infantia dederas pium cor, & benignam voluntatem erga homines) nunc abſolvere ab omni *Bloſius mon. ſpirit. c. 15.*

omni negligentiarum impedimento? reſpondit Dominus: Pietatem cordis ejus, benignámque voluntatem abundantiſſimè remunerabor, ſed oportet dictante Juſtitia mea, ut omnis macula abſtergatur. Et quaſi blandiendo tenens mentum Puellæ adjunxit: In hoc ſponſa mea libentiſſimè conſentit Juſtitiæ meæ; quia, cùm plenè purgata fuerit, gloria Divinitatis meæ jucundiſſimè fruetur. Ad quæ verba illa benigno vultu annuit. Poſtea S. Gertrude offerente ſub miſſa pro eâdem Puella ſalutarem hoſtiam, quæ à Sacerdote elevabatur, dixit anima: In veritate certum eſſe experior, nullum quantumlibet exiguum bonum in homine carere remuneratione, nec ullam quantumvis parvam culpam eſſe, quæ non purgari debeat ante vel poſt mortem. Quia enim ſacram communionem libenter accepi, dum in terris vivebam, nunc magnum remedium obtineo de Sacramento Altaris pro me oblato. Et quia tam benignam voluntatem ad omnes homines habui, modò multò citiùs juvat me oratio pro me fuſa. Inſuper etiam æternam remunerationem exſpecto, quam in cælo recipiam. Sicque ſurſum ferri Anima videbatur, ſublevata precibus Eccleſiæ.

Qualitas.

S. Greg. l. 4. Dial. VII. S. Gregorius narrat, quendam poſt viſa tormenta reorum, & gaudia electorum, ad corpus rediiſſe, dixiſséque, quòd ponte perículoſo ſuperato, viderit amœniſſimum campum, & pratum virens, in quo Hominum candidatorum manſiones erant, tantúſque ſuavitatis odor, ut omnes ſatiaret.

Surius to. 7. VIII. Cùm Clericus quidam Colonienſis equo fluvium tranſiret, S. Severinus Epiſcopus paulò ante defunctus, & jam miraculis è ſepulchro editis clarus, frenum equi apprehendit, manúmque porrigi juſſit, quod cùm Clericus feciſſet, ipſe eam aquæ cum tanto dolore immerſit, ut mox omnes carnes diffluxerint, ſoláque oſſa apparuerint. Quærente verò cauſam tantæ pœnæ Clerico reſpondit, ſe ob Horas Canonicas ſuo tempore non recitatas tantis pœnis adjudicatum fuiſſe. Poſtea reſtituta Clerico manu præcepit, ut eum aliorum Clericorum precibus commendaret, & diſparuit.

Beda l. 5. hiſt. Angl. c. 13. IX. Drithelmus cùm poſt mortem ab Angelo in vallem immenſam & horridam deductus, graviſſimis animas excruciari tormentis vidiſſet, & modò in ignem, modò in rigentes aquas proijci, quærens, an non hic damnatorum eſſet locus, audivit, non illorum, ſed purgantium animarum eſſe locum, eorum præcipuè, qui ſeriùs de peccatis pœnitentiam agerent. Unde ipſe mitis corpus cruciatibus affligens, cauſam tantæ ſeveritatis quærentibus reſpondit: Eheu, ſinite me, graviora ſunt, quæ vidi.

Spec. Ex. diſt. 9. ex. 101. X. Puer quidam novem annorum ob non ſolutos novem obolos, quos à Familia mutuos acceperat, Purgatorij pœnis adjudicatus, de earum acerbitate à matre, cui apparuerat, interrogatus reſpondit: Si omnes Carbones, quos Carbonarij in univerſo mundo à tempore Nativitatis uſque fecerunt, in uno cumulo arderent, & tu dilecta Mater mea in medio cumulo ſtares & arderes, non tantas pœnas ſuſtineres, ſicut jam in purgatorio ſuſtineo.

XI. Monachus quidam ad Purgatorium in extremis ductus, vidit animas quaſdam acuminatis verubus affixas ad modum anſeris aſſari, tortorum verò alios follibus ignes animare, alios defluentem ex corpore adipem excipere, iterúmque illis ſuperfundere: quaſdam verò animas in alio loco quodammodo requieſcentes vidit. Quos an nôſſet, quærens Angelus, negante illo, reſpondit, priores eſſe Fratres Ordinis tui, qui diſciplinam Monaſticam parùm obſervâſſent; poſteriores verò, qui aut minùs deliquerint, aut certè jam propè pro pœnis ſatisfecerint. *Vincent. Beluac. l. 7. c. 119.*

XII. Alius quidam Monachus admodum pius, cùm in mortis exceſſu poſitus vidiſſet tormenta Purgatorij, reverſus ad ſe dixit: Nulla hominis lingua exprimere, nulla æſtimatio concipere poteſt varietatem, multiplicationem & gravitatem ſuppliciorum, quibus me aſpiciente purgandi ſubdebantur. Teſtis mihi eſt DEUS, quia, ſi quis me, & cunctos caros meos affeciſſet omnibus injurijs & pœnis, quas poſſunt homines in hac vita tolerare, vel etiam occidiſſet, & viderem eum deputari tormentis à me conſpectis, ego millies, ſi fieri poſſet, mortem pro ejus ereptione ſubire paratus eſſem; adeò pœnæ illæ, quas in Purgatorio vidi, excedunt menſuram & modum cujuſvis doloris, anguſtiæ, amaritudinis ac miſeriæ hujus vitæ. *Bloſius in monili ſpirit. c. 12.*

XIII. Hugo Abbas Cluniacenſis per triduum in vinea poſt mortem detentus ſedit, quaſi ex itinere fatigatus, dum reſumeret vires, & pedum pulverem abſtergeret. *Surius 29. April.*

Cauſa Purgatorij.

XIV. Juſtus Monachus, eò quòd tres aureos per proprietatem ſervâſſet, etiam dimiſſâ & caſtigatâ jam culpâ, triginta dierum Purgatorium ſuſtinuit. *Spec. Ex. diſt. 8. ex. 74.*

XV. Quidam Pater ex S. Dominici Familia menſe integro in Purgatorio morari debuit, propter familiaritatem cum ſecularibus nimiam, & ſolatia ex ijs hauſta. *Ib. d. 7. ex. 57.*

XVI. Ludovicus II. Imperator poſt triginta annorum ſpatium à morte elapſum apparuit Filio, dixitque: Adjuro te per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, ut me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, ut tandem aliquando vitam æternam habere poſſim; & tamen tantopere pietati addictus fuerat, ut Pij cognomentum obtinuerit. *Baron. to. 10. anno 874.*

XVII. Soror S. Damiani poſt obitum Fratri apparens dixit, ſe quindecim diebus in Purgatorio graves pœnas dediſſe, quòd aliquando in cubiculo ſuo cantus chorizantium in platea cum aliqua dulcedine audiviſſet, nec pœnitentiam egiſſet. *Spec. Ex. d. 9. ex. 111.*

XVIII.

Lib. 8. revel. c. 19. XVIII. Quædam Abbatiſſa S. Birgittæ apparens, ferreo reti gravata apparebat propter regularum tranſgreſſionem; igneâ verò linguâ propter levitatem in verbis: & plumbeis manibus & pedibus propter bonum exemplum neglectum.

Spec. Ex. d. 4. ex. 58. XIX. Quidam Epiſcopus propter detractiones ſui Clerici libenter auditas, & non caſtigatas, poſt mortem graviter à fœtore, qui ex Inferno à dicto Clerico prodierat, punitus eſt.

Ibid. d. 9. ex. 34. XX. Religioſus quidam Socio apparens dixit, ſe in Purgatorio torqueri, eò quòd res antiquas, quando novæ oblatæ ſunt, abſcondiſſet; petiit proinde, ut per Abbatem abſolveretur; quo facto lætiſſimus & clariſſimus iterum apparuit cum candida turba eorum, quibus Angelus crucem prætulerat, cum eáque ſe in cælum abire dixit.

Ex Annal. Capucc. 1603. XXI. In Bolognenſi Provincia quidam Capuccinus in culinam ad calefaciendum ſe conferens, vidit inprimis duos Caculas carbones præparantes, tum Fratrem Capuccinum verum ſuffixum à tertio, aſſari, quòd ligna inutiliter combuſſiſſet, & paupertatis curam exiguam etiam in alijs habuiſſet.

Annal. Ciſterciens. XXII. Quidam in Purgatorio punitus eſt, quòd ad verſum *Gloria Patri* caput ex præſcripto non inclinâſſet.

Spec. Ex. ex. XXIII. Cuidam ægroto Fratri apparens Abbas cum quindecim alijs Fratribus dicebat, ipſos graviter puniri in Purgatorio propter diſtractiones in oratione admiſſas, neque liberari poſſe propter negligentiam Fratrum in oratione pro ipſis fusâ.

Annal. Capucc. An. 1584. XXIV. Cyprianus à monte Cervino Guardianus Capuccinorum noctu ſecedens Eboli in templum, deprehendit ibi Fratrem jam pridem mortuum, in angulo orantem, & dicentem, quòd ibi Purgatorium haberet, eò quòd orationi negligenter eo in loco vacâſſet, nec debitum SS. Euchariſtiæ cultum exhibuiſſet, liberatum tamen iri, ſi in privilegiato Altari pro ipſo Sacrum fieret.

Cantiprat. l. 2. apum. c. 16. XXV. Hugo Victorinus apparens poſt mortem ſocio dixit, propter diſciplinam recuſatam, vix Dœmonem in Inferno fuiſſe, à quo non ictum in tranſitu per Purgatorium acceperit.

Cæſar. l. 12. c. 41. XXVI. Quidam ob lodicem à Peregrino donatam eo fine, ut pro eo oraret, cùm hoc facere neglexiſſet, eâdem lodice in purgatorio graviter punitus eſt.

Vita S. Mariæ Magd. de Pazzis c. 64. XXVII. Quædam Monialis Carmelitana debebat ſedecim diebus hærere in Purgatorio, quia ob reſpectus humanos non monuerat ſuperiores Monaſterij de re aliqua, ad quam ſe inſpirari ſentiebat.

Annal. Capucc. ann. 1563. XXVIII. Juſtinus Clericus, qui Fratris crimen ad Guardianum amarulento animo detulerat, eidem in horto ambulanti dixit, ſe ob hoc peccatum in periculo damnationis fuiſſe, & triginta annorum Purgatorio adjudicatum.

Ibid. 1576. XXIX. Frater Antonius Bononienſis Laicus vir facetus, quindecim ab obitu diebus Fr. Angelo Teutonico apparens dixit, ſe, licet in ſervitio peſte morientium occubuerit, tamen, quia Fratres ſuâ garrulitate à ſeverioribus ſermonibus avocâſſet, ne tempeſtivè ad horas Canonicas venirent, quindecim diebus quotidie ſuper ardentes prunas Patavio Veronam quinquaquinta mille paſſibus diſtantem ambulare coactum fuiſſe.

XXX. In Conventu Aſtenſi Sacerdos poſt triduum à morte, Guardiano ad communia loca eunte flebilem vocem emiſit, & adjuratus dixit, ſe in illas ſedes omni ferro candenti ardentiores compulſum, eò quòd ſigno ad horas Canonicas dato, in illa priùs loca ſe contuliſſet. *Idem. 1575. n. 38.*

XXXI. In Romano Conventu dum quidam noctu Lucernam accenſurus in culinam ſe confert, tres ibi defunctos Fratres offendit, qui facies ac linguas ardentes, prunas captantes, ſemiuſtas gerebant, causámque roganti dixerunt, id ſe pati, quòd eo in loco ſæpe de abſentibus murmurâſſent. *Ibid. 1608. n. 63.*

XXXII. S. Udalricus Purgatorium tranſire hâc ſolâ de causâ debuit, quòd Adalberonem Nepotem ſuum ſibi in Epiſcopatu ſubſtituerit, licet eo priùs mortuo non ſucceſſerit ſubſtitutio. *Stapl. Dom. 2. poſt Epiph.*

XXXIII. Vitalina Virgo ſanctiſſima S. Martino Epiſcopo apud ſepulchrum ejus quærenti, num DEI præſentiâ frueretur? reſpondit, ſe nondum frui, eò quòd Feriâ ſextâ, quâ Mundi Redemptor paſſus eſt, caput abluiſſet. *Lanric. opuſc. 16. n. 197.*

Diuturnitas.

XXXIV. Quidam Monachus defunctus Abbati apparens, & pœnitentiam pro peccatis petens, cùm Abbas ei injunxiſſet, ut pro pœnitentia maneret in Purgatorio, donec corpus ejus ſepultum foret, exclamavit voce magna: O pœnitentia ſine miſericordia! *Spec. Ex. diſt. 9. ex. 183.*

XXXV. Pater quiſpiam Dominicanus cùm Fratri cuipiam ſuo agonizanti ſacrum promiſiſſet, poſt ſacrum mox dictum apparens Frater dicebat, jam ſibi viginti annos interim elapſos videri. *Iod. Andrier. tr. 2. de purg.*

XXXVI. Quidam ſceleratè vivens gravi morbo cruciatus, cùm optione per Regnum factâ tres Purgatorij dies pro biennali morbo elegiſſet, ubi vix per horam in Purgatorio fuit, putavit, ſe plurimis annis ibi hæſiſſe, ideóque rogavit, ut ad terras redire liceret, malle ſe quippe, quamdiu DEUS vellet graviſſimo morbo vexari, quàm reliquis duobus diebus in Purgatorio hærere. *S. Anton. p. 4. ſumm. tit. 14. c. 10. §. 4.*

XXXVII. P. F. Conſtantinus à Salvatore Vir alioqui Sanctus, & gratijs gratis datis in hac vita ornatus, nonnullis poſt obitum diebus apparuit, dixitque, triduo ſe purgatorij pœnis, quæ trium millium annorum ſpatium videbantur, purgatum fuiſſe, quòd & in ſuperioris officio paulò remiſſior fuiſſet, & nimis indulgens in remiſſionibus concedendis. *Boverius in annal. Capucc. to. 2. pag. 104.*

XXXVIII. Innocentius III. Pontifex S. Ludgardi flammis circumdatus apparuit, dixitque, cruciandum ſe eſſe pœnis acerbiſſimis uſque ad diem judicij. *Surius 16. Jun.*

Dion. Carth. a. 10. de noviſſ. XXXIX. Quidam in Spiritu raptus, inter alios Doctorem quendam Decretorum in Purgatorio vidit, quem, cùm interrogâſſet, num ſe propediem liberandum ſperaret? ſcio, reſpondit ille, quòd ante diem Judicij veniam non conſequar.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Annal. Rom. 1597. I. B. Virgo Celſo Finetto Scholaſtico apparuit, & quatuor annis in Purgatorio hæſurum dixit: ſocium verò illius Ridolfinum Logicæ Studioſum oon longo intervallo ſecuturum, & biennio ibidem detentum iri.

Annua Coll. Neap. 1605. II. Mortuus erat prope Neapolin Theologiæ ſtudioſus, qui poſt mortem intimo ſocio apparuit, dixítque, ſe in Purgatorio graviter vexatum eſſe, quòd olim in ſacro aliquaotulum confabulati eſſent, nec confeſſi; ipſe proin adhuc confiteretur.

Annuæ Ingolſt. 1618. III. P. Jacobus Rhem, cùm quendam ſordidâ & veſte, & formâ ſibi apparentem interrogâſſet, quâ de causâ adeò torqueretur, is reſpondit, ſe propter flagellationes ſine facultate peractas ijs pœnis adjudicatum.

Ex lit. manuſcr. IV. Quidam Pater, quòd non eâ, quâ par erat, alacritate & celeritate moribundis adſtitiſſet, poſt mortem inviſibiliter id officium præſtare, & ſic interea viſione beatifica carere debuit.

Annua Aragon. Domus prof. Valentin. 1606. V. Cùm P. Michaël à Fontibus in India aliquando ex laboribus conſternatus jaceret, B. Virgo illi apparuit, bonóque eſſe animo juſſit; ob hos enim labores à Purgatorio liberum fore. Quo dicto mirè ille recreatus ſemper Feriâ ſecundâ ob hoc beneficium humi cœnebat, lancéſque lavabat.

Faber in Auctar. the. 4. in Feſto S. Io. Bapt. n 3. VI. Ægrotabat aliquando Juvenis ex Societate oecdum initiatus, ſed ſenſu & virtute juvenilem ætatem ſupergreſſus. Hic ingraveſcente morbo, uni familiari ſocio dixit: Heus tu, mi Frater, ora, obſecro, pro me Dominum; grandis enim mihi immioet tempeſtas. Et ecce vix hæc dixerat, cùm ſubitò multiplex cruciatuum & dolorum procella ingruere, æſtuare pectus, ardere, premi, frangíque ſcapulæ, humeri, tergum, caput totum tremere, pungi, lancinari cœpit; imò & omnibus reliquis in membris & oſſibus deſævire malum. Stupere interim omnes, condolere laboranti, precibus ad DEUM juvare, blandíſque vocibus conſolari æſtuantem, ipſe patienter omnia tolerare, & B. Virginis opem implorare. Perduravit viginti quatuor horis hoc malum, quibus elapſis æger quaſi in portu conſiſtens cauſam tantæ tempeſtatis explicuit, dixítque, ſe petijſſe à B. Virgine, ac DEO, ut Purgatorium ſuum in hac vita ſuſtinere liceret, precéſque ſuas exauditas fuiſſe. Unde paolò pòſt ſanctè in Collegio Eborenſi obijt.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Fab. conc. 2 in comm. anim. n. 3. I. Sicut palmes aridus & abſciſſus nequit reviviſcere aut fructum aliquem gignere; ita & animæ purgantes, quia de terra viventium abſciſſæ ſunt, & extra ſtatum merendi, ſibi prodeſſe nequeunt.

Ibid. conc. 3 n. 1. II. Sicut famelicus aut venaticus canis videns leporem aut cibum, vehementer dolet, ſi vel fune vel alio impedimento retineatur, quò minùs inſequi eos, & apprehendere queat; ita non minorem ſentit dolorem anima, ſi à conſpectu DEI, quem poſt mortem tantopere deſiderat, Purgatorij pœnis affixa retineatur.

Ibid. III. Sicut is, qui a Rege quopiam ad regnum poſſidendum adoptatus, eo tempore, quo jamjam regnum accipere debeat, ob Regem offenſum in exilium aliquot annorum damnaretur, meritò graviſſimum ex tali relegatione dolorem ſentiret; ſic non minorem ſentient, quæ in Purgatorium relegantur Animæ, utpote quæ poſt mortem ſe regni cæleſtis poſſeſſionem adituras ſperabant.

Ibid. IV. Sicut, qui venit ante initium Comœdiæ, nihil aut perparùm angitur, ſi parùm exſpectare debeat: multùm verò dolet is, qui ſuâ culpâ tardiùs venit, magnámque Comediæ partem neglexiſſe ſe advertit; ita quia Patres in Limbo pretium Redemptionis nondum exhibitum, adeóque nec gloriam ſibi debitam ſciebant, minùs angebantur; ſecùs verò ſe res habet nunc cum Animabus in Purgatorio conſtitutis, hæ enim cùm cælum apertum eſſe nôrint, utique graviſſimè dolent, quando ſe ſuâ culpâ ab ejus ingreſſu arceri vident.

Ibid n. 3. V. Sicut Caminorum Purgatores, quia nigredo cuti eorum adhæret, difficillimè & non niſi aquâ aut lixivio calido valde & mordaci lavantur; ita cùm & homines per longiorem vitæ uſum, quàm plurimam peccatorum nigredinem contrahant, ab hac non niſi per grave Purgatorium liberari potuerunt.

Ib. n. 4. VI. Sicut Infirmos nihil ferè magis cruciat, quàm ſi ereptâ loquendi aut ſcribendi, aut nutu ſe explicandi facultate priventur; ita non minimus dolor eſt animarum in Purgatorio detentarum, quòd opem petere à viventibus non ſinantur.

Ib. conc. n. 4. VII. Sient Mercator, cùm merces valde pretioſas navi vehit, etiam graviſſima maris incommoda, æquo, hilaríque fert animo; ita Aoimæ purgantibus pœnis addictæ, æquiſſimo eas pectore patientiáque ſumma ſupportant, quia pretioſiſſimas meritorum cæleſtium merces vehere ſe nôrunt.

Ibid. VIII. Sicut Trochilus, cùm veru aſſandus infigitur, ſemetipſum ad ignem gyrat, torrétque; ita Animæ, cùm DEI juſtitiam cernant, ſeipſas libenter purgatorio igni torrendas, & torquendas committunt.

IX. Si-

S. Greg. apud S. Th. 3. p. q. 100. a. 2. IX. Sicut ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat; ita ſub eodem igne Inferni peccator crematur, & electus purgatur.

Ped. Chriſt. p. 2. c. 19. X. Sicut ridiculi videntur Brachmanes Calecutij, qui tam magno impendio lignum odoriferum, Sandal ab ijs vocatum, comportant, quo eorum poſt mortem cadavera comburantur; ita multò magis ridendi ſunt homines, qui in hac vita materiam voluntariè coacervant, quâ eorum animæ poſt mortem tam crudeliter, ſenſibilitérque torqueantur.

Anonym. XI. Sicut ſtultum, nec immeritò, crederemus, qui, cùm poſſet certo tempore omnia debita ſua unico obolo extinguere, eo neglecto mallet ſolutionem differre in tempus, quo integris millionibus ea ſovenda foret; ita non minorem inſipientiam committere is cenſendus eſt, qui pœnitentiam ſuam in alteram vitam, ubi tam caro pretio ſolvere debet, differre mavult.

§. VIII.

M O T I V A,

Ad Purgatorium timendum.

S. Aug. in Pſ. 37. I. GRavitas pœna ſenſibilis: quam quidem S. Auguſtinus ſat clarè ſequentibus verbis proponit: Quamvis ſalvi per ignem; gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid homo pati poteſt in hac vita. Et nôſtis, quanta hîc poſſint mali, & quanta poſſunt pati: tanta enim paſſi ſunt, quanta paſſi ſunt & boni. Quid enim quiſque Maleficus aut Latro, aut Adulter, aut Sacrilegus ſceleratus pertulit legibus, quod non pertulit Martyr in Confeſſione Chriſti?

II. *Gravitas pœna ex carentia viſionis beatificæ oriri ſolita*: ſi enim P. Joannes Baptiſta Sanechez olim de ſe cuipiam faſſus eſt, ſi certò ſciret, ſe per integrum diem non moriturum, dolorem hujus cognitionis ſufficientem futurum, ad vitam ſibi adimendam, quantò magis ſentient animæ, à majori longè deſiderio ſuo implendo ſe arceri?

III. *Diuturnitas utriuſque pœna*: ponamus enim, (quod pleríque faciunt,) decem tantùm ab aliquo peccata venialia committi per diem; quantus per unum annum peccatorum numerus excreſcet? certè trium millium, ſexcentorum & quinquaginta numerum æquabit; ſi ergo unicum peccatum leve, ſæpe plurium annorum Purgatorium meruit, ut ſupra oſtenſum eſt, quàm diuturnam pœnam merebuntur peccata tam multa & tam liberè patrata?

Bellarm. l. 1. de amiſſ. grat. c. 13. IV. *Facilitas incurrendi*: quia, ut Card. Bellarminus aſſerere non dubitavit, vix ulli juſti homines, niſi ex magna miſericordia DEI, pœnam purgatorij acerbiſſimam evadunt, ita ut rectà è corpore ad cælum evolent. Atque *Vita c. 38.* idipſum confirmat S. Tereſia de ſeipſa ſcribens: Quamvis multarum Animarum ſtatum mihi Dominus revelare dignatus ſit, ex omnibus tamen, quas vidi animabus, neſcio, an ulla Purgatorium evaſerit, præterquam Religioſi illius, de quo paulò antè verba feci, & S. P. F. Petri de Alcantara, nec non illius Dominicani, cujus ſuprà memini.

V. *Difficultas exeundi è Purgatorio*: ſunt enim animæ illic detentæ Evangelico Paralytico ſimiles, ſeipſas juvare non potentes; conſtat autem, quàm rarum & tenue auxilium à viventibus offeratur.

§. IX.

M E D I A,

Ad Purgatorij pœnam fugiendam, aut minuendam.

I. IMitationi Chriſti ſtudere: ſic enim implebitur, quod ipſe promiſit dicens: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. *Io. 8. v. 12.*

II. *Chriſtiano modo vivere*: nam, teſte S. Maximo, tota vita Chriſtiani crux eſt & Martyrium, ſi ſecundùm Evangelium vivat; atqui Martyres privilegium habent, quòd ſine Purgatorio ad cælum evolent. Adde, quòd ipſa viſitatio peccati ſit medium perefficax, ad flammas illas evitandas, cùm juxta S. Auguſtinum, tanta ſit pertranſeundi mora, quanta eſt peccati materia. Talis profectò uti ſimplicitate ſua, morúmque innocentia parvulorum vitam aſſumit, ita cum his quoque ſine purgatorio, ad cælos tranſibit. *S. Max.* *S. Aug. ho. 16. ex. 50.*

III. *Miſericordiam animabus frequenter exhibere*: ſic enim pari menſura iterum nobis remetietur DEUS, implebítque, quod apud Matthæum promiſit: Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur. *Matth. 5. v. 7.*

IV. *Virtutis ſtudium*: ſic enim B. V. Godefrido Monacho nuntiari juſſit, ut de virtute in virtutem proficeret; ſic enim futurum, ut verus Monachus, ſervúſque tuus & Filij dici queat; nec permiſſuram ſe, ut anima illius in Purgatorium veniat, ſed ipſam ſuſcepturam & Filio oblaturam. *Lanciz. opuſc. 6. n. 162.*

V. *Victoria ſui, & abnegatio voluntatis propria*: quod medium S. Gregorius ſequentibus verbis præſcripſit: Audenter dico, quia ſalutari hoſtiâ poſt mortem non indigebimus, ſi ante mortem DEO hoſtiæ ipſi fuerimus. Et Chriſtus S. Birgittæ dixit: Qui propriam voluntatem relinquit, mihi DEO ſuo obediens, habebit cælum ſine pœna. *S. Greg. l. 4. Dial. c. ult.* *l. 5. revel. apud Lancic. l. c.*

VI. *Pura intentio*: uti Chriſtus S. Mariæ Magdalenæ de Pazz ſuaſit, dum petens, quæ optima eſſet præparatio ad pœnas Purgatorij evadendas, alta voce in raptu dixit: Oportet ſpoliari totaliter nobis ipſis, & veſtiri ſe, ô Domine mi, oportet ambulare cum pura, munda, & ſincera intentione. Hinc illa aſſiduò inculcabat Monialibus, ut, ſi fieri poſſet, etiam ictus oculorum, & minimos motus membrorum ad DEI gloriam dirigerent; ſic enim rectà ad cælum ituras. *Ibid.*

VII.

VII. *Pœnitentiæ, & indulgentiarum lucrandarum ſtudium*: nam, teſte S. Auguſtino, *S. Aug. ſerm. 210.* ceſſat vindicta divina, ſi converſio præcurrat humana. Quod eleganter etiam confirmans *S. Petrus Dam. ep. 1. l. 6.* S. Petrus Damianus, ô quàm jucundum, ait, ô quam inſigne ſpectaculum, cùm ſupernus Judex de cælo proſpectat, & homo ſeipſum in inferioribus pro delictis ſuis mulctat! ubi reus ipſe in pectoris ſui tribunalibus præſident, trifarium tenet officium: in corde ſe conſtituit Judicem, in corpore reum, manibus gaudet ſe exhibere tortorem, ac ſi DEO ſanctus pœnitens dicat: non opus eſt, Domine, ut officio tuo punire me præcipias: non expedit, ut ipſe me juſti examinis ultione percellas: ipſe mihi manus injicio, ipſe de me vindictam capio, vicémque peccatis meis reddo. Hæc eſt hoſtia, quæ viva mactatur, ad DEUM per Angelos oblata defertur.

Cantipr. l. 2. apum. c. 5. VIII. *Labor ſedulus pro majore DEI gloria ſuſceptus*: uti S. Bernardus indicavit, dum Fratrem quendam ſedulò laborantem conſpicatus, dixit illi: Eia Frater, age, quod agis: nullum aliud poſt hanc vitam Purgatorium ſuſtinebis.

Daurolt. c. 2. cathech hiſt. tit. 25. ex. 22. IX. *Generoſorum actuum exercitium*: maximè venia Inimicis data, quam cum Nobilis quidam Fratris occiſori ad genua provolventi dediſſet, Chriſtus ſequenti nocte eidem apparens dixit: Quoniam heri amore mei condonâſti Inimico tuo, noveris, me animam Fratris occiſi hâc horâ è purgatorio liberâſſe, & inſuper animam Patris tui ex eadem pœna exemiſſe, & ambos mecum duxiſſe ad gloriam cæleſtem: te quoque invito in octavum diem, ut relictâ hujus mundi miſeriâ poſſis gloriâ meâ frui. Et ſic factum eſt; nam octavo pòſt die bene præparatus ſanctè quievit.

Bürlinck V. purgat. f. 838. L. 6. revel. X. *Sanctorum cultus*: Sic Dagobertus Rex Francorum ab ingenti Dœmonum turba ad pœnas abreptus, ope SS. Martini, Mauritij & Dionyſij Martyrum invocatâ ereptus, atque ad cælos deportatus eſt. Sed & B. Virgo quondam S. Birgittæ dixit, nullam eſſe pœnam in purgatorio, quæ propter illam non fiat remiſſior & lenior ad ferendum.

§. X.

ASCETICA.

I. TRia præcipuè ſunt, quæ Aſceta de Purgatorio bene obſervare, aliiſque incolcare debet. Primum eſt, ut firmiter credat, Purgatorium dari, eúmque eſſe carcerem, de *Matth. 18.* quo Chriſtus Servo Evangelico dixit: non exies inde, donec ſolvas noviſſimum quadrantem; hoc enim de carcere Mundi aut Inferni intelligi non poteſt, cùm ex inferno nulla ſit redemptio: in carcere mundi verò non ponantur omnes tales, qui per ultimi quadrantis ſolutionem dimittantur è carcere.

B. Guarricus ſ. 4. de purif. II. Secundum eſt, ut ſalutarem timorem hujus pœnæ concipere ſtudeat; quem in finem ſerviet B. Guarrici Abbatis ſententia, ſic loquentis: Væ nobis, ſi dies adimpleatur, & purgatio minimè adimpleatur, & poſtea neceſſe ſit impleri, & illo nos igne purgari; quo nihil pœnalius, nihil acrius aut vehementius in hac vita poteſt excogitari! Sed quis ille tam perfectus, tam ſanctus, qui, cùm hinc exierit, nihil debeat igni illi? quis ſic ad purum omnem in ſe ſcoriam excoxerit peccati, ut gloriari poſſit caſtum ſe habere cor, ut dicere poſſit: mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Ex hoc ſanè timore perfecta erga Deum ſubjectio orietur, uti ſapienter advertit S. Anſelmus ſic diſcurrens: Sciendum eſt etiam, *S. Anſelm. in Elucidar.* quia gravior eſt ille ignis, quàm quidquid poteſt homo pati in hac vita; omnia enim tormenta, quæ hîc ſunt, faciliora ſunt; & tamen homines, ne ea patiantur, quidquid ab homine juſſum fuerit, faciunt; quantò meliùs eſt, ut faciant ea, quæ jubet DEUS, ne illa graviora patiantur?

III. Tertium eſt, ut ſolidum ſciat modum *Lancic. opuſc. 6. n. 154.* evitandi purgatorium, quem quidem Chriſtus olim S. Gertrudem docuiſſe videtur; cùm enim hæc vidiſſet animam, quæ communibus Eccleſiæ ſuffragijs juvari non poterat ob quoddam impedimentum, petijt à DEO, eam ut doceret, quibus orationibus poſſet obtinere, ut anima cujuslibet defuncti liberetur ab hoc terribili pondere, quod eſt impedimentum ſuffragiorum Eccleſiæ. Cui Dominus reſpondit: per talem effectum amoris, qualem tu in hâc horâ ſenſiſti, non per orationes. Et ſicut hoc nullus homo poteſt per ſe habere, niſi ego dederim, ſic etiam tale auxilium nulli animæ præſtari poteſt poſt mortem, niſi quæ ſpeciali gratia hoc promeretur in vita. Scias tamen, hoc ipſum intolerabile gravamen proceſſu temporis relevari quibuslibet orationibus ſive laboribus Amicorum fideli intentione peractis. Et ita citiùs vel tardiùs liberantur, ſecundùm quod conatus Fidelium pro eis affectuoſiori inſtat devotione, & ſecundùm etiam quod in vita promeruerunt. Ex qua revelatione facilè patet, præ aliis ad evitandas Purgatorii pœnas efficax eſſe remedium, miſericordiam animabus præſtitam; hæc enim facit, ut & ipſæ animæ liberatæ pro nobis efficaciter orent, & nos digni efficiamur, ſimilem illi, quam exhibuimus, miſericordiam experiendi.

§. XI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut* *2. Mach. 12. v. 46.* *à peccatis ſolvantur*: poteſt exiſtentia & veritas Purgatorij probari, idque tribus potiſſimùm teſtimonijs, cùm juxta Chriſti teſtimonium: In *Matth. 18. v. 16.* ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. 1. Authoritate *S. Scripturæ*, juxta textus §. 2. citatos, quorum unus altérve clarior ſeligatur, & explicetur. 2. *SS. Patrum*: quorum teſtimonia §. 3. reperire eſt. 3. *Ratione*: quod triplici ratione fieri poteſt, nempe vel oſtendendo, quòd, ut ipſe etiam Cicero diſcurrit, conſtet experientiâ, hominum alios eſſe optimos, & his meritò prœmia æterna debe-

ri: alios peſſimos, in quos proin rectè pœna æterna conſtituta ſit: alios demum ex parte bonos, ex parte malos, & pro his neceſſarium eſſe locum, in quo à peccatis purgentur: vel demonſtrando, quòd ipſis etiam Ethnicis lumen naturæ dictârit, eſſe ſimilem locum, uti §. ſequenti oſtendetur: vel enarrando varia exempla, quibus probetur mortuos à vivis opem petiiſſe, & quibus fidem adhibendam eſſe ob qualitatem circumſtantiarum, ipſa ratio dictet. Quæ omnia fuſiùs diducta apud Fabr. conc. 1. in commem. anim. & apud Jacobum Montfordum tr. de miſer. animabus exhibenda c. 1. & 2. videri poſſunt.

Eccl. 4. v. 12.

II. Ex occaſione thematis: *Funiculus triplex difficilè rumpitur*: poteſt dicere Concionator, nihil eſſe communiùs, quàm ut omnes homines ad Purgatorium properent, atque ad flammas illas vehementiùs ſuccendendas ligna ipſi comportent, cùm etiam Juſtus ſepties in die cadat; & quod dolendum, paucos eſſe, qui dignam de illo loco, pœnisve æſtimationem habeant; ſe proinde triplici funiculo eos retrahere conaturum, id eſt, demonſtraturum triplici cauſâ, cur Purgatorium ſingulari ſtudio declinare debeant. 1. Ob gravitatem *pœnæ ſenſibilis*, quæ tum ex varietate, tum ex acerbitate colligi poteſt, cùm juxta fundatam doctrinam Doctorum gravior ſit minima pœna illius loci, omnibus tormentis & morbis hujus Mundi. Fingamus autem hominem quempiam ſingulis in membris acutiſſimum morbum chiragræ, podagræ, colicæ, dentium, calculi &c. habere: aut reum omni genere tormentorum, quo ullus Martyrum eſt excarnificatus, torqueri, quantoperè non abhorreremus à tali miſeria; atqui gravior eſt Purgatorij pœna. 2. *Ob carentiam viſionis beatificæ*: quæ tantò gravior eſt, quantò vehementius eſt deſiderium dictæ viſionis ex ſumma æſtimatione illius conceptum. 3. *Ob diuturnitatem*: quæ triplici ex capite oritur, nempe ex temporis ipſius longitudine: ex pœnarum acerbitate, quæ facit, ut una hora aliquot annis æquivalens viſa ſit; & ex deſiderij vehementia, quæ facit, ut omne tempus, quod ab impletione illius ſuſpendit, longum videatur. Quæ omnia fuſiùs explicata videri poſſunt apud Jacobum Montfortium. c. 3. & ſeq. & Matthiam Fabrum. conc. 3. in commemoratione animarum.

Pſ. 141. v. 8.

S. Bonav. in ſerm. de anim.

III. Ex occaſione thematis: *Educ de cuſtodia animam meam*: poteſt explicari, quàm gravis ac moleſtus, atque adeò meritò fugiendus ſit Purgatorij carcer; ob quadruplicem cauſam à S. Bonaventura aſſignatas, nempe 1. Quia reddit *meritum impoſſibile*, quia tunc venit nox, quando nemo poteſt operari. 2. Quia reddit *jugum ineffugabile*; cùm per potentiam DEI, plùs quàm mille ferreis catenis, januiſque teneantur, & conſtringantur. 3. Quia reddit *debitum inſolubile*: cùm tempus ibi ſit patiendi duntaxat, atque adeò non niſi alienis meritis hoc debitum exolvi citiùs queat. 4. Quia *reddit incendium intolerabile*: cùm ibi gravior hora una in pœna ſit futura, quàm hîc centum anni in amariſſima pœnitentia, ut loquitur pius Author. Quæ omnia videri poſſunt fuſiùs deducta apud Henricum Engelgr. in commem. anim. §. 1.

L. 1. c. 24. §. 4.

Matth. 5. v. 25.

IV. Ex occaſione thematis: *Eſto conſentiens Adverſario tuo, dum es in via*: poſſunt varia media ad conciliandum Chriſtum, ſatisfaciendúmque pro pœna proponi, præcipuè tria. 1. Orando, ut debitum dimittatur; ſicut Chriſtus docuit, dum in oratione Dominica etiam hanc petitionem poſuit: Et dimitte nobis debita noſtra. 2. *Amando*: quia amicorum proprium eſt, amato debita facilè condonare; hinc de S. Maria Magdalena Chriſtus dixit: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm. 3. *Mutua remiſſione*: ſi ſcilicet Chriſto vel in Inimicis ſua debita dimittamus, vel amore ipſius pro animabus in Purgatorio exiſtentibus frequenter oremus, & operemur, ſicque eorum debita ſolvamus; hæc enim omnia, ut ſibi facta, reputat Chriſtus.

Eccl. 3. v. 33.

V. Ex occaſione thematis: *Ignem ardentem extinguit aqua*: poteſt oſtendi, quomodo ignem Purgatorij reſpectu noſtri extinguere, id eſt, evitare debeamus. Videlicet 1. *Affundendo aquam pœnitentiæ ſeu lacrymarum*: ſi enim nos ipſos dijudicaremus, (id eſt, puniremus,) non utique judicaremur, teſte S. Paulo. 2. *Affundendo lac miſericordiæ*: nam lac ſpecialiter aptum eſſe ad ignem extinguendum, experientia oſtendit; ſed aptius eſt lac miſericordiæ ad ignem Purgatorij extinguendum, uti jam pridem ſuaſit Daniel Nabuchodonoſori dicens: Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum. 3. *Subtrahendo ligna*; nam ut Salomon ait, cùm defecerint ligna, extinguetur ignis; hæc autem ligna nihil aliud ſunt, quàm ipſa peccata. Unde S. Bernardus: ceſſet voluntas propria (per quam peccatũ committitur,) & infernus non erit. Vide hæc fuſiùs apud Fabrum in conc. 7. comm. anim. & in auctorio the. 4. in feſto S. Jo. Baptiſtæ.

1. Cor. 11. v. 31.

Dan. 4. v. 24.

Prov. 26. v. 20.

Luc 6. v. 38.

VI. Ex occaſione thematis; *Quâ menſurâ menſi fueritis, eâdem remetietur vobis*: poteſt oſtendi, non eſſe efficaciùs medium evadendi purgatorium, quàm ſi quiſque conetur, multas ex purgatorio animas liberare, idque probari poteſt triplici ratione. 1. Ex parte Chriſti, qui perinde reputat hoc beneficium, ac ſi ſibi fuiſſet exhibitum, ac proinde meritò eximit à purgatorio illum, qui ipſum toties in animabus exemit. 2. Ex parte animarum liberatarum: quæ agnoſcentes beneficij magnitudinem, tum ex gloriæ acceleratæ magnitudine, tum ex pœnarum abbreviatarum acerbitate, non ceſſabunt orare pro ſuo benefactore, ut ne ipſe quoque veniat in locum illum tormentorum. 3. Ex parte æquitatis: quia æquiſſimum eſt, ut, quâ menſurâ menſi ſumus, eâdem remetiatur nobis. Quæ fuſiùs explicata vide apud Montfordum c. 11.

Matth. 16. VII. Ex occaſione thematis : *Tibi dabo claves regni calorum*: poteſt oſtendi 1. quàm magnus theſaurus in Eccleſia à Chriſto ſit repoſitus, ad debita noſtra extinguenda. 2. Quomodo ad hunc theſaurum claves Pontifici ſint traditæ, iſque per eas aperuerit eum, variáſque indulgentias eum infinem propoſuerit. 3. Quàm efficax hæ indulgentiæ ſint medium ad debita ſua ſolvenda, & quomodo quiſque earum ſe participem facere poſſit ac debeat. De qua materia vide fuſiùs diſſerentem Montfordum c. 14. & Fabrum in auctario them. 4. n. 4. in feſto S. Jo. Bapt.

§. XII.

MISCELLANEA.

Veritas.

Beſſaus in commem. anim. I. TRes in orbe principes Religiones ſunt, & omnes pro mortuis curam gerunt. 1. Judaica, quæ ſuum Mahoſor, libellum precatorium, paſſim precibus pro Defunctis impletum habet. 2. Turcica: quæ pariter pro mortuis orat, & reverenter admodum de ijs loquitur, aliſque ſex mille lampades ante ſepulchrum Machometi in urbe Mecha. 3. Chriſtiana, de qua conſtat. Soli Hæretici miſericordiæ expertes ſunt, ad quorum ſepulchra cùm cantetur tantùm & prædicetur, perijt cum ſonitu memoria eorum.

Ibid. II. Etiam ethnici mortuos colendos cenſuerunt. Hinc Albani cum mortuis ſepeliebant, quæ cariſſima & pretioſiſſima fuerant, & Cicero ſcribit, primum ad pietatem gradum eſſe, eorum, qui ante nos vixerunt, meminiſſe.

2. Reg. 14. III. Abſalon biennio exulare juſſus eſt ab aula Patris, tametſi David omne ei peccatum remiſiſſet; ita licet culpa quibusdam morientibus remittatur, manet tamen pœna in purgatorio exolvenda.

Epiſt. 2. in peregr. Ieroſol. IV. Cùm Princeps Radzivilius Turcam quendam aviculas captas dimittentem interrogaret, cur id faceret? reſpondit is, ſe credere, merito hujus operis animas Propinquorum ſuorum nonnihil ſublevari.

Qualitas.

V. Rectè clamant animæ Purgatorij: miſeremini mei ſaltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me; non enim utraque manus, nempe æternitas & acerbitas pœnarum, ſed una duntaxat temporalis pœnæ eos tetigit. *Beſſaus in comm. anim.*

VI. S. Gertrudis vidit animam quandam non potuiſſe communibus Eccleſiæ ſuffragijs juvari, donec aliquantulùm purgata, DEO miſerante, deponeret onus culparum, ſcilicet inveteratarum, ab ea priùs neglectarum. *L. 5. inſin. c. 19.*

VII. B. Maria Magdalena de Pazz in raptu dicebat, omnia tormenta, quæ paſſi ſunt Martyres, fuiſſe tanquam amœnum hortum, reſpectu eorum, quæ infliguntur in purgatorio. *Vit. p. 2. c. 18.*

§. XIII.

AUTHORES.

I. LUcas Pinellus de altera vita à c. 25. l. 1. uſque ad 30.

II. Dionyſius Carthuſianus de noviſſ. l. 2. à c. 14. uſque ad 34.

III. Jacobus Montfordus in tract. de miſericordia animabus præſtanda.

IV. Seelen-Hilff Martini de Roa.

V. Herold. Georgij Rauch.

VI. Nicolaus Lancizius opuſc. 6. c. 10. & 11.

VII. Caſparus Tauſch in Matre doloroſa p. 3. c. 7. per aliquot §§.

VIII. Jodocus Andries tr. de purgatorio.

IX. Philippus D'outreman p. 2. Pœdag. c. 20. & 19.

X. Laurentius Beirlynck in theatro vitæ humanæ. V. eodem

XI. Matthias Faber in comm. anim. c. 1. 2. 3. 4. 7. & in auct. them. 4. in feſto S. Jo. Bapt.

XII. Henricus Engelgrave in commem. Fid. Defunct.

XIII. Joſephus à Jesu Maria in Legato animarum.

XIV. Stimulus quotidianus Hieronymi Meazza.

XV. Jacobus Hautinus in Lytro animarū.

XVI. Laurentius Kepplerus in ſubſidio animarum.

XVII. Hayſſame Kurtzweil die Seelen zu fiſchen / me Auhore typo commiſſum.

TITVLVS

TITULUS XXIII.

RELIGIOSUS STATUS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Platus l. 1. c. 2. EST ſtatus ad Chriſtianam perfectionem per vota Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ tendens, uti P. Hieronymus Platus definit; cujus definitionis clariorem & fuſiorem explicationem ex S. Thoma affert ſequentibus verbis: Ligare rem dicimus, quando alteri ſic eam adſtringimus, ut ei facultas adimatur, aliò divertendi, religare autem, quam iterum eidem rei devincimus, cum quâ priùs conjunctus fuerat, & à quâ defluens diſtare cœperat. Omnis autem res creata antè in DEO extitit, quàm in ſeipſa; cùm verò à DEO per creationem proceſſit, quaſi quibusdam paſſibus progreſſa, ſeſe ab eo removiſſe videtur. Quare eæ quidem, quæ poſſunt, & quæ ejus capaces ſunt, rurſum in DEUM revocandæ, & cum eo colligandæ ſunt. Primum autem vinculum, quo homo conjungitur, & alligatur DEO, eſt fides, cujus fidei officia, & ſigna, externis actibus exhibentur. Ex quo fit, ut religio primâ ac præcipuâ ſignificatione omnem cultum ac cæremoniam notet, quâ DEUM ritè venerantes, fidem noſtram, quæ in animo latet, conteſtamur. Sed tamen quia DEUS non ſola fide, nec ſolis ſignis fidei colitur, verùm alijs quoque virtutibus, ſpe, & caritate; ideo harum quoque virtutum opera interdum religionis opera appellantur, ut viſitare Pupillos, & Viduas in tribulatione, quemadmodum dixit S. Jacobus Apoſtolus. c. 3. Et prior quidem illa religionis ſignificatio in omnes Chriſtianos convenit; omnes enim ipsâ Baptiſmi profeſſione ſeſe ligant cum DEO, ac devovent ad cultum ei debitum præſtandum. Poſterior autem, quâ quibusdam caritatis operibus illigamur, propria ac peculiaris eſt certorum hominum, qui certis etiam actionibus deſtinantur, ſive hæ ad vitam contemplativam, ſive ad activam pertineant; quot enim ſunt hæc operum genera, tot religiones ad ea exequenda inſtitui poſſunt.
S. Dion. de Eccl. hier. c. 12. S. Dionyſius putat hanc ob cauſam ab initio omnes Religioſos fuiſſe Monachos appellatos, eò quòd hoc nomen ab unitate veniat, atque adeò perquam aptum viſum fuerit ad unitatem illam ſignificandam, quam cum DEO religioſa diſciplina efficit.

S. Damaſc. c. 38. in vita Barlaã. II. Alij alias definitiones, aut deſcriptiones potiùs attulerunt. S. Joannes Damaſcenus dixit: Hoc verè Monaſtici Ordinis munus eſt, nunquam Spirituali opere vacuum inveniri. Abbas Moyſes commonebat Fratres dicens: quatuor ſunt Monacho principaliter obſervanda, id eſt, tacendi, ſervandi mandata DEI, humiliandi ſemetipſum, & anguſtia paupertatis. S. Climacus dicebat: Monachus ita virtutibus affectus eſt, ut voluptatibus alius. Et iterum: Monachus eſt ordo & ſtatus Angelicus, in corpore materiali & ſordido conſummatus. Monachus eſt perpetua naturæ violentia, ſenſuúmque vigilantiſſima & indefeſſa cuſtodia. Monachus eſt caſtificatum corpus, expiatum os, animúſque ſemper divino lumine irradiatus. Et iterum: quis eſt fidelis & prudens Monachus? qui fervorem ſuum ſervavit inextinguibilem, & in dies uſque ad finem vitæ ſuæ ignem igni adijcere, fervorem fervori, deſiderium deſiderio, & ſtudium ſtudio nunquam deſijt. S. Clim. gr. 1. S. Bernardus ait, religioſum ſtatum eſſe, in quo debet eſſe Angelica converſatio in corpore, in corde prophetica exſpectatio, in utroque Apoſtolica perfectio. S. Bern. ſ. de altit. & baſſ. cord.

Diviſio.

III. Dividitur in *Contemplativum, Activum, & Mixtũ*. Contemplativus eſt, qui in ſola contemplatione & mentis agitatione conſiſtit, atque ad dilectionem DEI immediatè ac directè ordinatur; qualis eſt Monachorum SS. Antonij, Baſilij, Benedicti, Romualdi, Brunonis, & ſimilium. Activus eſt, qui in operibus externis caritatis occupatur, & ad ſolam Proximi dilectionem ordinatur immediatè, licet indirectè, & principaliter ac ultimatè etiam ad dilectionem DEI tendat, & talis eſt Equitum Jeroſolymitanorum, S. Jacobi, S. Joannis, Fratrum de Miſericordia, aut Redemptione Captivorum. Tertius eſt eorum, qui contemplationem cum actione conjungit, & ad DEI, Proximíque dilectionem ordinatur; qualis eſt Ordo SS. Auguſtini, Dominici, Franciſci, Ignatij; qui poſtea in varias iterum Claſſes dividuntur.

IV. Alio modo dividi poteſt Religioſus Status in Statum *Monachorum*, in quo potiſſimùm viget ſancta illa nuditas, nihil habendo, nihil poſſidendo, fraterna concordia, & ſumma unitas, unum corpus è multis membris, mutuum auxilium, obedientia majorum conjuncta cum humilitate ipſius ſtatus, & cum ijs fructibus, qui ex obedientia exiſtunt. Et *Clericorum*, in quo excellunt labor & opera in Proximos, concionandi ſtudium, pugna cum Dæmone, propagatio divini honoris, dignitas ipſa Sacerdotalis, tractatio divinorum Myſteriorum. Quam diviſionem, more ſuo Platus. l. 2. c. 23.

S. Ambroſ. apud Platum l. c. præclarè eddiſſerens S. Ambroſius, hæc duo, inquit, in attentiore Chriſtianorum devotione præſtantiora eſſe, quis ambigat Clericorum officia, & Monachorum inſtituta? iſta ad comitatem, & mortalitatem diſciplina; illa ad abſtinentiam aſuefacta, atque patientiam. Hæc velut in quodam theatro, illa in ſecreto, ſpectatur iſta, illa abſconditur. Ideo bonus Athleta ait, ſpectaculum facti ſumus huic mundo; hæc ergo vita in ſtadio, illa in ſpelunca: hæc adverſum confuſionem ſeculi, illa adverſus carnis appetentiam: hæc ſubjiciens, illa refugiens corporis voluptates: hæc gratior, illa tutior: hæc ſeipſam regens, illa ſeipſam coërcens: utraque tamen ſe abnegans, ut fiat Chriſti, quia perfectis dictum eſt: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Hæc ergo dimicat, illa ſe removet: hæc illecebras vincit, illa refugit: huic Mundus triumphatur, illi exultat: huic Mundus crucifigitur, vel ipſa Mundo, illi ignoratur: huic plura tentamenta, & ideo major victoria; illi infrequentior lapſus, facilior cuſtodia. Hucuſque S. Ambroſius.

V. De. que dividi etiam poteſt Religioſus Status in ordinem *Mendicantium*, qui vi inſtituti ſui nullos ſtabiles redditus poſſidere, ſed mendicatâ eleemoſynâ vivere coguntur, quales ſunt præcipuè Ordo SS. Dominici, Franciſci, Auguſtinianorum Eremitarum, Carmelitarum, & Societatis JESU; & *non Mendicantium*, qui ſtabiles redditus poſſidere poſſunt; quales ſunt Benedictini, Canonici Regulares, & ſimiles.

Platus l. 2. c. 24. VI. Porro hæc diverſitas & varietas, tum ad dignitatem, tum ad utilitatem Eccleſiæ inſtituta eſt. Ad dignitatem quidem, quia, ut in Regum aulis, ita & in Eccleſia, quæ eſt DEI aula, ad amplitudinem ac majeſtatem pertinebat, ut quàm plurimos haberet ſervorum ordines, qui & inſtituto, & ipſo etiam veſtitu quaſi in multas claſſes diſtincti eſſent; & ut hâc varietate ad cœleſtis Jeruſalem imaginem quàm proximè accederet, in qua non unus Angelorum Ordo, ſed tot Ordines & Hierarchiæ, naturâ quidem ſimiles, ſed gradu, officiiſque diſpares aſſiduè DEO ſerviunt. Ad utilitatem verò Eccleſiæ tendit hæc varietas quatenus per hos ordines, quaſi per totidem cohortes, fortiſſimè propugnatur (unde plerumque novâ Hæreſi exortâ, novus quoque ordo exortus eſt,) per eosdem tanquam fideliſſimos DEI Amicos precibus juvatur, & DEO conciliatur: & particularium membrorum ſaluti promonendæ, ſecundùm ingeniorum & propenſionum varietatem, diverſa & accommodata media offeruntur.

Ritus.

VII. Varij varijs à Religionibus adhibentur, ſed quinque præcipuè ſunt omnibus communes. Primus eſt *Habitus*, à ſecularibus & Laicis diverſus, in quo explicando totum librum Inſtitutionum ſuarum conſumpſit Caſſianus; potiſſima tamen illius cauſa eſt, teſte S. Dionyſio, ut ſignificetur Religioſis, eos etiam veſte vitam quoque mutare, moreſque à Laicis diverſos aſſumere debere.

VIII. Alter ritus eſt *Capitis certa tonſura*, quæ omnibus etiam Religioſis, ſaltem in Clericali Ordine conſtitutis, communis eſt, & tum ad ſpineam coronam Chriſti, ut vult V. Beda: vel ad regiam dignitatem, cùm ſervite DEO regnare ſit: vel ad indicandam ſuperfluarum curarum rejectionem, ut vult B. Iſidorus: vel denique in ſignum pœnitentiæ (nam olim pœnitentes non niſi tonſi in Eccleſiam recipiebantur,) adhibetur. *V. Beda l. 5. hiſt. Eccl. S. Iſid. l. 2. de offic. c. 4.*

IX. Tertius eſt *Probatio*, tum in favorem ingredientis, tum Religionis etiam ipſius inſtituta, ut hæc quidem illius mores & genium, ille hujus difficultates experiri poſſit; eſtque varia juxta Statutorum & Conſuetudinum cujuſque ordinis varietatem, potiſſimùm tamen in trium votorum religioſâ obſervantia, operibus humilitatis & pœnitentiæ, & inſtructione in rebus ad perfectionem religioſam, ac officia ordinis pertinentibus conſiſtit.

X. Quartus eſt *Profeſſio religioſa*: quâ quis in verum Ordinis religioſi membrum aſſumitur, ac ad valorem ſuum tria requirit capita. 1. Ut fiat poſt annum ſaltem probationis completum. 2. Ut profitens annum decimum ſextum compleverit. 3. Ut coronam eo, qui habet legitimam ſuſcipiendi poteſtatem, aut ejus vicario fiat, idque vel explicitè, ut ſi quis diſtinctè tria vota Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ voveat: vel *implicitè*, ut ſi quis ſe victurum juxta regulam promittat: vel *tacitè*, ut ſi quis poſt Novitiatum geſtet Profeſſorum habitum. *Buſæus de Monach. Statu.*

XI. Quintus denique eſt *Regulæ propoſitio*: in qua ſicut proprius cujuſque Religionis Spiritus continetur, ita præcipuo ſtudio à ſingulis Religioſis obſervanda eſt, utpote de qua meritò dici queat id, quod poſt mortem S. Benedicti duobus Religioſis ejuſdem Ordinis dictum eſt, dum viam pallijs ſtratam, & luminibus præfulgentem conſpicati, has à Sene viæ inſiſtente voces audiverunt: Hæc eſt via, quâ dilectus Domini Benedictus ad cœlum aſcendit. *S. Greg. L. 2. dial. c. 37.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Intrate per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam. *Matth. 7. v. 14.*

II. Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me. *Matth 19. v. 21.*

III. Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & Matrem, & Uxorem, & Filios, & Fratres, & Sorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe Diſcipulus. *Luc. 14. v. 26.*

IV. Qui

Ibid. ℣.27. IV. Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe Diſcipulus.

Eccleſ. 6. ℣.25. V. Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris in vinculis illius.

Pſal. 44. ℣.11. VI. Audi, Filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere Populum tuum, & domum Patris tui.

Gen. 12. ℣.1. VII. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam mouſtravero tibi, faciámque te in gentem magnam, benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus.

Iſa. 26. ℣.20. VIII. Vade Populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum, ad momentum, donec pertranſeat indignatio.

Eph. 4. ℣.1. IX. Obſecro vos, ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes invicem in caritate.

Eccl. 39. ℣.17. X. Obaudite me divini fructus, & quaſi roſa plantata ſuper rivos aquarum fructificate. Quaſi Libanus odorem ſuavitatis habete. Florete flores quaſi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & date Canticum, & benedicite Dominum in operibus ſuis.

Io. 15. ℣.16. XI. Poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.

Utilitas.

Pſal. 83. ℣.11. XII. Quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia, elegi abjectus eſſe in domo Domini mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Matth. 19. ℣.29. XIII. Omnis, qui reliquerit domum, vel Fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, aut Filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

Thren. 3. ℣.27. XIV. Bonum eſt viro, cùm portaverit jugum ab Adoleſcentia ſua.

Eccl. 4. XV. Meliùs eſt, duos eſſe ſimul, quàm unum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ; ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe. Et ſi dormierint duo, fovebuntur mutuò; unus quomodo calefiet? Et ſi quiſpiam prævaluerit, duo reſiſtent ei: funiculus triplex difficilè rumpitur.

2. Paral. 30. ℣.18. XVI. Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum DEUM Patrum ſuorum, & non imputabit eis, quod minùs ſanctificati ſint.

Oſea 14. ℣.6. XVII. Ero quaſi ros Iſraël, germinabit ſicut lilium, & erumpet radix ejus, ut Libani: ibunt rami ejus, & erit quaſi oliva: gloria ejus, & odor ejus ut Libani. Convertentur ſedentes in umbra ejus, vivent tritico, & germinabunt quaſi vinea, memoriale ejus ſicut vinum Libani.

Pſ. 104. ℣.44. XVIII. Dedit illis regiones Gentium, & labores Populorum poſſederunt, ut cuſtodiant juſtificationes ejus, & legem ejus requirant.

XIX. Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis Populis: mea eſt enim omnis terra. *Exod. 19. ℣.5.*

XX. Benedictus DEUS, & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto. *Eph. 1. ℣.3.*

Dignitas.

XXI. Jam non eſtis Hoſpites & Advenæ, ſed eſtis cives Sanctorum & Domeſtici DEI: ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto JESU. *Eph. 2. ℣.19.*

XXII. Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum. Qui aliquando non Populus, nunc autem Populus DEI: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti. *1. Petr. 2. ℣.9.*

XXIII. Fidelis DEUS, per quem vocati eſtis in ſocietatem Filij ejus JESU Chriſti Domini noſtri. *1. Cor. 1. ℣.9.*

XXIV. Sic in Sion firmata ſum, & in civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Jeruſalem poteſtas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte DEI mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. *Eccl. 24. ℣.15.*

XXV. Pars DEI Iſraël facta eſt manifeſta, & omnia opera eorum velut Sol in conſpectu DEI, & oculi ejus ſine intermiſſione inſpicientes in viis eorum. *Eccl. 17. ℣.14.*

XXVI. Hæc dicit Dominus, creans te Jacob, & formans te Iſraël: noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu. Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & glorioſus, ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua. Populum iſtum formavi mihi, laudem meam narrabit. *Iſaia 43. ℣.1. & ſeq. ℣.21.*

Jucunditas.

XXVII. Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. *Pſal. 83. ℣.5.*

XXVIII. Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. *3. Reg. 10. ℣.8.*

XXIX. Unam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ; ut videam voluptatem Domini, & viſitem templum ejus. *Pſ. 26. ℣.4.*

Neceſſitas.

XXX. Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, evenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. *Prov. 1. ℣.24.*

Fœcunditas.

Jer. 3. v. 19. XXXI. Quomodo ponam te in Filios, & tribuam tibi terram deſiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum gentium? & dixi: Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis.

Ezech. 36. v. 37. XXXII. Hæc dicit DEUS: adhuc invenient me domus Iſraël, ut faciam eis. Multiplicabo eos, ſicut gregem hominum, ut gregem ſanctum, ut gregem Jeruſalem in ſolemnitatibus ejus: ſic erunt civitates deſertæ plenæ gregibus hominum, & ſcient, quia ego Dominus.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Laurent. Juſt. apud Lancez. op. 1. n. 195. I. Virilium animorum, atque Chriſto in ſpiritu militantium proprium hoc eſſe cognoſcitur, ut magis belli, quàm tranquillitatis tempus, & potiùs exerceri laboribus, quàm ignaviâ contabeſcere concupiſcant.

S. Bonav. l. de ſex alis. c. 3. II. In hoc differunt laudabiles Religiones & jam collapſæ, non quòd nullus peccans in laudabilibus reperiatur, ſed quòd nullus impunè peccare ſinatur, & peccandi aditus præcludatur ſtudioſè, ut boni corrigantur, incorrigibiles eliminentur.

S. Gregor. hom. 20. in Ezech. III. Cùm aliquis omne, quod habet: omne, quod vivit: omne, quod ſapit, omnipotenti DEO vovit, holocauſtum eſt.

S. Auguſt. in pſal. 83. IV. Quoniam dictum eſt: Fili, accedens ad ſervitutem DEI, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem: accedens quoque ad ſervitutem DEI, ad torcular ſe veniſſe cognoſcat. Tribulabitur, conteretur, comprimetur, non ut in hoc ſæculo pereat, ſed ut in apothecas DEI defluat.

S. Chryſoſt. hom. 5. in Gen. V. Quotidie de bonis operibus vos admonere cupimus, ut perfecti, conſummatis virtutibus vitâ præditâ ſpectabiles facti ſitis, irreprehenſibiles & ſinceri, immaculati Filij DEI, & luceatis, ſicut luminaria in Mundo, ſermonem vitæ habentes, in noſtri gloriationem in die Chriſti, ut vel ſolo aſpectu his propoſitis, qui vobiſcum verſantur, ac veſtræ ſpiritualis fragrantiæ, veſtræque optimæ vitæ ac converſationis bonæ ſint participes.

S. Clim. gr. 2. & 23. VI. Attendamus nobis ipſis, ne fortè dum anguſtam & arduam viam nos pergere aſſerimus, latam & ſpatioſam viam teneamus, nóſq; ipſos ſeducamus. Anguſtam tibi viam indicabit ventris afflictio, panis inedia, ſalubre & purgativum ignominiæ poculum, ſubſannationes, illuſiones, ludibria, abſciſſiones propriarum voluntatum, offenſarum tolerantia, contemptus noſtri, murmurationum toleratio, vim ſibi in tolerando contumelias inferre, injurias fortiter perpeti, detrahentibus non indignari, contemnentibus te non ſuccenſere, condemnantibus humilitatem exhibere. Beati, qui prædictam viam pergunt, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

VII. Horum opes ſunt in paupertate, poſſeſſio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cælibatu. Qui delicias minimè ſtudere pro deliciis habent: qui regni cæleſtis gratiâ humiles ſunt: qui in Mundo nihil habent, & ſupra Mundum exiſtunt: qui in carne extra carnem vivunt: qui pro portione Dominum habent: qui propter Regnum cæleſte inopiâ laborant, & propter inopiam regnant. *S. Gregor. orat. 14.*

VIII. Ibi diverſa ſunt officia, & multa exhibentur caritatis obſequia. Ibi omnia tempus habent, & ad opus ſuum quiſque ex obedientia vadit. Ibi infirmus à fortiori ſuſtentatur. Ibi ſanus infirmum viſitans, Chriſto ſervire lætatur. Ibi uno deficiente, alius locum ejus ſupplet. Ibi ſana membra pro debilibus roborantur. Ibi activus pro vacante laborat, vacans pro laborante exorat. Ibi habet homo multos pro ſe orantes, & in extremis ſe contra Diabolum protegentes. Ibi tot auxiliarios invenit, quot ſocios habet. *Tho. Kemp. p. 1. ſerm. 2.*

IX. Vetus eſt B. Antonij, admirabiliſque ſententia, Monachum, qui poſt cœnobiale propoſitum faſtigia nititur ſublimioris perfectionis attingere, minimè debere ab uno univerſa genera virtutum expetere. Alius enim ſcientiæ floribus exornatur, alius diſcretionis ratione robuſtiùs communitur: alter patientiæ gravitate fundatur: alius humilitatis, alius continentiæ virtute præfertur, alius ſimplicitatis gratiâ decoratur. Hic magnanimitatis, ille miſericordiæ; iſte vigiliarum, hic taciturnitatis; ille laboris ſtudio ſupereminet cæteros: & idcirco Monachum ſpiritualia mella condere cupientem, velut apem prudentiſſimam, debere unamquamque virtutem ab iis, qui eam familiariùs poſſident, decerpere, & in ſui pectoris vaſe diligenter recondere. *Caſſian. l. 5. c. 4.*

Neceſſitas.

X. Dignus planè eſt morte, qui tibi, Domine JESU, recuſat vivere, & mortuus eſt: & qui tibi non ſapit, deſipit; & qui curat eſſe niſi propter te, pro nihilo eſt, & nihil eſt. Propter temetipſum DEUS feciſti omnia, & qui vult eſſe ſibi, & non tibi, nihil eſſe incipit inter omnia. *S. Bern. ſ. 20. in Cant.*

XI. Cæſari, ait Dominus, reddendum eſſe, quod Cæſaris eſt: DEO autem, quæ ejus ſunt propria, corpus, animam, voluntatem; ab eo enim hæc profecta & aucta retinemus, & proinde condignum eſt, ut ſe totos reddant, cui debere ſe recolunt originem & profectum. *S. Hilar. in Matth.*

XII. Plerique ſunt, qui, niſi omnia reliquerint, ſalvari apud DEUM nullatenus poſſunt. *S. Gregor. l. 2. ep. 61.*

XIII. Lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſalvare ſe poſſe ſperat. Incerta eſt victoria, inter hoſtilia arma pugnare, & impoſſibilis liberatio eſt, flammis circumdari, nec ardere. *S. Cyprian. apud Lancez.*

XIV. Periclitatur caſtitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, caritas in ſæculo nequam. Fugite de *S. Bern. de converſ. ad Clerum.*

medio Babylonis, fugite & ſalvate animas veſtras.

Utilitas.

S. Laurent. Juſtin. c. 7. de diſcipl. Mon. XV. Securè ſperet, poſt hanc peregrinationem ad illam ſupernam intrare Jeruſalem, quicunque in juſtorum Congregationem fuerit vocatus. Magnum quippe Electionis indicium eſt, hujus Fraternitatis habere conſortium, facileque ab illa excluditur, qui ab hac fuerit ſegregatus. Ideo cum omni circumſpectione & animi maturitate ſe ſtudeat promovere, quiſquis in hæc ſancta Collegia DEO dicata vocatus eſt, ne Diaboli fallaciâ, aut ſui negligentiâ, amoveatur ab illo.

Ibid. XVI. Illius cæleſtis Civitatis iſte eſt introitus, iſte nempe eſt locus, de quo ait S. Jacob: Verè non eſt hîc aliud, niſi domus DEI, & porta cæli. Qui hîc viriliter & perſeveranter certaverit, coronabitur illic glorioſè. Ambo caſtra DEI, ambo ſedes Sapientiæ, ambo Sanctorum civitates: qui in hac laudabiliter converſatus fuerit, ab illa excludi non poterit.

S. Bern. ſ. 3. de dedic. Eccl. XVII. Optimum certè caſtrum tuliſti Chriſto, ſi Inimicis ejus tradideris Claramvallem. Optimos inde ſingulis annis, & pretioſos in oculis ſuis redditus accipit: & prædam multam, quam hoſtibus eripit, in hunc munitionis ſuæ locum ſolet inducere, & habet fiduciam multam in fortitudine ejus. Ecce enim, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos, à Solis ortu & occaſu, ab Aquilone & mari.

S. Laurent. Juſtin. de Mon. converſ. c. 18. XVIII. Eſt clauſtrum hortus concluſus, paradiſus deliciarum, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum ſchola, tabernaculum fœderis, reclinatorium Sponſi, bellatorum ſtatio, ſanctitatis domus, caſtitatis cuſtos, pudicitiæ firmamentum, religionis magiſterium, & obedientiæ ſanctæ ſpeculum ſingulare.

S. Bern. in c. 4. Cant. XIX. Sicut Grex tonſarum, inquit. Quàm bene Monachi tonſis ovibus comparantur, quia revera tonſi ſunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum eſt? Quæ aſcenderunt de lavacro: lavacrum baptiſmus eſt, de quo aſcendit, qui ad celſitudinem veræ perfectionis intendit; deſcendit autem, qui ſe vitæ mancipat inhoneſtæ. Omnes gemellis fœtibus, quia verbo pariunt & exemplo. Et ſterilis non eſt in eis, quia nullus eſt infœcundus.

S. Leo ſ. 4. de jejun. 7. menſ. XX. Eccleſiaſticus Miles, etiamſi ſpecialibus prælus poſſit fortiter facere, tutiùs tamen & faciliùs dimicabit, ſi contra hoſtem palàm in acie ſteterit, ubi non ſuis tantùm viribus certamen ineat, ſed ſub invicti Regis imperio fraternis conſociatus agminibus bellum univerſale conficiat. Minore enim diſcrimine multi confligunt cum hoſte, quàm ſinguli; nec facilè patet vulneri locus, quem oppoſito ſcuto fidei, non ſua tantùm, ſed aliorum etiam fortitudo deſcendit, ut, ubi eſt una omnium cauſa, ſit una victoria.

S. Leo ſ. 10. Quadr. XXI. Etſi non eadem eſt membrorum omnium pulchritudo, nec in tanta varietate partium, meritorum poteſt eſſe parilitas, communionem tamen obtinet decoris, connexio caritatis. In ſancto enim amore conſortes, etiamſi non iiſdem utantur gratiæ beneficiis, gaudent tamen invicem bonis ſuis, & non poteſt ab eis extraneum eſſe, quod diligunt, quia incremento diteſcunt proprio, qui profectu lætantur alieno.

XXII. Centuplam Fratrum, Patrúmque recipiet quantitatem, quiſquis Patris unius, vel Matris, vel Filij pro Chriſti nomine, caritate contempta, in omnium, qui Chriſto ſerviunt, dilectionem ſinceriſſimam tranſit, pro uno ſcilicet tot inveniens Patres, Fratréſque ferventiore ac præſtantiore ſibi caritate devinctos. Multiplicatâ etiam domorum atque agrorum poſſeſſione ditabitur, quiſquis unâ domo pro Chriſti dilectione relicta, innumera Monaſteriorum habitacula tanquam propria poſſidebit in quacunque orbis parte velut in ſuæ domûs jure ſuccedens. Quomodo enim non centuplum, &, ſi Domini noſtri ſententiæ ſuperadjici aliquid fas eſt, plùs quàm centuplum recipit, qui decem vel viginti ſervorum miniſteria infida & coactitia derelinquens, tot ingenuorum ac nobilium ſpontaneo fulcitur obſequio? *Caſſian. coll. ult. c. ult.*

XXIII. Quæ eſt iſta, quæſo, tam pretioſa margarita, pro qua univerſa dare debemus, id eſt, noſmetipſos (quia totum dedit, qui ſemetipſum obtulit) ut poſſimus eam habere? nónne hæc eſt Religio ſancta, in qua homo vivit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quieſcit ſecuriùs, moritur confidentiùs, purgatur citiùs, remuneratur copioſiùs? *S. Bern. de bon. relig.*

XXIV. Modica, tranſitoria, terrena ſunt, quæ deſeris: maxima, æterna, cæleſtia ſunt, quæ appetis. Plùs dicam, & vera dicam: tenebras deſeris, & lucem ingrediens: de profundo fluctuum emergis ad portum, & de miſera ſervitute ad felicem libertatem aſpiras: & de morte denique tranſis ad vitam. *S. Bern. ep. 114.*

Dignitas.

XXV. Gaudeas, Mater tua longo Martyrio coronata eſt; non ſolùm enim effuſio ſanguinis in Martyrio reputatur, ſed devotæ quoque mentis ſervitus immaculata, quotidianum Martyrium eſt. *S. Hieron. ep. 27. in Epitaph. S. Paulæ.*

XXVI. Quid ſibi vult, quòd eadem promiſſio facta eſt pauperibus & Martyribus, niſi quia verè Martyrij genus eſt paupertas voluntaria? quod enim Martyrium gravius eſt, quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas, quas offert Mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat ipſe noſter appetitus algere? an non meritò coronabitur, qui ſic certaverit, Mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, &, quod glorioſiùs eſt, de ipſo triumphans, & crucifigens concupiſcentiam prurientem? *S. Bern. ſ. 1. de Sanct.*

XXVII. Genus Martyrij eſt, ſpiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius. *Idem ſ. 30. in Cant.*

Gloſſa apud Plat. l. 2. c. 8. XXVIII. Alij vovent vitulos, alij arietes, vel domos, Nazaræus ſeipſum. Hoc eſt Nazaræi votum, quod eſt ſuper omne votum: Filius enim vel Filia, vel pecus extra nos eſt; ſeipſum verò DEO offerre, non alieno labore, ſed proprio placere, perfectius eſt, & eminentius omnibus votis.

S. Bern. ſ. Ecce nos reliq. XXIX. Quis ſæcularis honor excogitari poteſt, qui non prorſus in tantæ ſublimitatis comparatione vileſcat? non unius ſiquidem Civitatis aut Populi, ſeu regionis unius, ſed univerſitatis Judices habent præſidere cum Chriſto. Nec ſolùm homines, ſed & ipſos Angelos judicabunt, qui Parentem ad modicum vaporem præſentis gloriæ dedignantes, & exufflantes, improperium Chriſti univerſis Chriſti præferunt titulis dignitatum.

Jucunditas.

S. Laurent. Juſtin. in l. de obed. c. 18. XXX. Nemo procul dubio explicare valet, quanto repleatur gaudio, quantâ potiatur pace, quibus ſpiritualibus reficiatur deliciis, & quot divinis quotidie illuſtretur ſplendoribus, qui deliberato animo & cæleſti inſpiratione afflatus renunciat ſponte ſæculo, ſecedit in clauſtro, & militat DEO, nihil terrenum ambiens, nihil temporale poſſidens, nihilque, quod amorem ſuum vendicare queat, omnino reſervans.

S. Chryſ. in apol. vit. Monaſt. l. 3. XXXI. Una ibi voluptas, una jucunditas, unæ deliciæ, unum deſiderium, una ſpes omnibus ineſt. Ibi veluti quâdam ex regula & libra cuncta ſunt diligentiſſimè ordinata, nulla ibi inæqualitas; cæterùm ordo ſummus & moderatio, & convenientia, & ineffabilis concordiæ ſervandæ diligentia, jugiſque ac perpetua lætitiæ materia. Illic ſolùm videas id perfectè contingere, nuſquam alibi, non modò quòd præſentia omnia contemnant, omnémque à ſe rixæ & pugnæ materiam abſcindant, certiſſimáque cæleſtium bonorum ſpe beati ſint, ſed quòd ea quoque, quæ ſingulis contingant, & triſtitia, & læta, communia eſſe omnium exiſtiment. Quippe & mœror faciliùs fugatur, cùm pro virili ſua omnes comportent onera, lætitiæque occaſiones habent innumeras, non in ſuis quiſque geſtientes.

S. Bern. ſ. 46. in Cant. XXXII. In Eccleſia lectum, in quo quieſcitur, clauſtra exiſtimo eſſe, & Monaſteria, in quibus quietè à curis vivitur ſæculi, & ſollicitudinibus vitæ. Atque is lectus floridus demonſtratur, cùm exemplis & inſtitutis Patrum, tanquam quibuſdam bene olentibus floribus, Fratrum converſatio & vita refulget.

S. Laurent. Juſtin. de Mon. perf. c. 6. XXXIII. In humanis rebus, & in hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in ſe imaginem cæleſtis Patriæ, quàm Monaſtica converſatio, & congregatio divino cultui dicata.

Idem c. 9. ult. XXXIV. Conſultò DEUS gratiam Religionis hominibus occultavit, ne, ſi cognoſceretur ejus felicitas, omnes ad eam confugerent.

S. August. ep. 37. XXXV. Sapientia, quos alligaverit, & exercitatoriis quibuſdam laboribus edomuerit, ſolvit poſtea, liberatiſque ſeſe donat ad fruendum; & quos primò temporalibus nexibus erudierit, pòſt æternis amplexibus alligat. Quo vinculo nec jucundiùs, nec ſolidiùs cogitari quidquam poteſt. Prima hæc aliquantulum dura confiteor, illa verò ultima nec dura dixerim, quia dulciſſima ſunt: nec mollia, quia firmiſſima. Vincula verò hujus Mundi aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miſeriæ, ſpem beatitudinis inanem. His tu ne inſeras collum, & manus, & pedes.

Facilitas.

XXXVI. Omnis ſervitus amaritudine plena eſt, omnes ſervili conditione ligati & ſerviunt, & murmurant. Nolite timere illius Domini ſervitutem. Non erit ibi gemitus, non murmur, non indignatio. Magna felicitas eſt, eſſe in domo iſta ſervum, etſi eum compedibus. Libera ſervitus eſt apud Dominum; libera ſervitus, ubi non neceſſitas, ſed caritas ſervit. Simul es ſervus & liber; ſervus, quia factus es; liber, quia amaris à DEO, à quo factus es. Noli ſervire cum murmure; non enim id agunt murmura tua, ut non ſervias, ſed ut magis ſervus ſervias. Servus es Domini, libertus es Domini; non te ſic quæras manumitti, ut recedas de domo Manumiſſoris tui. *S. August. in pſ. 99.*

XXXVII. Quoniam ſi abundat tribulatio veſtra pro eo, abundabit conſolatio veſtra per eum, ut in eo delectetur anima, quæ in his renuit conſolari. Apud ipſum namque ipſa quoque tribulatio, magna quædam conſolatio poterit inveniri. Nónne enim certum eſt, ſupra vires humanas, ultra naturam, contra conſuetudinem eſſe, quæ ſuſtinetis? alius igitur portat iſta, ille ſine dubio, qui ſecundùm Apoſtolum portat omnia verbo virtutis ſuæ. Quid igitur timendum nobis, ſi adeſt, qui portat omnia. *S. Bern. in pſ. Qui habitat.*

XXXVIII. Neceſſe eſt, ut unctio ſpiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem noſtram, obſervantiarum, & multimodæ pœnitentiæ cruces, devotionis ſuæ gratiâ leniens: quia nec ſine cruce ſequi Chriſtum, & ſine unctione, crucis aſperitatem ferre quis poſſet. Hinc eſt, quòd multi abominantur, & fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, ſed non videntes unctionem. Vos, qui experti eſtis, ecce ſcitis, quia verè crux noſtra inuncta eſt, & per gratiam Spiritûs adjuvantis ſuavis & delectabilis eſt pœnitentia noſtra, &, ut ita dicam, amaritudo noſtra dulciſſima. *S. Bern. ſ. 1. de dedic. Eccl.*

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas.

I. Habitus & tonſura modicum conferunt; ſed mutatio morum, & integra mortificatio paſſionum verum faciunt Religioſum. *l. 1. c. 17. §. 2.*

II. Si vis debitè ſtare & proficere, teneas te tanquam exulem & peregrinum ſuper terram. *Ib. §. 1.*

Opor-

Oportet te ſtultum fieri propter Chriſtum, ſi vis religioſam ducere vitam.

Ibid. §. 3. III. Ad ſerviendum veniſti, non ad regendum; ad patiendum & laborandum ſcias te vocatum, non ad otiandum & fabulandum.

L. 1. c. 18. IV. O quantus fervor omnium Religioſo-
§. 5. rum in principio ſuæ inſtitutionis fuit! O quanta devotio orationis! quanta æmulatio virtutis! quàm magna diſciplina viguit! quanta reverentia & obedientia ſub regula Magiſtri in omnibus efflorait! teſtantur adhuc veſtigia derelicta, quòd verè viri ſancti & perfecti fuerunt, qui tam ſtrennè militantes, Mundum ſuppeditaverunt.

L. 1. c. 10. V. Vita boni Religioſi omnibus virtutibus
§. 1. pollere debet, ut ſit talis interius, qualis videtur hominibus exterius.

L. 1. c. 25. VI. Eſto vigilans & diligens in DEI ſervi-
§. 1. tio, & cogita frequenter, ad quid veniſti? & cur ſæculum reliquiſti? nónne ut DEO ſervires, & ſpiritualis homo fieres? igitur ad profectum ferveas.

Ibid. §. 8. VII. Quomodo faciunt tam multi alij Religioſi, qui ſatis arctati ſunt ſub diſciplina clauſtrali? ratò exeunt, abſtractè vivunt, pauperrimè comedunt, groſsè veſtiuntur, multùm laborant, parùm loquuntur, diu vigilant, maturè ſurgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, & ſe in omni diſciplina cuſtodiunt. Et ideo turpe eſſet, ut tu deberes in tam ſancto opere pigritare, ubi tanta multitudo Religioſorum incipit DEO jubilare.

L. 3. c. 56. VIII. Verè vita boni Monachi crux eſt, &
§. 4. Dux Paradiſi.

Utilitas.

L. 3. c. 10. IX. Habebunt gratiam magnam, qui ſpon-
§. 5. te ſe ſubjecerint tuæ ſanctiſſimæ ſervituti.

Ibid. X. O amplectendum & ſemper optandum ſervitium, quo ſummum promeretur bonum, & gaudium acquiritur ſine fine manſurum.

L. 1. c. 25. XI. Religioſus fervidus omnia bene portat
§. 7. & capit, quæ illi jubentur.

Dignitas.

L. 3. c. 10. XII. Magnus honor, magna gloria, tibi
§. 5. ſervire, & omnia propter te contemnere.

Ibid. §. 6. XIII. O ſacer Status Religioſi famulatûs, qui Hominem Angelis reddit æqualem, DEO placabilem, Dæmonibus terribilem, & cunctis Fidelibus commendabilem.

Ibid. §. 2. XIV. Non magnum mihi videri debet ſervire tibi, ſed hoc potiùs magnum mihi, & mirandum apparet, quòd tam pauperem & indignum digoaris in ſervum recipere, & dilectis ſervis tuis adunare.

Jucunditas.

Ibid. §. 5. XV. Invenient ſuaviſſimam Spiritûs ſancti conſolationem, qui pro amore tuo, omnem carnalem abjecerint delectationem. Conſequentur magnam mentis libertatem, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanam neglexerint curam.

XVI. O grata & jucunda DEI ſervitus, quâ homo veraciter efficitur liber & ſanctus. *Ibid. §. 6.*

XVII. Quàm dulce & jucundum eſt, videre fervidos & devotos Fratres, bene morigeratos & diſciplinatos. *L. 1. c. 25. §. 5.*

§. V.

EXEMPLA.

Vocatio.

I. Cùm S. Franciſcus adhuc ſæcularis pauperi cuidam ſuas veſtes amore DEI donâſſet, proxima nocte ſibi viſus eſt in amplum palatium ductus, in quo ampliſſima aula variis armis cruce Chriſti inſignitis referta cernebatur. Quærenti autem, cujus eſſent? reſponſum eſt, omnia ad ipſum pertinere, militeſque ipſius. Quare ſomnium de militia profana interpretatus ad Appuliæ Comitem, ſub cujus auſpiciis militare decreverat, ſe contulit; verùm eo in itinere ſic iterum Chriſtus eum allocutus eſt: Franciſce, uter tibi meliùs facere poteſt, Dominus, an Servus? dives, an pauper? Cúmque Franciſcus, quod erat, reſpondiſſet, ſubjecit Chriſtus: Cui ergo pro ſervo Dominum relinquis, & pro paupere homine divitem DEUM? Ad quam vocem Franciſcus, quid ergo, ait, facere me jubes? Cui iterum Chriſtus reſpondit: Redi in Patriam tuam, quod enim vidiſti, nihil temporale indicat, nec humanâ, ſed divinâ ope in te complendum eſt. *S. Bonav. c. 1. vit.*

II. Monetus cùm diu Reginaldi Dominicani conciones declinâſſet, tandem ſociorum importunitate ad unam tractus, ubi illa verba: Ecce video cælos apertos: explicari, & ſibi quoque nunc patere audivit, ita commotus eſt, ut mox finitâ concione Reginaldum adierit, eique propoſitum Religionis intrandæ aperuerit. *Antoninus Bonon. in Chron.*

III. S. Nicolaus Tolentinas audiens occaſione illorum verborum: Nolite diligere Mundum: ab Auguſtiniano quodam Prædicatore vanitatem Mundi magno fervore explicari, poſt concionem ſtatim Concionatorem adiit, ſummíſque precibus in Ordinem admitti petiit. *Surius 10. Sept.*

IV. Andreas Virdunenſis Archidiaconus, cùm Claramvallem veniſſet, illius Cœnobij pietatem & ordinem præſens inſpecturus, admiſſus in Capitulum, ubi Monachorum ordinem, quietem, & habitum Angelicum vidit, adeò incitatus eſt ad ſeſe iiſdem aggregandum, ut nec ad ſua ordinanda domum redire voluerit. *Platus l. 3. c. 28.*

V. Rolandus vir nobilis cùm totum diem quondam inter epulas, ludos, choreas, veſtitu pretioſo indutus conſumpſiſſet, tandem veſpere ad ſe reverſos cogitavit, quò omnia hujus diei gaudia abiiſſent? reputánſque, ſicut dies iſta abierat, ita reliquam quoque vitam abituram cum ſua felicitate, nihilque præter pœnitentiam & dolorem manſurum, poſtero die Religionem ingreſſus eſt. *Ibid. c. ult.*

Ibid. VI. Petrus Conſalvus Epiſcopi Valentini Nepos, cùm opima beneficia Patrui diu ad delicias & inanem faſtum adhibuiſſet, tandem, ubi cum Sociis equo ſuperbo per urbem vectus, ab eodem in lutum excuſſus, ideóque à Spectatoribus procaciter irriſus eſt, ſic ſecum decernere cœpit: Quandoquidem, ô Munde, ego à te, cui tam fideliter ſervivi, tam malè tractor, ego quoque te viciſſim, ut mereris, tractabo. Itaque eodem momento conſtituit, ſe Religionem S. Dominici ingreſſurum, quod & poſtero cum omnium admiratione præſtitit.

Utilitas.

VII. In vitis Patrum legitur, quòd quidam viderit eandem gratiam deſcendentem ſuper eum, qui habitum Religionis aſſumpſit, & ſuper eum, qui baptizatur. Quod tamen, teſte *S.Thom. 2. 2. q. 189. a. 3. ad 3.* S.Thoma, non ideo fit, quòd talis à ſatisfactione liberetur, ſed quia eò ipſo, quòd voluntatem ſuam in ſervitutem redigit propter DEUM, plenariè jam pro omni peccato ſatisfecit.

Lancic. opuſc. 1. n. 22. VIII. S. Simeon Salus cùm Joanne ſocio habitum ſuſcepturus à S. Nicone Monaſterij Præfecto, audiviſſet à Fratribus: Beati eſtis, quoniam cras regenerabimini, & mundi efficiemini, ſicut nati eſtis, ab omni peccato, ac ſi die hoc eſſetis baptizati: excurrit ad S.Niconem, rogavítque, ne ſe denuo baptizari permitteret, cui S. Nicon reſpondit: Rectè dixerunt Fratres; etenim ſi DEO placuerit, cras ſancto & Angelico habitu te induam. Quo facto Simeon Joanni dixit: Ex quo DEI ſervus nos eo habitu induit, intrinſecus inflammor neſcio unde, & quærit anima mea neminem videre, alloqui & audire.

S. Doroth. f. 5. IX. S.Doſitheus Tribuni cujuſdam Filius, cùm poſt quingennium in ſervitio Infirmorum ſub diſciplina S.Dorothei tranſactum, moriturus ab hoc audiviſſet: Vade in pace, Fili, & te Trinitati præſenta, nec non DEUM pro nobis precare: mirantibus hoc dictum Fratribus, utpote qui nihil ſpeciale in Doſitheo vidiſſent, DEUS Seni cuidam ſancto Sanctos illius Monaſterij vita functos videre cupienti, inter illos eti in S.Doſitheum ſingulari gloriâ fulgentem oſtendit, utpote quam ſingularis obedientiæ ſtudio meruiſſet.

Platus l. 1. c. 40. X. Fr. Ægidius ex Ordine S.Franciſci, petenti conſilium de Religionis ingreſſu, reſpondit: Dic mihi, ſi Mendicus certò ſciret, alicubi magnum theſaurum latere, an conſultaret, num eundem expediret effodere? cúmque is negâſſet, quantò igitur, inquit, alacriùs & promptiùs debent homines ad infinitum illum DEI theſaurum accurrere, in quo ſolo ſunt veræ & æternæ divitiæ.

Ibid. XI. S. Anſelmus quondam extra ſenſum raptus, vidit fluvium immanem & præcipitem, in quem omnes ſordes Mundi confluxerunt, & à quibus paſſim viri, fœminæque abriperentur ac paſcerentur: poſtea verò amplum & ſpatioſum clauſtrum vidit, cujus parietes argento obducti, hortus amœniſſimus, aër placidiſſimus, & omnia alia adeò jucunda & ſuavia erant, ut nihil ad felicitatem deſiderari poſſet. Et per hoc quidem clauſtrum Religionem, per fluvium verò illum, Mundum ſignificari intelligebat.

XII. S. Gregorius Magnus ab ineunte ætate Monaſticam vitam profeſſus eſt, itaque *Idem in proœm. l. 1.* amorem ejus retinuit, ut etiam Eccleſiæ Diaconus creatus & Legatus Apoſtolicus Conſtantinopolim declaratus, noluerit diſcedere, niſi cum aliquot Monachorum comitatu, ut quaſi Monaſterium ſecum circumferret.

Dignitas.

XIII. Cùm S.Clara Profeſſionem cum ſuis *Vit. p. 2. c. 24.* Sororibus feciſſet, apparuit illi Chriſtus in forma pulcherrimi Juvenis, qui depoſitâ coronâ ex floribus immarceſſibilibus, poſuit eam in capite S.Claræ, in ſignum, quòd eam denuo acceptaret in Sponſam, ſicut illa ſe denuo illi conſecraverat in actu Profeſſionis.

XIV. In Lucka, domo Ordinis Ciſtercienſis, Converſus quidam Rudolphus nomine, *Pratum ſpir. l. 2. c. 28.* poſt Matutinum ſtans & orans ſub dio, vidit Chriſtum in cruce pendentem, & cum eo quindecim alios, partim Sacerdotes, partim Laicos crucifixos; cúmque quæſiviſſet, quid ſibi portenderet iſthæc viſio? reſponſum ei eſt, hos ſolos ex Ordine illo eſſe verè Religioſos, cum ipſo Chriſto crucifixos, ſeque illius paſſioni conformare.

Jucunditas.

XV. S.Romualdus de ſe confeſſus eſt: Vi- *Engelgr. de comm. Confeſſ.* xi centum annis in Religione, & quidem in ſumma auſteritate, viginti verò in ſæculo, ſed eheu! quàm longa & miſera hæc mihi vitæ tempora! quàm brevia & jucunda illa religionis fuêre!

XVI. Suatocopius Rex Bohemiæ & Mo- *Ibid.* raviæ ab Arnulpho Imper. prœlio victus, cùm ægrè evaſiſſet, in Eremum fugit, ibique in ſumma paupertate inter Anachoretas reliquam vitam exegit. Morti proximus expoſuit, quis fuerit, atque effuſis copioſis lacrymis dixit adſtantibus, nullam regni fortunam ſolitudinis tranquillitati præferendam, veram ſe vitam in caula duxiſſe, in aula mortem.

XVII. Carolus Quintus dicere ſolebat, in *Ibid.* ſeceſſu illo ad S.Hieronymi Monaſterium pluis uno die liquidæ voluptatis, & ſinceri gaudij ſe percepiſſe, quàm ex omnibus aulæ deliciis, victoriis ac triumphis.

XVIII. S.Scholaſtica dicere ſolebat: Si *Ibid.* dulcedo, quàm DEUS abſcondit ſervis ſuis, nota eſſet ſæcularibus, Monaſteria non caperent eos, qui DEO ſervire vellent.

XIX. B.Maria Magdalena de Urſinis No- *Ibid.* vitiis Præfecta, ſi fortè eas ridentes conſpexiſſet, læto vultu ad eas dicebat: Ridete, Filiolæ meæ, ridete, quia juſta vobis cauſa ridendi & gaudendi eſt, dum Mundi fluctibus ereptæ, in portum hunc ſecuriſſimum tranſlatæ eſtis; non enim fecit taliter omni nationi.

§. VI.

§. VI.
EXEMPLA DOMESTICA.
Vocatio.

Vita. I. S. Franciſcus Borgia Iſabellæ Reginæ Hiſpaniæ funus Granatam deducens, cùm feretro aperto adeò immutatum vidiſſet, vanitatem rerum mundanarum inde colligens, Societati noſtræ nomen dedit.

Hiſt. Soc. l. 4. n. 134. II. P. Joannes Nunnius Sacerdos B. Virginem rogavit, ut vitæ modum ſibi patefaceret; unde apparuit illi B. Virgo, cum P. Petro Fabro adſtante, jubétque, Conimbricam adire, ibíque rationem vitæ ab hoc Patre ediſcere. Fecit id Nunnius, & Conimbricam ingreſſus, Fabrum ſtatim è facie novit, à quo monitus, labores potiùs pro Chriſto expetere, quàm quietis propriæ dulcedinem quærere, in genua procidit, ardentibúsque precibus in Societatem admitti petiit.

Vita Balth. Alv. c. 30. III. P. Franciſcus Ribera Doctor Theologiæ cùm P. Martino Guttierio ipſum viſitanti dixiſſet, ſe decreviſſe, prope Sacellum quoddam B. Virginis vitam privatam inter preces & ſtudia vivere, & certis temporibus ad conciones habendas excurrere, Guttierius verò reſpondiſſet: Domine Doctor, placet quidem hoc propoſitum, ſed quis tunc ſibi optimum pignus, quod habet, retinebit, propriam ſcilicet voluntatem? hæc vox ita cor ejus penetravit, ut relicto mundo, Societatem ſit ingreſſus.

Hiſt. Soc. p. 2. l. 3. n. 68. IV. Ludovicus Corbinellus Civis Florentinus nobilis, natura triſtiori, ſed acri judicio, cùm Medicus ei ſuaſiſſet, ut lætitiæ ſeriò ſe daret, ſi diu vivere vellet, aſſumptis fidiſſimis ſociis, totius ferè Italiæ, Hiſpaniæ, & Galliæ locos jucundiſſimos inviſit. Venit tandem Lutetiam, ubi torneamento Regio interfuit, in quo cùm vidiſſet Henricum ſecundum in oculo ictum, paulò pòſt deceſſiſſe, Mundi vanitatem agnoſcens, nuntium eidem remiſit, Societatémque amplexus eſt.

Annal. Aquit. 1594. & 95. V. Cùm anno 1594. in tota Gallia decretum de Societate ejiciendâ emanâſſet, Diſcipuli noſtri tanto ejuſdem amore ſuccenſi ſunt, ut Ruthenis ſupra triginta, Auſciæ verò viginti Juvenes ſelectiſſimi eandem expetierint, aut cum noſtris, aut pro noſtris morituri.

Hiſt. Soc. l. 4. n. 40. VI. P. Cornelius Viſhavæus cùm multis Religionem perſuaſiſſet, rogavit tandem DEUM, ut ſibi quoque aliquam oſtenderet, & audivit clarè interiùs vocem; Lovanium iret, ibi ſe Angelicos homines reperturum, illos ſequeretur. Ivit ille, repent noſtros, fecit Exercitia, ſuſceptus eſt.

Platus l. 3. c. 38. VII. P. Claudius Aquaviva, cùm ei in mentem veniſſet illud Domini dictum: Oves meæ vocem meam audiunt, ſimul invaſit eum timor, ne, ſi cæleſti illi conſilio non obediret, non eſſet ex ovibus Chriſti. Quam ob cauſam eâdem horâ ac penè momento ad noſtros venit, ſéque eis toto animo addixit.

Dignitas.

Vita c. 63. VIII. De B. Aloyſio dixit S. Maria Magdalena de Pazz: O quantam gloriam habet Aloyſius Filius Ignatij! nunquam credidiſſem, niſi illam mihi monſtrâſſet JESUS meus. Ego vellem poſſe ire per totum Mundum, & dicere, Aloyſium eſſe magnum Sanctum, & vellem poſſe monſtrare unicuique ipſius gloriam, ut DEUS glorificaretur. Habet tantam gloriam, quia operatus eſt internè. Quis poſſet unquam explicare valorem & virtutem operum internorum? non eſt comparatio aliqua interni cum externo. Aloyſius fuit Martyr incognitus.

Vita P. Alv. c. 11. IX. De P. Balthaſare Alvarez revelavit DEUS S. Tereſiæ, eo tempore nullum fuiſſe in tam ſublimi perfectionis gradu conſtitutum, quàm ipſe fuerit.

Jucunditas.

Platus l. 2. c. 31. X. Guilielmus Elfinſtonius Scotus cùm vix menſe in Societate tranſacto in morbum lethalem incidiſſet, incredibilem ſemper & vultu, & geſtu, & verbis alacritatem præſetulit, cùm ſatiari non poſſet gratis DEO agendis, quòd in Societate moreretur. Viſis poſtea Angelis, & accepto ab Angelo Cuſtode Nuntio, quòd per Purgatorium eſſet tranſiturus, tanta dulcedine & fervore completus eſt, ut corpus ipſum licet morbi gravitate fractum, inſolitis motibus, ſuper lectum cum omnium admiratione exiliret. Inter quæ gaudia repente conſiſtens, tanquam placidiſſimo ſomno conſopitus ſpiritum exhalavit.

Lyraus apopht. 6. XI. S. Ignatius adeò lætus ſemper ac exultans extiterat, ut diceret, non minùs eſſe miraculum, videre mœſtum Religioſum, qui aliud nihil, quàm DEUM quærat, quàm deprehendere lætum aliquem peccatorem, qui alia præter DEUM quærit. Hinc cùm Franciſcum Coſterum Tironem etiamnum ad riſum pronum advertiſſet, eundem, dum quondam actu riſiſſet, ad ſe vocavit, dixítque: Franciſce, audio te ſemper ridere. Et ego dico tibi, Fili mi, ut rideas & gaudeas in Domino ſemper. Religioſus enim nullam triſtitiæ cauſam habet, ſed multam lætitiæ; quapropter denuo dico tibi, ſemper ſis lætus & hilaris in Domino.

Engelgr. in comm. conf. §. 1. XII. Card. Bellarminus dicere de ſeipſo ſolebat: Cùm eſſem Religioſus, neſciebam, quid in vita eſſet triſtitia; factus Cardinalis neſcio, quid ſit lætitia.

§. VII.
SIMILITUDINES.
Qualitas.

Platus l. 1. c. 30. I. Sicut vites & aliæ teneriores arbuſculæ vinciri ſolent ad ſtipites, ut ab illis ſuſtententur; ſic Homines infirmi & conſtantes per vota alligant ſe DEO, ut ab illo conſerventur, & ſtabiliantur.

Idem c. 31. II. Sicut ij, qui carnis & rerum terrenarum curæ ſe dedunt, toto animo in ea defixi hærent; ſic qui animæ curam ſuſceperunt, ſolis rebus ſpiritualibus ſe impendunt.

S. Chryſoſt. hom. 15. ad Pop. III. Sicut è ſummo montis vertice proſpectantibus omnia puſilla videntur; ſic Religioſi animo in cælis habitantes omnia terrena quaſi parva, & vilia gaudia deſpiciunt.

Platus l. 2. c. 11. IV. Sicut is, qui in cruce pendet, nec quid ante oculos agatur attendit, nec de craſtino ſollicitus eſt, nec ullius Rei cupiditate tenetur; ita Religioſus Mundo crucifixus nihil jam terrenum curat, ſed tota mente cæleſtibus inhiat bonis.

S. Bern. in ſerm. Ecce nos reliq. V. Sicut vetus tabernaculum foris ſagâ ciliciná & pellibus arietum veſtitum, intus autem totum inauratum erat; ita Religioſus exterius vili quidem habitu veſtitus, ſed intus aurea caritate, aliiſque virtutibus pulcherrimè exornatus eſt.

Platus l. 2. c. 26. VI. Sicut in cœna, quæ ex multorum ſymbola & contributione inſtruitur, lautior fit tractatio, quàm ſi ab uno inſtruatur; ſic Religioſi, licet ſinguli boni ſint, meliores tamen fiunt, ſi in unum ſint collecti, quia cùm unusquiſque aliquid virtutis ac prudentiæ habeat, ſi id in commune conferant, perfectius quid efficietur.

Ibid. VII. Sicut navigij tabulæ, ſi ſolitariæ ſint, parùm poſſunt, conjunctæ verò plurimùm valent ad navigationem peragendam; & lapides ſeorſim accepti nihil proſunt, conjuncti verò pulcherrimum ædificium faciunt; ſic Religioſi, etiamſi ſecundùm ſe non plùs valeant, quàm quantùm in unoquoque eſt roboris & virtutis, conjuncti tamen, alterius ope ac virtute non modicè adjuvantur.

Ibid. VIII. Sicut viridis ſtipes, etſi per ſe in igne ardere difficulter poſſit, inter alios tamen ardentes ſtipites eâdem flammâ facilè conflagrat; ſic prorſus evenit in Religioſis, qui etſi ſeparatim degentes langueant, aliis tamen caritate accenſis mixti, facilè eorum conſuetudine, cohortatione atque exemplis incaleſcunt.

Ibid. IX. Sicut in fune torto ſingula fila tenuia ſunt, connexa tamen & implicata maximas moles trahunt, difficiléque rumpuntur; ſic Religioſi, licet ſecundùm ſe debiles, ſi bene cohæreant, & uniantur, omnia ſuſtinent, trahunt, & vincunt.

S. Macar. hom. 3. X. Sicut corporis membra, cùm multa ſint, unum tamen faciunt corpus, & ſe mutuò juvant, dum unumquodque proprio fungitur officio; ſic & Religioſi ſibi invicem cedunt, &, qui legit, orantem amore & gaudio complectitur, ſecum hoc reputans, quia pro ſe precatur.

Plat. l. 2. c. 29. XI. Sicut nummus attritus & diminutus, ſi ſolus ſit, rejicitur; ſi autem inter duo, triáve millia nummorum offeratur, accipitur; ſic homines imperfecti, etſi alioquin per ſe parùm grati ſint, ſi tamen in Religione cum aliis perfectis conjungantur, hoc lucrum faciunt, ut aliorum abundantia ipſorum ſuppleat, ſubleveturque inopiam.

Ib. c. 30. XII. Sicut Proci, cùm Virginem nuptam vident, aliò cogitationes transferunt; ſic cùm Hoſtes noſtri DEO in Religione nos deſponſatos vident, ſpes quodammodo illis præciditur, nos rebus terrenis implicandi, atque ob id ipſum ſæpe ſollicitare nos deſerunt, ne nihil aliud conſequantur, quàm ut cum ſuo ipſorum cruciatu coronam nobis augeant.

XIII. Sicut, cùm quis ſecandus eſt, alligari cupit, &, licet poſtea, dum ſecatur, clamet, ut ſolvatur, non tamen vult exaudiri, ſicque proficit ei ſectio etiam invito animo admiſſa; ſic qui ab initio ſponte Religionis jugum ſuſcipit, etiamſi dein incidant, à quibus voluntas abhorret, perfert tamen, quia vinctus eſt, & illud ipſum medicamentum, quamquam non adeò libenti animo receptum, prodeſt tamen, & ſanitatem affert, quam fortaſſe ſolutus refugiſſet, ut denique compulſo morbo gaudeat etiam, ſibi non aliter licuiſſe. *S. Anſelm. l. 1. ſimil.*

XIV. Sicut Regis Filius, qui ad futurum regnum nutritur, ex ea ſpe tum delectationem magnam, tum altitudinem animi concipit, ut humiliora ac ſordidiora averſetur; ſic Religioſus, dum ſe ad regnum cæleſte deſtinatum cogitat, omnia, quæ Mundus offert, tanquam dignitate ſua inferiora, generoſo animi impetu rejicit. *Platus l. 2. c. 32.*

XV. Sicut Agricola vineam, & Paſtor gregem ſuum curant, nullique labori ac difficultati cedunt ob commoda, quæ inde percipiunt; ſic DEUS non ſolùm ob ſuam bonitatem ſanctis gregibus & vineæ Religioſorum hominum providentiam ſuam impertit, ſed ob aliquam quodammodo utilitatem ſuam, unde à S. Paulo vocantur vas ſanctificatum in honorem, & utile Domino. *Ibid. c. 33.* *2. Tim. 2.*

XVI. Sicut in magna domo Domeſtici non tantùm à Patre ac Domino, ſed etiam à Matrefamilias gignuntur, aluntur, educantur, ac reguntur; ita Religioſi non tantùm à DEO, ſed etiam à S. DEI Matre foventur, ac proteguntur. *Ibid. c. 34.*

XVII. Sicut, cùm homo gignitur, neceſſe eſt, ut omnia ei tribuantur, quæ ſunt ad hominis conſtitutionem neceſſaria; ita cùm DEUS hominem ad religioſum ſtatum vocat, omnia talenta ac virtutes ad hunc finem neceſſarias eidem largiri debet. *Idem l. 2. c. 9.*

XVIII. Sicut Tyberis, ſi aquam, quæ ſemper labitur, retineret, in immenſam aquarum quantitatem excreviſſet; ita Religioſos, cùm quotidie bonis operibus augendis inſiſtant, ingentem gratiæ, gloriævé acceſſionem facere oportet. *Ibid. c. 18.*

Jucunditas.

XIX. Sicut Iſaac, cùm immolandus eſſet, non ipſe tamen, ſed aries pro ipſo immolatus eſt, ipſe autem lætiùs vixit, confirmata ſpe poſteritatis; ſic Religioſi, licet ſeipſos gaudio privare videantur, tamen *S. Bern. in 2. Cant.*

men non perit gaudium, ſed vitium & contumacia, cujus nimirum cornua vepribus hærentia indicant, nunquam ſine anxietatis aculeis eſſe poſſe.

Ib. l. 3. c. 16. XX. Sicut, ſi quis magnam haberet ſarcinam, quæ tamen alterius humeris deferretur, nullum inde gravamen, ſed potiùs ſolatium & utilitatem magnam perciperet, ita in onere Religioſæ diſciplinæ præmium & gaudium noſtrum, onus verò ſuperiorum eſt.

Ibid. c. 17. XXI. Sicut animi triſtitiâ ipſum etiam corpus confici videmus; ita viciſſim lætitiæ mentis in ipſum etiam corpus redundat.

Diverſitas.

Ibid. l. 2. c. 25. XXII. Sicut Medici, cùm ægrotus appetentiam ciborum, perdidit, accommodant ſe, quantùm licet, ad eos cibos, quos ille minimè aſpernetur, ultróque plures proponunt, ut è multis aliqui ſaltem placeant, ita DEUS, quoniam ſeculares homines negotijs terrenis immerſi cæleſtium rerum guſtum amiſerunt, plures Religiones propoſuit, ut, qui unam faſtidit, ab alia alliciatur.

S. Thom. 2. 2. q. 183. a. 2. XXIII. Sicut in Naturæ ordine tanta à DEO rerum varietas introducta eſt, ut variæ ejus perfectiones, quò pluribus communicarentur, eò magis innoteſcerent; ita in ordine gratiæ, iſta multiplicatione ſtatuum officiorum, ac munerum id agitur, ut varijs modis ac à varijs membris participetur illa plenitudo gratiæ, quæ à Chriſto Domino ac Salvatore noſtro ut capite promanat. Ex quo major utique ipſius Chriſti gloria exiſtit, cujus & vis in merendo, & liberalitas in donando, magis ac magis illuſtratur.

Facilitas.

Platus, l. 3. c. 22. XXIV. Sicut ſi cui tranſeundum flumen eſt, navi vel ponte faciliùs tranſitur: aut ſi terrâ iter faciendum, jumento aut rhedâ faciliùs peragitur, quàm pedibus; ita iter ad DEUM & alteram vitam faciliùs per vehiculum aut navim religionis, quàm pedibus vitæ ſæcularis peragitur.

§. VIII.

MOTIVA

Ad religioſum ſtatum amplectendum.

I. QUia Religioſus *cadit rariùs*: tum quia non habet tot exempla & occaſiones peccandi; tum quia gravitatem & fœditatem peccatorum per frequentes Meditationes & Examina meliùs cognoſcit. Id teſtatur S. Bernardus dicens: an experimentum quæritis, de quo loquimur? quando is, qui priùs vix per biduum poterat à Luxuria, crapula & comeſſationibus & ebrietatibus, & cubilibus, & impudicitijs, cæteriſq; ſimilibus & diſſimilibus vitijs continere, nunc ab ijs continet multis annis, totâ utiq; vitâ. Confirmat id ipſum Senecæ effatum, quo dixit: Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat; ubi autem plures ſunt teſtes, quàm in Religione, ubi tantopere urgetur ſocij præſentia?

S. Bern. ſ. 1. in dedic.

II. Quia *vivit puriùs*: partim quia per Profeſſionem, velut alterum Baptiſmum, à præteritis peccatis mundatur: partim quia per Sacramentorum frequentationem, & librorum ſpiritualium, ſuperiorúmque ac aliorum Magiſtrorum directiones perfectiùs in virtutis ſtudio ſtabilitur.

III. Quia *ſurgit velociùs*: tum quia exemplis bonis domeſticis, quæ quotidie videt, erigitur: tum quia ſuperiorum tanquam Medicorum ſpiritualium curatione ſublevatur: tum quia colloquijs pijs cum Domeſticis vehementer accenditur ad fugam vitiorum & virtutis amorem: tum ob uberiorem influxum gratiæ, quem in Religione experitur ad reſurgendum à lapſibus: ob quas cauſas meritò DEUS S. Catharinæ Senenſi dixit: Religio tutior eſt, ſi ibi quis ruat, aptior eſt ad ſurgendum, qua cum majori bono ſe reperit. Alius verò prudenter dixit, Religioſorum & ſæcularium Hominum lapſum habere ſe, ſicut ſe habet ædificium dirutum, ex quo lapides adhuc ſuperſunt, ut adeò facilè iterum erigatur: & ſicut ædificium à fundamento deſtructum, de cujus materia nihil ſit relictum. *S. Cathar. Sen. dial. c. 164.*

IV. Quia *incedit cautiùs*: frequentes enim lapſus in ſæculari ſtatu docuerunt, quàm ſit cautè incedendum; cùm enim per meditationes quotidianas talium lapſuum gravitatem ac periculum accuratiùs perpendat, (id quod vix unquam ſeriò faciunt ſæculares,) hinc fit, ut, Theodoro Studita teſte, pijs implexus cogitatis & diſtentus, hoſtiles laqueos evadat. Unde de eo verificatur illud S. Chryſoſtomi: avicula ſemel capta laqueo, mox elapſa, & cervus in rete decidens & affugiens, ijſdem iterum difficulter capitur, nam cuique eſt experientia Cautelæ Magiſtra. hinc, ut Salomon ait, fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum. *S. Theod. Studita apud Lanc. opuſc. 1. n. 77.* *S. Chryſ. ho. 15. ad popul.* *Prov. 1. v. 17.*

V. Quia *irroratur frequentiùs*: tum quia Religioſi voluntas tota eſt in lege Domini obſervanda defixa, atque adeò juxta S. Davidem ſimilis eſt ligno plantato ſecus decurſus aquarum: tum quia ipſe ſe liberaliorem erga Deum exhibet, atque adeò meretur etiam viciſſim DEUM liberalem in dandis gratijs experiri. Unde meritò B. Ægidius Franciſcanus cuidam ſæculari quærenti, an poſſet in ſæculo divinam gratiam ſibi conciliare? reſpondit: Potes quidem, ſed mallem ego gratiam unam in Monaſterio, quàm decem in ſæculo. Quæ enim in Monaſterio obtinetur gratia, ea & creſcit facilè, & facilè cuſtoditur, quod is, qui Monaſticum ſequitur inſtitutum, ab omni mundi ſtrepitu & ſollicitudine perturbante (quæ magnum afferunt gratiæ impedimentum) ſejunctus ſit, aliique Fratres pijs adhortationibus & ſanctis exemplis à malo eum pertrahant, & ad bonum incitent; ſecùs verò ſe *VVadingi to. 2. annal. anno 1262. n. 34.*

res cum gratia in ſæculo requiſita habeat, ubi laudatur potiùs, qui malum operatur: & irriſioni eſt expoſitus, qui bonum operari conatur.

S. Bern. ſ. 46. in Cant.

VI. Quia *quieſcit ſecuriùs*: tum quia à curis ſæculi liber eſt; unde S. Bernardus alicubi ait: In Eccleſia lectum, in quo quieſcitur, clauſtra eſſe exiſtimo, & Monaſteria, in quibus quiete vivitur à curis ſæculi, & ſollicitudinibus vitæ: tum quia ob paternam & oculatam Superiorum providentiam de rebus neceſſarijs etiam optimè ei providetur; unde meritò S. Gregorius de tali ſcripſit: Liber ergo dimittitur, qui calcatis deſiderijs, ab appetitione rerum temporalium, ſecuritate mentis exoneratur. Similis proinde eſt columbæ à Noë emiſſæ, quæ, cùm non inveniret, ubi requieſceret pes ejus, ad arcam reverſa eſt. Quam arcam meritò Patres ſpirituales Religionem eſſe dicunt, ad quam, teſte S. Eucherio, confugiendum eſt, qui frementis ſæculi tempeſtate vexantur. Hîc ſtatio fidiſſima, & quies certa. Accedit, quòd in Religioſis maximè verificetur illud Chriſti promiſſum: Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris.

S. Greg. l. 20. mor. c. 18.

S. Eucher. paran. ad Valerian.

VII. Quia *moritur confidentiùs*: nam, ut S. Chryſoſtomus ait, ægrotanti non Uxor adſtat crinibus ſolutis, nec Pueruli imminentem flentes orbitatem: non Famuli expirantem importunis precibus pulſantes, ut ſe cupiant commendatos relinquat. Sed his impedimentis omnibus ſolutus animus id unum tantummodo cogitat, quomodo cum majore gratia extremum DEO ſpiritum reddat. Alibi verò idem ſanctus ait, Religionem hoc habere, ut eos, qui eam ſecuti ſunt, primùm in hac vita multis bonis repleat, deinde poſt vitæ exitum hilares & ludibundos ad DEI tribunal perducat. Cujus rationem alio loco reddens ait: Impoſſibile eſt, mentiri Deum, promiſit autem ille vitam æternam iſta relinquentibus. Reliquiſti tu omnia iſta, & abjeciſti; quid igitur prohibet de hujuſmodi confidere promiſſione, & eſſe ſecurum? Rectè ergo S. Bernardus exclamat: O vita ſecura, ubi pura conſcientia! O, inquam, vita ſecura, ubi abſque formidine mors exſpectatur, imò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione. Et iterum: Spiritui à corpore exeunti, à cella in cælum non longa, nec difficilis via invenitur, moriens enim aut vix, aut nunquam aliquos à cella in infernũ deſcendit; quia vix unquam aliquis, niſi cælo prædeſtinatus, in ea uſque ad mortem perſiſtit.

S. Chryſoſt. ho. 14. in 1. ad Timoth.

Item ad comparat. Regis & Monachi.

Idem l. 1. de provid. col. 12.

S. Bern. ſ. ad milit. templi c. 1.

Idem ſ. de Vit. ſolit.

VIII. Quia *purgatur citiùs*: id eſt, à purgatorijs pœnis liberatur; tum quia ipſum vitæ religioſæ genus eſt quodammodu perpetua pœnitentia & ſatisfactio, juxta illud Thomæ Kempenſis effatum: Habet magnum & ſalubre purgatorium, qui ſibi ipſi violentiam frequenter facit, & carnem omnino Spiritui ſubjugare conatur: tum quia poſt mortem crebrioribus & efficacioribus ſuffragijs, operibúſque à Fratribus ſuis adjuvatur: tum quia quàmplurimis etiam indulgentijs Religioni conceſſis à purgatorio ſe liberare poteſt.

L. 1. c. 24. §. 2.

IX. Quia *remuneratur copioſiùs*; uti pulchrè S. Anſelmus oſtendit, dum dixit: Omnis hominum vita ſimillima eſt rotæ frumentariæ, quæ nunquam moveri & verſari deſinit. Sed intereſt inter homines, qui eam curant. Alij enim farinam ſic defluentem negligunt, ut tota in flumen elapſa pereat, uti ſæculares, qui nunquam mentem ac cogitationem ad æterna erigunt, intenti caducis & terrenis. Alij partem ſervant, partem negligentiâ perdunt, quales ſunt, qui, licet in ſæculo degant, aliqua tamen bona & ſalutaria peragunt, eleemoſynas tribuunt, frequentes ſunt in templo, ægrotos viſitant. Atque ij pro operum menſura tantundem prœmij accipient. Alij demùm ſubjecto ſacco totam excipiunt; & hi ſunt Religioſi, qui, quoniam ex Superiorum ſuorum juſſu, ejuſmodi rebus implicantur, quamvis temporale ſit, quod agunt, nihil tamen in eis de labore ſuo perit. Quin etiam, licet cogantur quidpiam, negotiis urgentibus, vel præter communem diſciplinam agere, vel de communi diſciplina remittere, hæc tamen omnia obedientiæ virtus compenſat, eáque farinam defluentem totam ac puram ita colligit, ac recondit, ut ad illos in omnem æternitatem alendos ſufficiat. Hinc rectè de talibus S. Gregorius ait: Animam ſuam juſti in vano non accipiunt, qui intentione continuâ ad eius utilitatem referunt, quidquid corporaliter operantur, quatenus & tranſeunte opere, operis cauſa non tranſeat, quæ vitæ præmia poſt mortem parat.

S. Anſelmus apud Plat. l. 1. c. 23.

S. Greg. l. 7. mor. c. 13.

§. IX.

M E D I A.

Ad Religioſum Statum dignè amplectendum.

I. **A**Rdens *deſiderium perfectionis*: nam teſte Salomone, initium illius eſt veriſſima diſciplinæ concupiſcentia: faciléque videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt illam, præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: aſſidentem illam foribus ſuis inveniet. Hinc S. Hieronymus, non ſufficit nobis, ait, velle juſtitiam, niſi & juſtitiæ patiamur famem, dicereq; cum Regio Propheta poſſimus: Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te DEUS. At S. Thomas Aquinas ſorori quærenti, quâ ratione ſalvari poſſet? meritò reſpondit: Si volueris, ſalvabere.

Sap. 6. 6. 12. & 13.

S. Hier. apud Rodriq. p. 1. tract. 1. c. 8.

II. *Oblivisci præteritorum, & ad anteriora ſe convertere*: ita S. Paulus exemplo ſuo docuit dicens: Fratres, ego non arbitror me comprehendiſſe; unum autem, quæ quidem retrò ſunt, obliviſcens, ad ea verò, quæ priora ſunt,

Phil. 3. 9.

ta ſunt, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei, in Chriſto JESU. Quod ipſum confirmans S. Hieronymus, *S. Hier. ſup. Pſ. 83.* quicunque ſanctus eſt, inquit, quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliviſcitur. Felix eſt, qui quotidie proficit, qui non conſiderat, quid heri fecerit, ſed quid hodie faciat, ut proficiat. Nam, ut S. Chryſoſtomus *S. Chryſ. ho 10. ſup. ep. Rom.* rectè advertit, à currendo non ceſſat, qui ſe curſûs ſui terminum necdum attigiſſe conſiderat. Econtrario verò, ſi reſpicis ad ea, quæ habes, inquid S. Bernardus, *S. Bern. apud Rodr. l. c. c. 7.* elevaris in ſuperbiam, dum de alijs præponis: proficere negligis, quia magnum te eſſe arbitraris, & tepidiùs incipis deficere, & remiſſiùs agere.

Rodriq. p. 3. tr. 1. c. 14. III. *Ita ſe gerere, ac ſi eo primùm die ad Religionem veniſſet*: ſic enim jam olim Abbas Agatho ſuaſit, dum antiquo Monacho roganti, quomodo ſe in Religione habere debeberet? reſpondit: Vide, qualis fueris primo die, quando exiſti de ſæculo, & receptus fuiſti in clauſtro, & talis permane ſemper. Quod ipſum etiam S. Antonius *Surius to. 1. p. 386.* morti proximus ſuis ſuaſit dicens: Ego quidem Filioli, ſecundùm eloquia ſcripturarum, Patrum gradior viam; jam enim Dominus me invitat, jam cupio videre cæleſtia: ſed vos, ô viſcera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repentè perdatis, hodie vos religioſum ſtudium arripuiſſe arbitremini, & cœptæ voluptatis *Eccl. 18. v. 6.* fortitudo ſuccreſcat. Ita S. Bernardus fecit, qui, teſte Surio, ſemper ſe velut Novitium unius diei tractabat; imò omnium Sanctorum proprium eſt, teſte Siracide, ut, cùm conſummaverint, tunc incipiant.

Rodriq. p. 1. tr. 1. c. 15. IV. *Sæpe à ſe rationem exigere, cur Religionem ſit ingreſſus*: ſic S. Bernardus iterum docuit, aſſiduò ſeipſum his verbis compellare ſolitus: Bernarde, ad quid veniſti? Imò & ipſe Chriſtus hoc medio uſus eſt erga Judam *Matth. 26. v. 50.* Proditorem, dum dixit: Amice, ad quid veniſti? quaſi dicere voluerit: Conſidera, ô Juda, quantum beneficium à me per vocationem ad Apoſtolatum acceperis, & mox à propoſito facinore deſiſtens, magiſtro tuo adhærebis potiùs, quàm prodes. Meritò ergo etiam *L. 1. de imit. c. 25. §. 1.* pius Aſceta ſic Religioſum alloquitur: Eſto vigilans & diligens in DEI ſervitio, & cogita frequenter, ad quid veniſti? & cur ſæculum reliquiſti? nonne ut DEO ſervires, & ſpiritualis homo fieres? igitur ad profectum ferveas, quia mercedem laborum tuorum in brevi recipies.

V. *Brevem ſibi hujus vitæ curſum circumſcribere*: *Eccleſ. 9. v.* ita Eccleſiaſtes hortatus eſt dicens: Quodcunque poterit manus tua facere, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia ſunt apud Inferos, quò tu properas. *S. Baſil. inſtruct. ad Fil. Spirit.* Id ipſum etiam S. Baſilius ſuaſit his verbis: ſemper ante oculos tuos verſetur ultimus dies. Cùm enim diluculo ſurrexeris, ad veſperum te ambigas pervenire; & cùm in lectulum ad quieſcendum membra tua poſueris, noli confidere de lucis adventu, ut faciliùs te poſſis refrenare ab omnibus vitijs. Sic exemplo ſuo docuit S. Job dicens: *Job. 14. v.* Cunctis diebus, quibus nunc milito, exſpecto, donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi. Verè beatus ſervus, quem, cùm *Matth. 24. v.* venerit Dominus ejus, invenerit vigilantem.

VI. *Aſſueſacere ſe virtutibus*: nam comparato uſu, conſuetudinéque in operando, aſperum iter virtutis planum atque jucundum redderur; id quod jam pridem Spiritus ſanctus per Salomonem indicavit, dum dixit: *Prov. 4. v. 10.* Audi, Fili mi, & ſuſcipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ. Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, ducam te per ſemitas æquitatis, quas, cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. Quod ipſum etiam confirmans S. Paulus, *Hebr. 12. v. 11.* omnis autem diſciplina, ait, in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris; poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ. Et clariùs S. Bernardus, *S. Bern. l. 1. de conſid. c. 2.* primùm, inquit, tibi importabile videbitur, aliquid, proceſſu temporis ſi aſueſcas, judicabis non adeò grave, paulò pòſt & leve ſenties; paulò pòſt nec ſenties: paulò pòſt etiam delectabit.

VII. *Animum rebus altis, egregiiſque applicare*: *1. Cor. 12. v. 31.* ſic enim jam olim Corinthijs Apoſtolus ſuaſit dicens: æmulamini chariſmata meliora; per hoc enim medium efficietur, ut, cùm ad ſuperiora connitimur, ſaltem ad mediocritatem perveniamus, ad exemplum ſcilicet ſagittariorum, qui, ut metam certiùs attingat, paulò altiùs ſupra ſcopum dioptam dirigunt.

VIII. *Etiam res parvas æſtimare, & non contemnere*: *Eccl. 19. v. 1.* qui enim ſpernit modica, paulatim decidet, Siracide teſte; &, ut S. Bernardus *S. Bern. de vit. & mor. inſtit.* rectè advertit, à minimis incipiunt, qui in maxima proruunt, veriſſima enim ſententia eſt: nemo repentè fit ſummus. Et, ut iterum Siracides monet, *Eccl. 10. v. 18.* in pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus. Ex minimis guttis, ait S. Bonaventura, *S. Bona. in proœm. reg. 3. c. 20.* multiplicatis inundationes aquarum fiunt, quæ etiam magna aliquando mœnia ſubruunt: per modicam rimam aqua latenter in navem influit, donec ſubmergatur.

IX. *Ad aliorum exempla reſpicere*: *Rodriq. p. 1. tr. c. 13.* ſic S. Antonius ſuaſit, dicere ſolitus, Religioſum debere api ſimilem eſſe, & in unoquoque illud ſtudioſiùs contemplari, quod in ipſo præſtantiùs effulſerit. Certè Charilaus nobilis apud Lacedæmonas Philoſophus quæſitus, quam rempublicam optimam eſſe cenſeret? eam, reſpondit, in quâ cives de virtute contenderent.

X. *Conſiderare, quantopere DEUS & ſancti noſtram perfectionem deſiderent*: nam, ut S. Cyprianus *S. Cypr. in c. 5. Matt.* ſapienter advertit, ſi hominibus lætum & glorioſum eſt, Filios habere conſimiles, & tunc magis generâſſe delectat, ſi ad Patrem lineamentis ſoboles paribus ſucceſſivè reſpondeat; quantò magis in DEO Patre lætitia eſt, cùm quis ſic ſpiritualiter naſcitur, ut actibus ejus & laudibus divina generoſitas prædicetur?

§. X.

Digitized by Google

§. X.

ASCETICA,

Beirl. v. Relig. f. 149.

I. Septem ferè ſunt, quæ ab Aſceta ſpecialiter de Statu Religioſo ſunt notanda. Primum eſt, ut bene cognoſcat, quænam requirantur ad Statum Religioſum, nimirum ſequentia tria. 1. *Tria vota* Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ; per hæc enim homo perfectè DEO dedicatur, & abdicatur propria voluntate & libertate. 2. *Regula particularis*, ſive Inſtitutum; quæ quidem non per ſe requiritur, (cùm ad eſſentiam non alia pertineat regula, quàm quæ in divinis præceptis, ipſiſque votis continetur,) ſed per accidens, quia Eccleſia non conſuevit Statum Religioſum approbare, niſi cum tali particulari regula. 3. *Approbatio Eccleſiæ, & votorum admiſſio*: quia enim grave periculum immineret Eccleſiæ, ſi cuilibet licentia fieret novam Religionem excogitandi, ideo meritò à Concilio Lateranenſi & Lugdunenſi ſtatutum eſt, ut nullus deinceps Ordo ſine approbatione Eccleſiæ inſtitueretur.

S. Bern. in ſentent. Caſſ. coll. 3. c. 3. 4.

II. Secundum eſt, ut bene cognoſcat varios modos, quibus DEUS, vocare ſolet ad Religioſum Statum, quos quidem S. Bernardus & Caſſianus aſſignaverunt. Tres ſunt vocationum ordines & modi. Primus ex DEO eſt, ſecundus per hominem, tertius ex neceſſitate. Ex DEO quidem eſt, quoties inſpiratio quædam immiſſa in cor noſtrum, nonnunquam etiam dormientes nos ad deſiderium vitæ æternæ ac ſalutis exſuſcitat, DEUM ſequi, & ejus inhærere præceptis compunctione ſaluberrima cohortatur. Quo modo B. Antonium avitum eſſe cognovimus. Secundus vocationis modus eſt, cùm vel exemplis quorundam Sanctorum, vel monitis caſtigati, ad deſiderium ſalutis accingimur, (quo modo duo Aulici ex vita S. Antonij lecta vocati ſunt.) Tertius verò vocationis modus eſt, qui ex neceſſitate deſcendit, cùm ingruentibus repentè tentationibus, quæ vel mortis pericula comminantur, vel amiſſione percutiunt, vel carorum morte compungunt, ad Dominum, quem ſequi in rerum proſperitate contempſimus, ſaltem inviti properare compellimur. De quo

Ib. c. 5.

ultimo genere ſic loquitur Caſſianus: Abbati Moyſi nil defuit ad perfectæ beatitudinis meritum, quòd metu mortis, quæ ei propter homicidij crimen intentabatur, impulſus ad monaſterium decurrit; quia ita neceſſitatem converſionis arripuit, ut eam in voluntatem prompta animi virtute convertens, ad perfectionis faſtigia ſumma pervenerit. Et Paulo nihil obfuit, quòd repentè cœcatus ad viam ſalutis velut invitus videtur attractus, qui poſtea Dominum tanto animi fervore ſectatus, initium neceſſitatis, voluntariâ devotione conſummans, glorioſam tantis virtutibus vitam incomparabili fine concluſit.

Manual. Sodal. c. 13. §. 5.

II. Tertium eſt, ut ſolidum ſciat modum inquirendi vocationem, qui quidem in ſequentibus regulis conſiſtit. 1. Non eſt expetenda aut exſpectanda revelatio, aut miracula, aliáve ſigna extra naturæ ordinem, quia, cùm Deus lumen mentis inſeruerit, hoc fide adjutum ſufficere poterit ad vocationem inquirendam. 2. Ut animus ad eam, quæ haberi poteſt maxima, æqualitatem componatur, ſolúmque DEI beneplacitum in hoc negotio quæratur. 3. Ut, quoniam ſecretum conſilium, ſecretum auditum quærit, negotia curæque ſeponantur, conſcientiáque per confeſſionem purgatâ, meditationi, ac Sacramentorum frequentationi diligentiùs inſiſtatur. 4. Ut, quoniam duo ſunt vocationum à DEO provenientium genera, alterum, quo voluntas vitæ religioſæ deſiderio accenditur: alterum, quo ratio illuminata vanitatem ac periculum vitæ ſecularis ex una parte, ex altera verò ſecuritatem ac felicitatem vitæ religioſæ agnoſcit, diligenter inquiratur, quo horum duorum generum quiſque vocatus ſit; & ſi quidem priori genere ſe quis vocatum ſentiat, etſi non ſimpliciter neceſſarium ſit, ut ulteriori inquiſitio inſtituatur, tamen majoris ſecuritatis gratiâ, etiam Rationis conſultatio jungatur, & ab initio quidem finis, propter quem creati ſumus, ob oculos ponatur: deinde verò varij ſtatus, de quibus conſultandum eſt, ob oculos ponantur, &, quid in ſingulis commodi, incommodíve reperiatur, tum ex illorum, tum ex noſtra natura judicetur. Tum quid in morte aut judicio extremo elegiſſe mallemus, aut, quid alteri cuipiam æquè nobis cognito ac amato, ac nos ipſi chari aut cogniti ſumus, ſuaderemus in hoc negotio, perpendatur. Tandem tota hæc electio DEO commendetur, & cum viro aliquo prudente communicetur, ejúſque ſuper ea conſilium requiratur.

IV. Quartum eſt, ut ſolidum etiam ſciat modum exequendi vocationem, qui quidem in quatuor potiſſimùm induſtrijs conſiſtit. 1. Ut magni æſtimetur beneficium vocationis ad religioſum ſtatum, quem in finem memorabilis iſta S. Bernardi ſententia prodeſt: Magna

Serm. de ingrat.

eſt ſuper nos, magna valde miſericordia DEI noſtri, quos tam ineffabili Spiritûs tui virtute, tam inæſtimabili dono gratiæ ſuæ eripuit à vana noſtra converſatione hujus ſæculi, in quo eramus aliquando ſine DEO, aut certè, quod execrabilius eſt, contra DEUM, non ignorantiam habentes, ſed contemptum. Cujus vitæ, aut potiùs mortis (anima enim, quæ peccaverat, ipſa moriebatur,) utinam frequenter in oculis cordis noſtri tetra verſaretur imago, quanta videlicet cæcitas, quanta perverſitas illa fuerit, ut ſedula meditatione penſantes miſericordiæ pondus, etſi non tam perfectè, ſicut eſt, aliquatenus tamen æſtimare poſſemus liberatricis miſericordiæ quantitatem. Jam verò ſi quis ex nobis diligenter conſiderare non negligat, non modò unde erutus, ſed ubi ſit conſtitutus: non ſolùm quid evaſerit, ſed & quid acceperit: non tantùm unde revocatus ſit, ſed etiam, quò vocatus, inveniet ſine dubio cumulum hujus miſericordiæ omnino menſuræ

ſuræ prioris excedere quantitatem. In eundem finem non parùm prodent ponderâſſe, quòd S. *S. Baſil. ſ. 1.* Baſilius monet, ſcilicet eum, qui ſæculo nuntium remiſit, hoc inprimis cogitare debere, ſe jam ultra humanæ naturæ fines proceſſiſſe, ſéque ipſum ei inſtituto tradidiſſe, quod ſit quàm maximè à corpore ſejunctum, ac propterea Angelorum converſationem imitandam ſuſcepiſſe; ſiquidem hoc Angelicæ naturæ proprium eſt, liberum eſſe à vinculis terrenis, nec omnino diſtrahi ad ullam aliam pulchritudinem contemplandam, ſed oculos in DEI vultum aſſiduè defixos habere. *Platus l. 3. c. 22.* Unde meritò etiam P. Hieronymus Platus diſcrimen hoc eſſe ait inter ſæcularem, qui affectu ſolo relinquit omnia, & Religioſum, qui affectu & opere omnia relinquit, quòd ille quaſi adverſo flumine remiget, & ideo difficiliùs, tardiúſque progrediatur, graviùs fangetur, & faciliùs relabatur; quoniam vix ullus eſt, qui in ea perpetua contentione ac luctâ adverſùs tot difficultates & impedimenta durare poſſit. Iſte verò quaſi propitijs ventis feratur, utpote quem nihil impedit aut retardat, omnia juvant & impellunt, locus, ſtatus, ſocij, occupationes & ſtudia, quibus tenetur, denique quidquid videt, vel audit. 2. Ut bona intentione amplectatur Statum Religioſum, nam, ut S. Auguſtinus ſapienter dixit, *S. Aug. conc. 1 ſuper pſ 118.* magni intereſt, cùm aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus; officium quippe noſtrum non initio, ſed fine penſandum eſt, ut ſcilicet non tantùm, ſi bonum eſt, præcipuè ſi bonum eſt id, propter quod facimus, cogitemus. 3. Ut celeriter executioni mandetur vocatio; nam, ut rectè diſcurrit S. Joannes Climacus, *S. Clim. grad. 1.* ſi vocante nos terreno & mortali Rege, & in ſuum obſequium nos militare jubente, nihil moraremur, neque occaſiones quæreremus, ſed omnibus dimiſſis illi magnâ alacritate pareremus; attendamus nobis ipſis, caveamúſque diligenter, ne fortè Regi Regum & Domino Dominantium, & DEO Deorum nos vocante ad cæleſtem hunc ordinem, propter noſtram deſidiam, & negligentiam obtemperare recuſemus, & poſtmodum ante tribunal illud horrendum inexcuſabiles inveniamur. Pulchrè *S. Baſil. ho. 52.* etiam S. Baſilius, ad vitam, inquit, te vocamus, ô homo, quid fugis vocationẽ? ad bonorũ participationem, quid negligis donũ? regnũ Cælorũ apertũ eſt; qui vocat, non mendax eſt; via facilis eſt: non tempore, non ſumptu, non negotio opus eſt. Quid cunctaris? quid tergiverſaris? quid jugum times, velut juvenca nondum jugum experta? bonum eſt, leve eſt, cervicem non atterit, ſed glorificat. Subde indomitam cervicem, fias Chriſti jumentum, ne dimiſſo jugo & vitam degens liberam, feris te laniandum exponas. Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus: dulcedinem mellis quomodo eam ignorantibus declarare poſſim? Guſtate, & videte. Aliam verò adhuc rationem accelerandæ executionis affert S. Auguſtinus *S. Auguſt. ſ. 59. de verb. Dom.* his verbis: Ecce indulgentiæ dator aperit tibi oſtium, quid moraris? gaudere deberes, ſi aperiret aliquando pulſanti, non pulsâſti, & aperit, & foris remanes? ne ergo differas. Et iterum: De miſericordiæ operibus quodam loco ſcriptura dicit: Ne dixeris, vade, & revertere, cras ego dabo; cùm poſſis continuò benefacere; non enim ſcis, quid ſequenti continget die. Audiſti præceptum non differendi, ut in alium ſis miſericors, & differendo, in te es crudelis? exhibe & animæ tuæ eleemoſynam. Non dicimus, ut tu DEO des, ſed non repellas manum dantis. 4. Ut conſtanter portetur jugum Religionis ſemel ſuſceptum: nam, ut S. Ephrem *S. Ephr. in ſ. non decet eos.* ait, ſi quis poſt renunciationem & abdicationem vitæ, in virtutis ſtadio claudicare incepit, & ſenſim à recta via reſilire, oculóſq; retrorſum convertere, hic & in vita præſenti erit exemplo, & poſt hanc vitam regnu cælorum privatus, indignum ſeipſum Sanctorum choro reddet. S. Bernardus verò ait: *S. Bern de modo bene viv. c. 20.* Qui de Monaſterio ad ſæculum redeunt, à Societate Angelorum ſeparantur, & Dæmonibus ſociantur. Qui ſanctam congregationem relinquunt, & ad ſæcularem vitam deſcendunt, à Societate DEI elongantur, atque dominio Diaboli ſubjugantur. Hinc meritò Cæſarius ſic Monachos ſuos hortatus eſt: *Cæſar. ho. 3. ad Monach.* Quid gravius, quàm ut ſubitò eradiceris de loco, ad quem te Dominus DEUS tuus vocaverat, in quo te primùm illuminaverat, in quem te poſt mala ſæculi quaſi ad portum de gravi tempeſtate eduxerat? obliviſci ſubitò fraternitatis, ſocietatis, & conſolationis, obliviſci loci illius, in quo primùm priſtinum habitum, & ſeculares mores exueras? aves ipſæ diligunt nidos ſuos, amant feræ loca, in quibus nutritæ ſunt, amant cubilia & paſcua, & tu intellectu præditus, ratione munitus, ita interdum alienus à ratione efficeris, ut præferas DEI beneficijs voluntates vel intentiones tuas, & ſequaris proprias cogitationes, quæ quamlibet ad duros labores, quamlibet ad ſalutis naufragia, atque animæ detrimenta te rapiant, totum hoc præ nimia cordis indignitate non ſentis. Nec dicas, inquit S. Chryſoſtomus, *S. Chryſ. l. 3. cont. vit. ſup. vit. mon.* unde nobis conſtare poterit, quòd ſtabit ille, perſeverabit omnino? multi enim exciderunt. Et ego tibi reſpondebo: unde verò tibi conſtat, quòd non perſeverabit? multi enim ſunt, qui perſeveraverunt, & quidem longè plures, quàm qui exciderunt. Itaque iſtorum gratiâ magis confidendum eſt, quàm illorum metuendum.

V. Quintum eſt, ut ſciat, in quo conſiſtat verus Spiritus ſeu perfectio Religioſi Status, nimirum in cognitione & amore DEI; ſicut enim Beatorum in cælis felicitas his duobus conſummatur; ita perfectio hominum in hac vita, quæ eſt beatitudo inchoata, in ijsdem quoque rectè conſiſtere dicitur. Id quod ipſe quoque Chriſtus indicâſſe videtur, dum dixit ad Apoſtolos: Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis per- *Matth. 5. v. 48.* fectus eſt: id eſt, ſicut Pater ſeipſum cognoſcendo generat Filium; & amando eundem ſpirat Spiritum Sanctum, & ſic quodammodo in ratione Trinitatis perſonalis perfectus evadit; ita & homo quoque, utpote ad imaginem DEI factus, per cognitionem & amorem ejusdem Deitatis perfectus efficitur. Sicut autem duplex eſt amor affectivus, quo quis gaudet de bono Per-

ſonæ amatæ: & effectivus, quo quis operatur propter beneplacitum & bonum amati; ita perfectio quoque duplicem hunc amorem includit, ut ſcilicet quis ex animo gaudeat DEUM eſſe, qui eſt: & ſimul etiam in ſubſtantia, modo, & fine ſuorum operum ſolum DEI beneplacitum inquirat, id quod breviter nonnemo ſequentibus duobus verſibus indicavit:

Omne tulit punctum, patitur qui ſemper, agitq;,
Quæ vult, quóve modo vult DEUS, & quia vult.

Quia verò ad hanc perfectionem addiſcendam & exercendam Chriſtus nobis pro Magiſtro datus eſt, ideo rectè à nonnullis Aſcetis dicitur tota Religioſorum perfectio in perfecta imitatione Chriſti conſiſtere. Id quod inprimis S. Ambroſius ſequentibus verbis indicavit: *S. Ambroſ. in explic. tit. pſ. 38.* Chriſtus eſt finis omnium, quæ pia mente poſcimus, in omnibus tibi ſequendus eſt. Ad quem igitur contendas, niſi ad perfectionem omnem, ſummámque virtutum? Et ideo tibi dicit: Veni, ſequere me, hoc eſt, ut ad conſummationem virtutum pervenire merearis. Ergo qui ſequitur Chriſtum, cum pro poſſibilitate ſua debet imitari, ut præcepta ejus ſecum meditetur, & divinorum exempla factorum. *S. Bern. in hom. ecce nos.* S. Bernardus autem id ipſum confirmans ubi verbum, inquit, caro factum eſt, & habitavit in nobis, jam nobis in eo tradita eſt imago vitæ, & perfectionis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, ut utroque ſequentes veſtigio, non ulteriùs cum Patriarcha Jacob, altero femore claudicemus. Neque id dicemus, tanquam ſalvari quis vel hoc tempore nequeat, ſi ſecus egerit, ſed ut gradum cognoſcat proprium & locum perfectionis, aut diſcipulatûs officium non uſurpet. Nam ideo, teſte S. Laurentio *S. Laur. Juſtin. faſc. a. mor. c. 12.* Juſtiniano, ſe voluit transformare in ſingulos, ut caritatis compagine ſingulos reformaret in ſe, conformarétque ſibi. Fecit ſe, ſicut te, ut te faceret, ſicut ſe.

VI. Sextum eſt, ut ſciat apta & efficacia media perveniendi ad perfectionem Statui Religioſo præfixam, quorum ſat multa priori §. ſunt aſſignata, ſed quæ omnia ferè ad tria revocari *Cant. I. c. 1.* poſſunt, ab ipſa Sponſa in Canticis mox ab initio aſſignata, dum dixit: oſculetur me oſculo oris ſui: quibus verbis *grande deſiderium* indicavit. Trahe me: quibus verbis gratiam à DEO petivit, ſuámque diffidentiam in proprijs viribus declaravit. Poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum: quibus verbis *cooperationem* propriam inſinuavit. Hæc ſanè tria media, ſcilicet deſiderium, oratio, cooperatio, meritò ſui culus triplex dici poſſunt, quo homo perfectiſſimè unitur DEO, & ſic religioſam perfectionem conſequitur.

Eccl. 2. v. 1. VII. Septimum eſt, ut, quoniam accedentibus ad ſervitutem DEI, præparatio ad tentationem ſuadetur à Siracide, maturè ſibi de firmo ſcuto proſpiciat, quale quidem aptiſſimum à S. Davide offertur, dum ait: Scuto bonæ voluntatis tuæ coronâſti me. Hoc ſanè ſcuto contra geminum exercitum, quem, teſte S. Auguſtino, contra homines educit Dæmon, nempe voluptatem allicientem, & tribulationem terrentem, fortiſſimè propugnabitur, veriúſque de illo, quàm Myrtilus miles de hoc ſcuto ſuo dicere poterit.

Effugi geminum clypeo diſcrimen in uno,
Dum premerérque ſalo, dum premerérque ſola.

Hinc de eodem Davide, velut viro ſecundùm cor tuum, DEUS dixit: Manus enim *Pſ. 88. v. 22.* mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

§. XI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Mihi Mundus crucifixus eſt & ego mundo*; poteſt oſtendi, quàm verè hoc religioſus quivis dicere poſſit. Et 1. quidem oſtendatur, quàm verè vita Religioſorum crux dici queat; ſi enim S. *S. Aug. ſ. 31. de Sanct.* Auguſtinus de quolibet Chriſtiano dixit: Tota vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundùm Evangelium vivat, crux eſt atque martyrium; quanto magis de Religioſo perfectionem Evangelij ſectante id dici poterit? certè non immeritò Theophylactus de illis dixit: Monachis crux *Theoph. orat. de cruc.* omnino cognata, & familiaris eſt, quorum tota vita afflictio & mortificatio, & luctus, & ignominia, & ſubjectio, & id genus alia, quæ crucem comitantur. Et P. Balthaſar Alvarez dicere ſolitus erat, religionem eſſe ſcholam, in qua ſcientia diſcitur, crucifixos faciendi. 2. Oſtendatur, quàm verè etiam dicatur Religioſus tribus clavis huic cruci affixus, ſcilicet vel per tria vota religioſa; vel, ut S. Hieronymus explicat, per humilitatem, patientiam, & obedientiam, de quibus S. Paulus ad Philippenſes *2. Phil. v. 8.* dixit: Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. 3. Oſtendatur ex conditionibus crucifixi, quàm verè hoc præconium Religioſo conveniat, quas quidem conditiones Caſſianus ſequentibus verbis expreſſit: *Caſſ. l. 4. c. 34.* Sicut crucifixus non pro animi ſui motu membra ſua quoquam movendi vel convertendi habet poteſtatem; ita & nos voluntates noſtras ac deſideria non ſecundùm id, quod nobis ſuave eſt ac delectat ad præſens, ſed ſecundùm legem Domini, quo nos illa conſtrinxerit, applicare debemus. Et ſicut is, qui patibulo crucis ſuffigitur, non jam præſentia contemplatur, nec de ſuis affectionibus cogitat, non pro die craſtino ſollicitudine, curáque diſtenditur, nullâ poſſidendi concupiſcentiâ permovetur, nullâ ſuperbiâ, nullâ contentione, nullâ æmulatione ſuccenditur, non de præſentibus dolet injurijs, non præteritarum jam recordatur, séque, cùm adhuc ſpirat corpore, cunctis elementis credit eſſe defunctum, illuc præmittens ſui cordis intuitum, quò ſe non dubitat illico tranſiturum; ita nos quoque crucifixos oportet his omnibus, id eſt, non ſolùm carnalibus vitijs, verùm etiam ipſis elementis mortuos eſſe, illuc habentes oculos animæ no-

ſtræ

Engelgr. in ſole triũ Martyr. lapon. §. 4.

ſtræ defixos, quo nos ſperare debemus momentis ſingulis tranſituros. Ita Caſſianus. Quod totum bene agnovit S. Ignatius Loiola, hinc in præfatione veteri Conſtitutionum dixit: Homines Mundo crucifixos, & quibus mundus ipſe crucifixus ſit, vitæ noſtræ ratio nos eſſe poſtulat. Hinc meritò Gonſalvus Silveria Societatis noſtræ Sacerdos dixit: Non ſiſtam gradum, donec cum JESU affigar cruci. Quàm altus verò ſit hic gradus, Chriſtus ipſe olim Rudolpho Converſo Ordinis Ciſtercienſis oſtendit, dum ei cum alijs quindecim Ordinis illius Religioſis in cruce ſuffixis apparuit, dixitque, hos ſolos ex illa Congregatione ſecum eſſe crucifixos. Vide hæc fuſiùs diducta apud Engelgrave l. c.

Jo. 15. v. 13. *S. Greg. ho. 35. in Evang.*

II. Ex occaſione thematis: *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis:* poteſt Religio Martyrio comparari, quia, teſte S. Gregorio, duo ſunt Martyrij genera, unum in mente, alterum in mente ſimul & actione. Itaque Martyres eſſe poſſumus etiamſi nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe à perſequente, Martyrium in aperto opere eſt, ferre verò contumelias, odientes diligere martyrium eſt in occulta cogitatione. Potiſſimùm verò probetur hæc aſſertio triplici ex capite. 1. *Ex forma Martyrij*, quæ in eo conſiſtit, quòd, ſicut in carnis Martyrio perſecutor Chriſtum eripere conatur ereptâ fide; ita in Martyrio mentis Diabolus, quo nullus eſt immanior hoſtis, Chriſtum (alijs virtutibus ereptis) eripere conetur. Hinc S. Auguſtinus ait: Contra mortifera blandimenta luctemur, ſcientes in eo etiam quotidiana Martyria Chriſtianis deeſſe non poſſe. Si enim caſtitas & veritas, & juſtitia Chriſtus eſt; ſic & ille, qui eis inſidiatur, perſecutor eſt, & ille, qui ea in alijs defendere, & in ſeipſo cuſtodire voluerit, Martyr eſt. Cùm ergo Religioſus tres primarias virtutes, ſcilicet paupertatem, caſtitatem, & obedientiam, ſingulari ſtudio & fortitudine defendat, meritò Martyrij palma illi non negatur. Hinc de paupertate quidem dixit S. Bernardus: Quid ſibi vult, quòd eadem promiſſio facta eſt pauperibus & Martyribus, niſi quia verè genus Martyrij eſt paupertas voluntaria? De caſtitate verò S. Ambroſius ait, non ideo laudabilis eſt virginitas, quia in Martyribus reperitur, ſed quia ipſa Martyres facit. De obedientia denique S. Theodorus Studita ait, inhærere frangendæ voluntati, Martyrium eſt. Et S. Gertrudi revelatum olim fuit, Religioſos ſub una regula obedientiæ viventes Martyribus annumerari, quia propriæ voluntati reſiſtunt, & ſenſus mortificando à peccatis, ad quæ propendent, abſtinent, & ſic ſe DEO offerunt in odorem ſuavitatis. 2. *Ex natura mortis*: quia ſicut mors corporis à divitijs, amicis, & omnibus rebus mundi ſeparat, ipsáſque partes corporis ſejungendo per tormenta graves cruciatus infert; ita Religioſus Status ſeparat per tria vota ab omnibus rebus creatis, tantòque majorem cruciatum affert, quantò magis ejuſmodi bona plerumque per affectum ſolent inhærere: & quantò ſeipſum quiſque magis diligit, quàm bona ſua. Hinc Paphnutius Abbas Tyranno varia tormenta minitanti dixit: Putáſne, tua hæc tormenta adeò mihi horribilia videri, ut propter ea DEUM verum negandum putem? quin imò hoc ſcito, noſtras Monaſticas conſtitutiones multò plura in ſe tormenta continere, quoniam in multis exercitationibus aſſiduè tentamur. Sed Salvator noſter ita nos corroborat, ut omnia perferre, & ſuperare poſſimus. Quare idem etiam nunc corroborabit ad tuam hanc ſævitiã ſuperandam. 3. *Ex diuturnitate durationis*; de qua S. Bernardus dixit: Genus Martyrij eſt, Spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitiùs, ſed diuturnitate moleſtius. Atqui in oculis DEI, inquit Richardus Victorinus, majoris eſt meriti, ſæpe mortificari, quàm mori. Nónne mors Martyrum tantò erat pretioſior, quantò mortem præcedens pœna productior? quibus volentibus mortem, non dabatur occidi. Qua de materia fuſiùs diſcurrentes videri poſſunt. Hieronymus Platus l. 2. c. 12. & Nicolaus Lancitius opuſc. 1. c. 4.

S. Aug. ſ. 250. de temp. *S. Bern. ſ. 1. de OO.* *S. Ambr. l. 1. de Virg.* *S. Theod. ſ. 93.* *Lancic. opuſc. 1. n. 36.* *Platus l. 1. c. 10.* *S. Bern. ſ. 30. in Cant.* *Rich. Vict. in pſ. 118.*

Exod. 15. v. 13. *S. Bern. ſ. 39. in Cant.*

III. Ex occaſione thematis: *Dux fuiſti in miſericordia populo, quem redemiſti: & portâſti eum in fortitudine tua ad habitaculum ſanctum tuum*: poteſt vocatio ad religioſum ſtatum eductioni Populi Iſraëlitici ex Ægypto comparari, nam, uti rectè S. Bernardus dixit, ibi populus eſt de Ægypto, hîc homo de ſeculo. Ibi proſternitur Pharao, hîc Diabolus; ibi ſubvertuntur currus Pharaonis, hîc carnalia deſideria, quæ militant adverſus animam. Illi in fluctibus, iſti in fletibus; Marini illi, amari iſti. Puto & nunc clamitare Dæmonia, ſi fortè contingat incidere in talem animam: Fugiamus Iſraëlem, quia Dominus pugnat pro eo. Præcipuè tamen hæc comparatio inſtitui poteſt quatuor ex capitibus. 1. Ratione Populi educti, ſcilicet Iſraëlis, qui interpretatur videns DEUM, fuit populus electus, & ſpecialiter dilectus à DEO, quæ prærogativæ multò magis conveniunt ipſis Religioſis, ut facilè oſtendi poteſt. 2. Ratione loci, ex quo ſunt educti, videlicet ex Ægypto, ubi onerabantur laboribus, flagellabantur, & à cultu DEI impediebantur, quæ Mundo rectiùs attribuuntur, ex quo educti ſunt Religioſi. 3. Ratione modi eductionis: ſcilicet in die per nubem, in nocte per ignis columnam, & per viam maris rubri, & deſerti; quæ poſſunt explicari de Chriſti exemplo, utpote qui verè nubi comparari queat: de illuminatione Spiritus Sancti, qui columna ignis vocari poteſt: de remiſſione peccati per pœnitentiam obtentâ, quæ poteſt itineri per mare rubrum comparari. Et tandem per relictionem omnium rerum, quæ poteſt viæ per deſertum attribui. 4. Ratione termini, ad quem eductus eſt, ſcilicet terram lacte & melle manantem, viriſque fortiſſimis conſtantem, quæ ad puritatem vitæ, conſolationum abundantiam, & fortitudinem Religioſorum trahi poſſunt. Videatur de hac materia fuſiùs diſcur-

diſcurrens Hieronymus Platus l. 3. in procemio.

Matth. 11. v. 29. IV. Ex occaſione thematis: *Tollite jugum meum ſuper vos: jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve:* poteſt qualitas Religioſi Status explicari. Et 1. oſtendi, quodnam ſit jugum illud, quod Chriſtus tolli præcepit, nempe jugum crucis, de quo ipſe dixit: *Matth. 16. v. 24.* Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. 2. Oſtendatur, cur jugum dicatur, quia ſcilicet non ſolus Religioſus id portat, ſed Chriſtus cum ipſo, utpote exemplum præbens, ut, quemadmodum ipſe fecit, ita & Religioſus faciat. 3. Oſtendatur, quomodo ſit jugum ſuave, & onus leve; tum propter gratiam vocationis; tum propter conſolationum abundantiam; tum propter centupli promiſſionem. Quæ omnia fuſiùs apud Platum l. 3. c. 4. 7. 13. & alijs videri poſſunt.

Pſ. 83. v. 5. V. Ex occaſione thematis: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te:* poteſt Religioſus Status cum Paradiſo cæleſti comparari. 1. Quia ſicut in cælo nulla eſt divitiarum, voluptatum, carnis, propriæ voluntatis appetitio, ita nec in Religioſo ſtatu. 2. Quia ſicut in cælo nihil aliud agunt, niſi ut DEUM laudent; ita & in Religione hoc ſolùm agitur, utpote in qua omnia ad laudem DEI referuntur; ſic enim, *S. Aug. in Pſ. 146.* ut ait S. Auguſtinus, laudas DEUM, cùm agis negotium: laudas, cùm cibum & potum capis: laudas, cùm in lecto requieſcis: laudas, cùm dormis. 3. Quia ſicut in cælo ſumma eſt tranquillitas & felicitas, eò quòd in uno, eóque ſummo bono delectentur beati, ita ſumma quoque eorundem eſt felicitas. Quæ omnia fuſiùs apud Platum l. 3. c. 15. videri poſſunt.

Pſ. 132. v. 1. VI. Ex occaſione thematis: *O quàm bonum & jucundum eſt, habitare Fratres in unum:* poſſunt explicari utilitates, quæ ex Religioſorum unitate percipitur, quæque à Sitacide jam pridem indicata eſt, dum dixit: *Eccl. 4. v.* Meliùs eſt duos eſſe ſimul, quàm unum; habent enim emolumentum Societatis ſuæ: ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur. Quibus verbis primus fructus indicatur, ſcilicet quòd à ſe mutuo ſubleventur, & erigantur; partim precibus, partim adhortationibus, partim exemplis. Unde mox addit: væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe. Alter fructus indicatur his verbis: Et ſi dormierint duo, fovebuntur mutuò: unus quomodo caleſiet? nimirum ſicut carbo junctus alijs ardentibus carbonibus ſponte inardeſcit, ita idem tepido Religioſo evenit, ſi ferventibus jungatur. Tertius indicatur ſequentibus verbis: Et ſi quiſpiam prævaluerit, duo reſiſtent ei, nam ut S. Bernardus ait, in Religione tot ſunt auxiliarij, quot ſocij, & tales, qui dicere poſſunt cum Apoſtolo: quia non ignoramus aſtutias inimici. Congregatio enim pro fortitudine ſua terribilis, ut caſtrorum acies ordinata. Quæ fuſiùs diducta videri poſſunt apud Platum l. 1. c. 29.

§. XII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

S. Ioann. Climac. gr. 4. I. S. Climacus Monaſterium appellat ſalutarem Fullonum officinam, in qua dum Monachus contumelijs & ignominijs, & Fratrum vexationibus extenditur, atque intellectualiter pulſatur, fortaſſis etiam ſenſibiliter, calcibúſque tunditur, & conculcatur, ſordes, quæ animæ veſtes commaculaverant, diluuntur.

In vitis PP. II. Pambo Abbas dicebat Religioſum debere eſſe ſimilem corpori mortuo, quod neque ſenſum, nec voluntatem habet: aut qualis baculus in manu ſenis, qui eo ad arbitrium utitur.

Surius in vita. III. S. Laurentius Patriarcha Venetus Adoleſcentem nobilem ex Monaſterio domum remiſit, hâc ſolùm de causâ, quòd Fratrum conſilio & perſuaſione vitam monaſticam fuiſſet amplexus. Cauſam verò ſciſcitanti dixit, religionis propoſitum à Spiritu Sancto eſſe debere, non ab humana ſuadela.

Engelgr. de comm. Confeſſ. in exord. IV. Quidam dicebat, tunc Religioſum vocationi ſuæ ſatisfacturum, ſi tria SSS. ſervaverit, ſcilicet ſpernere mundum, ſpernere neminem, ſpernere ſperni.

Ibid. V. Alius dicebat, tria Religioſum ad Monaſterium afferre debere. *Dorſum Aſininum*, ut omnia portet. *Os porcinum*, ut omnia, quæ apponuntur, comedat. *Cor columbinum*, quod nullam amaritudinem habeat.

Ibid. VI. Caſſianus dicere ſolebat, neminem poſſe eſſe verum Religioſum, niſi ſurdus, mutus, & cæcus fuerit; hanc enim eſſe victoriam, quæ vincit mundum.

Platus l. 2. c. 6. VII. Character veri Religioſi eſt altitudo quædam animi, qui ſuper omnia, quæ in hoc mundo ſunt, erectus omnia quaſi ſubter ſe habet, omnia deſpicit, ac pro nihilo ducit, ac non modò ea non quærit, ut mundani, ſed etiam oblata, & ultro affluentia ut lutum & ſtercus abominatur.

Idem. l. 2. c. 10. VIII. Sicut duplex eſt hominis perfectio, eſſentialis una, quæ hominem completum efficit, & accidentalis altera, quæ etiam venuſtatem & ſpeciem addit, ut ſi homo non integrum duntaxat corpus, ſed etiam venuſtum habeat; ita duplex etiam Chriſtiani perfectio, quarum prior & quodammodo eſſentialis in plena mandatorum obſervatione conſiſtit, poſterior verò etiam obſervationem conſiliorum ſuperaddit, & talis eſt, ut aſpicientes perinde ut vultus formoſus in amorem rapiat.

S. Bern. ſ. ad FF. de monte Dei. IX. S. Bernardus pulchrè explicat perfectionem ad Religioſum requiſitam, dum ait: Unitas Spiritûs cum DEO homini ſurſum cor habenti, proficientis in DEUM voluntatis eſt perfectio, cùm jam non modò vult, quod Deus vult, ſed ſic eſt non tantùm affectus, ſed in affectu perfectus, ut non poſſit velle, niſi quod DEUS vult. Velle enim, quod DEUS vult, hoc eſt, jam ſimilem DEO eſſe: non poſſe autem velle, niſi quod DEUS vult, hoc eſt, jam eſſe, quod DEUS eſt, cui velle & eſſe idipſum eſt.

Æquitas.

Æquitas.

Platus l. 3. c. 38. X. F. Ægidius cùm aliquando ex literato quæſiviſſet, num crederet, magna eſſe præmia, quæ præparavit DEUS diligentibus ſe? & is affirmâſſet, ſubjecit Ægidius: atqui ego oſtendam te non credere. Quantùm valent poſſeſſiones tuæ? Mille aureos, ait ille. Si hos ergo, ait ille, ſic collocare poſſes, ut centum mille ſubitò efficerent, nónne ſtatim eos exponeres? ergo cùm non exponas, manifeſtè apparet, te non habere fidem Chriſti promiſſo.

XI. Rectè quidam de Mundo cecinit:

Mundus non mundus, qui mundos polluit: ergo
Qui manet in Mundo, quomodo mundus erit?

Utilitas.

Vit. PP. l. 6. libell. 3. n. 9. XII. Fuit quidam magnus inter prævidentes; hic affirmabat dicens: quia virtutem, quam vidi ſtare ſuper baptiſma, vidi etiam ſuper veſtimentum Monachi, quando accepit habitum ſpiritualem.

L. 3. inſin. c. 54. XIII. Cùm S. Gertrudis ſe ad iter aliquod, licet viribus corporis deſtituta obtuliſſet, Chriſtus de Cruce in amplexus ejus demittens dixit: Bene venias mihi, Cariſſima, vulnerum meorum emplaſtrum leniſſimum, omniúmque dolorum meorum levamen ſuaviſſimum. In quibus verbis intellexit, quod quando aliquis offert integram voluntatem ſuam ad omne beneplacitum DEI, hoc Dominus tali modo acceptat, quaſi homo ille tempore paſſionis ejus, omnibus vulneribus leniſſima adhibuiſſet emplaſtra.

S. Anſelm. l. de ſimil. XIV. S. Anſelmus ait, ſi illi tantam à DEO gratiam ſperare poſſunt, qui divitias ſuas velut fructus DEO conſecrant; quantam merebuntur ij, qui etiam ſeipſos velut arborem eidem offerunt, quemadmodum Religioſi faciunt?

Lancik. opuſc. 1. n. 239. XV. Chriſtus quondam S. Catharinæ Senenſi dixit: Ego nunquam in me verè ſperantibus in aliquo deficio, ſed gratioſè provideo. Et unde procedit, quòd homo quandoque ſtans in delictis cum pannis multis, & in magna cura proprij corporis, habendo quotidie cibaria delicata, continuè tamen eſt infirmitate gravatus. Poſtquam autem amore mei ſe contempſit, & amplexatus eſt voluntariam paupertatem, unico ſibi veſtimento reſervato, ad cooperiendam corporis nuditatem, ipſe idem efficitur corpore fortis atque ſanus; & non videtur, quòd aliquid ei noceat, neque conſequitur, quòd illi corpori ſuo detrimentum aliquod inferant frigora, ſive calores, vel alia cibaria groſſa. Totum hoc à providentia mea procedit, quia de illo curam habere cœpi, qui mihi de ſe totaliter curam commiſit, omnino derelinquendo ſemetipſum. Ergo, dilectiſſima Filia, vides apertè, in quanta requie conſiſtant hi peramabiles pauperculi mei.

Dignitas.

S. Tereſ. in exam. perf. cap. 2. XVI. S. Tereſia dicebat: Vita boni Religioſi, & ejus, qui vult eſſe ex ſtrictis amicis DEI, eſt longum Martyrium.

XVII. S. Agnes dixit S. Birgittæ: Martyrij genus eſt, delicias habere, & deliciis non uti. *l. 4. Rev. c. 17.*

XVIII. S. Julianus, poſtquam cum Baſiliſſa virginitatem illibatam ſervare decrevit, vidit inter cætera cum Sponſa allatum à duobus Angelis librum argenteum, & in eo aureis literis exaratam hanc ſententiam: Quiſquis mei deſiderio Mundum contempſerit, iis annumerabitur, qui cum Mulieribus non ſunt coinquinati. *Lancic. opuſc. 2. n. 98.*

XIX. S. Gregorius Nazianzenus de Religioſis Ordinibus dicit: Omnes ſunt terreſtre cælum, omnes ſunt gregis Domini primitiæ, columnæ, & coronæ fidei, pretioſæ margaritæ, templi illius lapides, cujus fundamentum & lapis angularis eſt Chriſtus. *S. Gregor. orat. ult. in Iul.*

XX. B. Laurentius Juſtinianus ait: Omnes ſunt terra ſancta, in quibus puritatis cuſtoditur candor, &, quantùm fas eſt, cæleſtis vitæ præferuntur inſignia. *S. Laurent Juſtin. ſ. de S. Hugon.*

XXI. Jordanus Generalis Magiſter Ordinis S. Dominici dicere ſolebat, Religioſos eſſe velut Cubicularios ſupremi Regis, qui ab eo intimè ac familiariſſimè adhibentur; ſæculares autem ſervire velut in coquina, aliíſque vilibus miniſteriis. *Platus l. 2. c. 38.*

XXII. Fr. Ægidius Franciſcanus aliquando interrogatus, quid de Religioſis Familiis ſentiret? reſpondit, curiam eſſe magni Regis, in quam ingredi cuivis datum eſt, & nullius reputatur artis; at non ita bene & convenienter in ea converſari. *Beyrlinck. v. Relig. f. 162.*

§. XIII.

AXIOMATA.

I. Servire DEO, regnare eſt. *Anonym.*

II. Pauca ſcribere, pauca legere, & multa facere, officium eſt veri Religioſi. *Hugo Rath in vita reg.*

III. Summa Religioſi perfectio eſt, communia quæq; Religionis officia perfectè obire. *Idem.*

IV. Non Habitus & tonſura, ſed vita religioſa facit Monachum. *Tho. Kempi. l. 1. c. 18.*

V. Monachus extra Monaſterium, & piſcis extra fluvium, uterque tendit ad interitum.

§. XIV.

AUTHORES.

I. S. Joannes Chryſoſtomus lib. tribus contra vituperatores vitæ Monaſticæ.

II. S. Thomas opuſc. 19. contra impugnantes Religionem.

III. Joannes Caſſianus de Inſtitut. Cœnobiorum.

IV. B. Albertus Magnus in defenſorio Mendicantium.

V. Hieronymus Platus de bono Status Religioſi.

VI. Nicolaus Lancizius opuſc. 1.

VII. Laurentius Beyrlinck in Theatro vitæ humanæ. V. Religio & Religioſus.

VIII. Robertus Bellarminus lib. 2. controv.

IX. Manuale Sodalitatis B. V. c. 13. part. 4. & ſeqq.

X. Henricus Engelgrave in Cœlo Empyr. de communi Confeſſ.

TITULUS XXIV.

SACERDOS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

SAcerdos eſt Clericus ad offerendum DEO incruentum Sacrificium, aliáq; Sacramenta adminiſtranda legitimè ordinatus.

Dicitur *Clericus*, vel quia de ſorte Domini eſt, *S. Hier. in Epiſt. ad Nepot.* vel quia ipſe Dominus, eſt ſors ſeu hæreditas illius. *Sacerdos* autem appellatur, vel quia ſacra docet; ut Magiſter rerum ſacrarum: vel quia eſt ſacer dux ad cælum viam quà verbis, quà exemplis oſtendens: vel quia ſacra dat, id eſt, SS. Myſteria diſpenſat. *Presbyter* verò vocatur, quia ob munus ſuum excelſum eodem, quo Seniores, honore ac reverentiâ dignus eſt. Porro omnia hæc Sacerdotum officia titulóſq; breviter complexus eſt S. Proſper, *L. 2. de vit. contempl. c. 2.* dum dixit, dici non poſſe, quàm ſancti debeant eſſe Sacerdotes, cùm ipſi ſint, qui velut novi quidam Aarones incenſum precum DEO offerant, illius Majeſtatem placent, juſtitiæ rigorem impediant, iram & furorem illius avertant. Cùm ipſi per DEI gratiam fiant divinæ voluntatis indices, Eccleſiarum Chriſti poſt Apoſtolos Fundatores, fidelis populi Ductores, Veritatis Aſſertores & Defenſores, falſorum dogmatum Inimici, hæreſum flagella, baptizatorum Patres, rerum cæleſtium Præcones, ſpiritualium conflictuum Duces, bonorum operum Patroni, Alphabetum virtutum, ac Fidelium exemplaria.

Diviſio.

II. Dividitur in *ſimplicem* & *curatum.* Ille eſt, qui beneficio ſimplici, nullam animarum curam annexam habente, gaudet: Iſte, qui dictam curam ſibi commiſſam habet. Et hic iterum ſubdividi poteſt in Parochum, Decanum, Epiſcopum, Archiepiſcopum, Patriarcham, Cardinalem, Papam.

ACTUS
Seu officia Sacerdotum.

III. Eſſe *Interpretem & Legatum DEI*, *2. Cor. 5. ℣. 20.* juxta illud Apoſtoli: Pro Chriſto legatione fungimur tanquam DEO exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini DEO. Etſi enim ſit unus Mediator DEI & Hominum Chriſtus JESUS, *1. Tim. 2. ℣. 5.* teſte Apoſtolo, qui dedit ſemetipſum pro omnibus, quia tamen hic in terris ampliùs non habitat, Sacerdotes pro ſe Vicarios ſubſtituit; hinc idem S. Paulus dixit: In quo poſitus ſum ego Prædicator & Apoſtolus (veritatem dico, non mentior) Doctor Gentium in fide & veritate.

IV. *Offerre thymiama Orationis* per officij divini recitationem, uti Azarias olim Oziæ Regi thymiama offerre volenti indicavit, dicens: Non eſt tui officij, Ozia, ut adoleas incenſum *2. Par. 26. ℣. 18.* Domino, ſed Sacerdotum, hoc eſt, Filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad hujuſmodi Miniſterium. Id quod potiori jure de Sacerdotibus Novi Teſtamenti dici poteſt, de quibus rectè Alexander Papa dixit: Ipſi Sacerdotes pro *Alex. 1. q. 1. c. Sacroſancta.* Populo interpellant, & peccata Populi comedunt, quia ſuis precibus ea delent atque conſumunt. Alium adhuc orationis hujus finem & effectum aſſignavit S. Hieronymus, dicens: *Diſt. 36. c. Si quis.* Oret Sacerdos Eccleſiæ indeſinenter, ut vincat Populus, qui ſub ipſo eſt, hoſtes, inviſibiles Amalecitas, id eſt, Diabolos, qui aſſiduè bellum movent iis, qui piè volunt vivere in Chriſto JESU. Quibus tandem tertium effectum ſuperaddit S. Chryſoſtomus his verbis: Præ- *hom. 79. ad Populum.* ſunt Sacerdotes orationibus noſtris ob eam rem, ut Populi orationes, quæ infirmiores per ſe ſunt, validiores illas complexæ, ſimul in cælum evehantur.

V. *SS. Miſſæ Sacrificium offerre, aliáque Sacramenta adminiſtrare:* uti S. Paulus indi- *1. Cor. 4. ℣. 1.* cavit, dum dixit: Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum ejus. Hinc S. Thomas ait, proprium Sa- *3 p. q. 22. a. 1.* cerdotis officium eſſe, eſſe Mediatorem inter DEUM & Homines, in quantum ſcilicet divina Populo tradit, unde dicitur Sacerdos, quaſi ſacra dans. Ob quam cauſam S. Paulus dixit: *Hebr. 5. ℣. 1.* Omnis Pontifex aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad DEUM, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. SIcut miſit me Pater, & ego mitto vos. *Jo. 20. ℣. 21.*

II. Sacerdotes tui induantur juſtitiam, & *Pſal. 131. ℣. 9. & 16.* Sancti tui exultent. Sacerdotes ejus induam ſalutari, & Sancti ejus exultatione exultabunt.

III. Sancti erunt DEO ſuo, & non pol- *Levit. 21. ℣. 6.* luent nomen ejus: incenſum enim Domini, & panes DEI ſui offerent, & ideo ſancti erunt.

IV. Recedite, recedite, exite inde, pollu- *Iſ. 52. ℣. 11.* tum nolite tangere: exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vaſa Domini.

V. Nemini dantes ullam offenſionem, ut *2. Cor. 6. ℣. 3.* non vituperetur Miniſterium noſtrum; ſed in omni-

omnibus exhibeamus nosmetipſos ſicut Miniſtros DEI, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis.

Io.12.℣.26. VI. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, &c. ubi ſum ego, illic & Miniſter meus erit.

2.Cor.5. ℣.18. VII. Omnia autem ex DEO, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis.

1.Cor.4. ℣.1. VIII. Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum ejus.

1.Tim.3. ℣.2. IX. Oportet ergo Epiſcopum (quidni & alium quemvis Sacerdotem?) irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſuæ domui bene præpoſitum, filios (ſaltem ſpirituales) habentem Subditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ DEI diligentiam habebit?

Hebr.7. ℣.26. X. Talis enim decebat (& etiamnum decet) ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à Peccatoribus, excelſior cælis factus, qui non habet neceſſitatem quotidie priùs pro ſe hoſtias offerre, deinde pro Populo.

Malach.2. ℣.7. XI. Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.

Cant.5. ℣.12. XII. Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima.

Io.10.℣.11. XIII. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor, & cujus oves non ſunt propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oves.

Act.20. ℣.28. XIV. Attendite vobis, & univerſo Gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos (& Paſtores) regere Eccleſiam DEI, quam acquiſivit ſanguine ſuo.

2.Tim.2. ℣.3. XV. Labora ſicut bonus miles Chriſti. Nemo militans DEO, implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.

Ibid. ℣.15. XVI. Sollicitè cura teipſum, probabilem exhibere DEO, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem Verbum veritatis. Profana autem & inaniloquia devita, multùm enim proficiunt ad impietatem.

1.Petr.5. ℣.2. XVII. Paſcite, qui in vobis eſt, Gregem, non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundùm DEUM, neque turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè, neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo.

Utilitas.

1.Reg.2. ℣.35. XVIII. Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus.

Judith.8. ℣.21. XIX. Et nunc Fratres mei, quoniam eſtis Presbyteri in Populo DEI, & ex vobis pendet anima eorum, ad eloquium veſtrum corda eorum erigite.

XX. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat, ut, quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. *Io.15.℣.16.*

Dignitas.

XXI. Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. *Dan.12. ℣.3.*

XXII. Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum. *1.Petr.2. ℣.9.*

XXIII. Tu es, Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem: qui deducis ad portas mortis, & reducis. *Sap.16. ℣.13.*

XXIV. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt DEUM, qui dedit talem poteſtatem hominibus. *Matth.9. ℣.8.*

XXV. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. *Luc.10. ℣.19.*

XXVI. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. *Zach.2. ℣.8.*

XXVII. In animâ tuâ time Dominum, & Sacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum, qui fecit te, & Miniſtros illius ne derelinquas: da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum, & purgationis. *Eccl.7. ℣.31.*

XXVIII. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. *Luc.10. ℣.16.*

XXIX. Presbytero humilia animam tuam. *Eccl.4. ℣.7.*

XXX. Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. *1.Tim.5. ℣.17.*

§. III.
EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. SAcerdos quaſi communis quidam omnium Pater eſt; dignum eſt igitur, ut omnium curam agat, omnibùſque provideat, ſicut & DEUS, cujus fungitur vice. *S. Chryſoſt. hom. 6. in 1. Tim. 2.*

II. Necdum horreſcis, quòd ad tale Miniſterium me nitebaris inducere? indutùmque ſordidis veſtibus, Sacerdotum inſerere dignitati, cùm talem Chriſtus à Conviventium Congregatione ſeparaverit? Splendore etiam vitæ, totum illuminantis orbem, fulgere debet animus Sacerdotis. *Idem l. 6. de Sacerd.*

III. Tantùm intereſſe debet inter Sacerdotem, & quemlibet virum probum, quantùm inter cælum & terram diſcriminis eſt. Nihil petulans ac juvenile agere debet, verùm temperantem ubique, ac probè moderatam vitæ rationem præſeferre. *S. Iſidorus Peluſiota l. 2. ep. 205.*

IV. Cùm igitur nihil excellentius in hoc ſæculo Sacerdotibus, & cùm dignitatem eorum oculis demonſtramus, ut dignè noſcamus, quid ſumus; & quid ſumus profeſſione, actione potiùs, quàm nomine demonſtremus, ut actio reſpondeat nomini, & nomen cum operibus incidat. *S. Ambroſ. cap. 3. de Sacerd. dign.*

S. Auguſt. in c. 11. Iſ. V. O Sacerdotes, ſi Anima cujuslibet Juſti ſedes eſt DEI, multò magis ſedes & templum DEI vos eſſe debetis mundum & immaculatum.

Salvianus Maſſil. l. 2. ad Eccl. Cathol. VI. Cunctos, qui Sacri altaris ſuggeſtu eminent, tantùm excellere oportet merito, quantùm gradu & dignitate. Nihil enim in Mundo haberi poteſt indigniùs, quàm ſi quis ad bonorum faſtigia ſublimatus, mentis ſit infimis, quid enim eſt imperium meritis expers & vile? quid honorum proderit titulus, ubi ipſe defecerit homo? aut quid eſt dignitas indignis humeris impoſita, quam gemmæ moniliáque luto cœnóve ſuperſtrata?

S. Gregor. paſt. p. 2. c. 5. & ſeq. VII. Sit Sacerdos in cogitatione mundus, actione præcipuus, diſcretus in ſilentio, utilis in verbis, benignus in omnes, omnia conſiderans, humilitate bonorum ſocius, juſtitiæ zelo erga improbos ſeverus.

Utilitas.

S. Auguſt. ſuper 1. Tim 5. VIII. Presbyteri, qui benè præſunt vitâ & doctrinâ, digni habentur à Subditis duplici honore, ſcilicet ut ſpiritualiter eis obediant, & exteriora bona miniſtrent. Boni enim diſpenſatores & fideles non ſolùm honore ſublimi præmiari debent, ſed & terreno, ut non contriſtentur indigentiâ ſumptuum, & gaudeant obedientiâ ſpiritualium: inſtantior enim fit, ſi non humiliatur inopiâ, & creſcit in illo authoritas, cùm videt ſe etiam in præſenti laboris fructum percipere, non ut abundet, ſed ut non deficiat.

Gloſſ. ſuper prov. 11. IX. Qui animarum curam pro Domino ſuſcipit, ut errantes doceat, vel conſoletur mœſtos, vel temporalibus ſuſtentet, vel renitentes ad remedia ſalutis protrahat, vel Paſtore deſtitutos gubernet, ut ſecum plures ad Dominum perducat, ſapiens eſt, quia ſibi, ut ſublimius cum Domino regnet, procurat.

Dignitas.

S. Ign. ad Smyrn. X. Sacerdotium eſt ſumma bonorum omnium, quæ in hominibus conſiſtunt.

S. Ephr. ſ. 1. de Sacerd. XI. Sacerdos eſt miraculum ſtupendum, poteſtas ineffabilis, cælum attingit, cum Angelis verſatur, cum DEO familiariter agit.

S. Chryſoſt. l. 3 de Sacerd. c. 5. XII. Qui in terra verſantur, his commiſſum eſt, ut ea, quæ in cælis ſunt, diſpenſent; iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam DEUS optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm; id autem, quod dico, Sacerdotum vinculum ipſam etiam animam contingit, atque ad cælos uſque pervadit.

Idem ho. 5. in Iſ. XIII. Sacerdotium eſt ipſo etiam regnum venerabilius & majus. Medius ſtat Sacerdos inter DEUM & Naturam humanam: illinc venientia beneficia ad nos deferens, noſtras petitiones illuc perferens, & Dominum iratum reconcilians.

S. Clemens l. 2. c. 34. XIV. Quantò anima corpore præſtantior eſt, tantò eſt Sacerdotium regno excellentius: ſolvit enim, aut ligat, ſupplicio vel remiſſione dignos.

S. Chryſ. l. 3 de Sacerd. c. 5. XV. Sacerdotium in terris quidem peragitur, ſed in cæleſtium rerum claſſem ordinémque referendum eſt: atque id perquam meritò, quippe non mortalis quiſquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creatura, ſed ipſe divinus Paracletus Ordinem hujuſmodi diſpoſuit.

S. Proſper l. 2. de vit. act. c. 2. XVI. Ipſi ſunt Eccleſiæ decus, in quibus ampliùs fulget Eccleſia: ipſi janua Civitatis æternæ, per quos omnes, qui credunt in Chriſtum, ingrediuntur ad Chriſtum; ipſi Janitores, quibus datæ ſunt claves regni cælorum; ipſi etiam diſpenſatores regiæ domûs.

S. Ambroſ. c. 2. de dignit. Sacerd. XVII. Aurum non tam pretioſius eſt plumbo, quàm regiâ poteſtate altior eſt dignitas Sacerdotalis.

36. Idē c. 2. §. 7. diſt. 96. XVIII. Quis dubitet, Sacerdotes Chriſti Regum & Principum, omniúmque Fidelium Patres & Magiſtros cenſeri?

S. Ephrem de Sacerdotio. XIX. O poteſtas ineffabilis, quæ in nobis dignata eſt habitare per impoſitionem manuum ſacrorum Sacerdotium! O quàm magnam in ſe continet profunditatem formidabile, admirabile Sacerdotium.

Caſſian. in Catal. glor. XX. O Sacerdos DEI, ſi altitudinem cœli contempleris, altior es; ſi pulchritudinem Solis, & Lunæ, & Stellarum, pulchrior es; ſi diſcretionem Angelorum, diſcretior es; ſi omnium Dominorum ſublimitatem, ſublimior es, ſolo DEO & Creatore tuo inferior es.

S. Auguſt. hom. 2. in Pſ 37. XXI. Verè veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus DEI Filius, velut in utero Matris incarnatur.

S. Chryſoſt. hom. 15. in Matth. XXII. Omnium quidem bonorum magna eſt gratiâ; inter omnes autem maxima eſt Sacerdotalis dignitas, ſi quis eam immaculatè cuſtodiat.

S. Dionyſ. c. 1. de Eccl. Hier. XXIII. Ut enim, qui Sacerdotium dixit, ſacrorum ſimul omnium uno vocabulo ſignificavit Ordinem; ita & qui Sacerdotem & Pontificem dixit, auguſtiorem, prorſúsque divinum inſinuat virum, totius ſanctæ conſcientiæ peritiſſimum, in quo liquidò ac perſpicuè ſacratus omnis Ordo ſuus & perſpectus ſit, & poſſit agnoſci.

Æquitas

Honoris Sacerdotibus exhibiti.

S. Clemens l. 7 Conſt. Apoſt. c. 32. XXIV. Honorate Sacerdotes ut Patres, & Dominos; ut beneficos, & benevivendi Authores.

S. Ign. M. l. 2. Epiſt. 14. XXV. Honorate Sacerdotium ſecundùm Chriſtum, & pòſt etiam honorate oportet Regem. Sacerdotium enim eſt ſumma omnium bonorum, quæ in hominibus exiſtunt.

S. Gregor. in ep. ad Mauric. Imper. XXVI. Sacerdotibus non ex terrena poteſtate Dominus noſter citiùs indignetur: ſed excellenti conſideratione propter eum, cujus ſervi

ſervi ſunt, ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat.

S. Chryſoſt. l. 3. de Sacerd. XXVII. Sacerdotes meritò non modò plùs vereri debemus, quàm vel Principes, vel Reges, verùm etiam majore honore, quàm Parentes proprios honeſtare.

S. Clemens Conſtit. Ap. l. 2. c. 33. XXVIII. Si de Parentibus carnalibus ait Scriptura; Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut benè tibi ſit; quique maledixerit Patri aut Matri, morte moriatur; quantò magis de Patribus ſpiritualibus, verbis DEI monemur, honore & caritate eos proſequi ut beneficos, & ad DEUM legatos.

Nicol. Papa ad Mich. Imp. l. 1. 9. cap. eod. XXIX. Ergo Imperator conſidera, ſi (DEUS) illos dixit audiendos, qui ſuper cathedram Moyſis ſedebant: quantò potiùs, qui ſuper cathedram Petri ſedent, eſſe exiſtimes obediendos.

S. Chryſoſt. hom 17. in Matth. XXX. Sacerdotes Chriſti Vicarij ſunt; & qui honorat Sacerdotem Chriſti, honorat Chriſtum: & qui injuriat Sacerdotem Chriſti, injuriat Chriſtum, cujus eſt Vicarius & Sacerdos.

Nicol. Papa diſt. 96 c. 8. XXXI. Si de Domini Sacerdotibus, qui verè Patres ſunt, aliquid contigerit vos audire, quod confuſionem piis mentibus ingerat, non infrunitum, ſed pudoratos Filios Noë imitantes, paternam de reliquo verecundiam contegatis, ut affluenti, quemadmodum & illi benedictione repleri, moderante Domino mereamini.

S. Gregor. l. 12. ep. 31. ad Felic. XXXII. Si David Regum juſtiſſimus in Saul, quem conſtabat jam à DEO reprobatum & abjectum eſſe, manum mittere non præſumpſit; quantò magis cavendum eſt, ne manum detractionis, vituperationis, aut calumniæ in Sacerdotes, qui ſunt uncti Domini, mittamus?

S. Anaſtaſ. Sinaita. ſ. de com. XXXIII. Rogo vos, neminem judicate, præcipuè autem Domini Sacerdotem; ſed vivâ fide, purâ conſcientiâ, & efficaci pœnitentiâ ad myſteria DEI accedite, atque ita ſanctificabimini; eſt enim DEI Angelus ſeu Nuntius, qui offert incruentum Sacrificium.

Anterus Pap. 11. q. 3. c. eod. XXXIV. Abſit, ut quidquam ſiniſtrum de illis arbitremur, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt; quorum induſtriâ facti ſumus Chriſtiani, quique claves regni cælorum habentes ante diem Judicij quodammodo judicant.

S. Hieron. Epiſt. 1. ad Heliod. XXXV. Vita illius laudanda eſt, qui venerationi habet Sacerdotes Chriſti, & non detrahit gradui, per quem factus eſt Chriſtianus.

Fabian. Pap 2. q. 7. c. eidem. XXXVI. Sacerdotes, quos Dominus ſuos eſſe voluit, non ſunt leviter tractandi, nec lacerandi, vel temerè accuſandi, quoniam eorum cauſas ſibi Dominus reſervare voluit, & ſuo judicio vindicare.

Teleſphorus Pap. 6. q 1. c. eod XXXVII. Omnes, qui adverſus Patres, id eſt, Sacerdotes armantur, infames eſſe cenſemus.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas.

I. Attende tibi, & vide, cujus Miniſterium tibi traditum eſt per impoſitionem manûs Epiſcopi. Ecce Sacerdos factus es, & ad celebrandum conſecratus; vide nunc, ut fideliter & devotè in ſuo tempore DEO Sacrificium offeras, & teipſum irreprehenſibilem exhibeas. Non alleviaſti onus tuum, ſed arctiori jam alligatus es vinculo diſciplinæ, & ad majorem teneris perfectionem. *l. 4. c. 5. §. 2.*

II. Sacerdos omnibus virtutibus debet eſſe ornatus, & aliis bonæ vitæ exemplum præbere. Ejus converſatio non cum popularibus & communibus hominum viis, ſed cum Angelis in cælo, aut cum perfectis viris in terra. *Ibid.*

III. Sacerdos ſacris veſtibus indutus Chriſti vices gerit, ut DEUM pro ſe & pro omni Populo ſuppliciter & humiliter exoret. Habet ante ſe & retrò Dominicæ Crucis ſignum ad memorandam jugiter Chriſti paſſionem. Ante ſe Crucem in Caſula portat, ut Chriſti veſtigia diligenter inſpiciat, & ſequi ferventer ſtudeat. Poſt ſe Cruce ſignatus eſt, ut adverſa quælibet ab aliis illata clementer pro DEO toleret. Ante ſe Crucem gerit, ut propria peccata lugeat. Poſt ſe, ut aliorum etiam commiſſa per compaſſionem defleat, & ſe medium inter DEUM & Peccatorem conſtitutum eſſe ſciat, nec ab oratione & oblatione ſancta torpeſcat, donec gratiam & miſericordiam impetrare mereatur. *Ibid. §. 3.*

IV. O quàm mundæ debent eſſe manus illæ, quàm purum os, quàm ſanctum corpus, quàm immaculatum cor erit Sacerdotis, ad quem toties ingreditur auctor puritatis. Ex ore Sacerdotis nihil niſi honeſtum & utile procedere debet verbum, qui tam ſæpe Chriſti accipit Sacramentum. Oculi ejus ſimplices & pudici, qui Chriſti corpus ſolent intueri. Manus puræ & in cælum elevatæ, quæ Creatorem cæli & terræ ſolent contrectare. Sacerdotibus ſpecialiter in lege dicitur: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum Dominus DEUS veſter. *l. 4. c. 11. §. 6. & 7.*

Dignitas.

V. Grande myſterium, & magna dignitas Sacerdotum, quibus datum eſt, quod Angelis non eſt conceſſum. Soli namque Sacerdotes ritè in Eccleſia ordinati, poteſtatem habent celebrandi, & corpus Chriſti conſecrandi. *l. 4. c. 5. §. 1.*

VI. O quàm magnum & honorabile eſt officium Sacerdotum, quibus datum eſt Dominum Majeſtatis verbis ſacris conſecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio ſumere, & cæteris miniſtrare. *l. 4. c. 11. §. 6.*

§. V.

EXEMPLA.

Theodor. q. 23. in Num.

I. DEUS, ut oſtenderet, quanta ſit dignitas Sacerdotis, Aaronem ſummum Sacerdotem, etiamſi idem cum Maria ſorore peccatum commiſerit, non tamen eâdem pœnâ punivit, ſed ſatis habuit, per ſororem leprâ percuſſam caſtigare. Sed & in lege juſſit pro ſuo peccato vitulum ſaginatum à Sacerdote offerri, quod ſacrificij genus, nunquam aliàs, niſi quando totus Populus peccavit, exegit, ut oſtenderet, Sacerdotem toto Populo Superiorem eſſe.

Idem q. 1. in Levit.

l. 3. ep. 9. diſt. 93. c. eod.

II. Chriſtus, ut S. Cyprianus teſtatur, uſque ad Paſſionis diem ſervavit honorem Pontificibus & Sacerdotibus, quamvis illi nec timorem DEI, nec agnitionem Chriſti ſervâſſent. Hinc & ſilentium in totâ ſuâ paſſione ad accuſationes licet falſiſſimas ſervavit, excepto caſu, quo parùm honorificè & reverenter Sacerdoti ſummo reſpondiſſe arguebatur.

Io. 18. v. 23.

Hiſt. gent. Angl. l. 1. c. 26.

III. De Sacerdotibus & Monachis primitivæ Eccleſiæ Anglicanæ Ven. Beda ſcribit: Tanta tunc fuit ſollicitudo Doctoribus illis DEO ſerviendi, non ſæculo, totâ curâ cordis excolendi, non ventris, unde & in magna veneratione tempore illo religionis habitus, ita ut ubicunque Clericus aliquis aut Monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tanquam DEI Famulus reciperetur. Et ſi in itinere pergens inveniretur, accurrebant, & flexâ cervice, & manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant. Verbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum præbebant. Quòd ſi quis Sacerdotum in Vicum fortè deveniret, mox congregati in unum vicini, verbum vitæ ab illo expetere curabant.

Act. 23. v. 5.

IV. S. Paulus olim accuſatus, quòd Sacerdotem debito honore non affeciſſet, protinùs crimen hoc à ſe propulſavit, dicens: Neſciebam, Fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum.

In vitâ.

V. S. Antonius ipſos Sacerdotes, teſte S. Athanaſio, in ſummâ veneratione habuiſſe dicitur, ſolitúſque eiſdem caput ſubmittere, benedictionem captare, & pro magno beneficio ducere, ſi accepiſſet.

S. Bonav. in vita. c. 4.

VI. S. Franciſcus dicere ſolebat, ſe, ſi cui Sanctorum in terram lapſo, & ſimul etiam Sacerdoti occurreret, priùs Sacerdotis manum ad oſculum expetiturum, deinde primùm reverentiam Sancto facturum. Sed & indignum ſe judicans tanto honore, ſolo Diaconatu, quoad vixit, contentus fuit.

Marulus l. 3. c. 11.

Severus l. 2. vit.

VII. S. Martinus ab Imperatore maximo ad prandium vocatus, arreptam pateram priùs Sacerdoti, quem ſecum duxerat, quàm Imperatori, tanquam magis digno propinavit. Eidem cùm aliquando Valentinianus Imperator ad ſe venienti non aſſurrexiſſet, atque etiam rem petitam ſiluratus negâſſet, ſubitò flamma ex ſede erumpens vel invitum ſurgere, &, quod petitum erat, concedere coëgit.

Marulus l. 3. c. 5.

Ped. Chriſt. p. 1. c. 6. §. 4. n. 4.

VIII. Conſtantinus Imperator tanto honore proſequebatur Sacerdotes, ut diceret, ſe, ſi Sacerdotem cum muliere publicè peccantem videret, propriis eum veſtibus tecturum. Idem integrum libellum calumniis contra Epiſcopos & Sacerdotes refertum accepit quidem, ſed mox non lectum comburi juſſit, indecorum aſſerens, ut, qui judicari ab aliis debeat, ipſos judicet.

Ibid. n. 5.

IX. B. Maria Ogniacenſis veſtigia Sacerdotum ſummâ demiſſione & reverentiâ deoſculabatur.

Surius to. 5. c. 5. vit.

X. S. Hedwigis Poloniæ Dux, quàm plurimos poterat, Sacerdotes ad S. Miſſæ officia celebranda conducebat; quos deinde ut manus capiti ſuo imponerent, & benè precarentur, rogabat, aſſerens, ſæpè id ſibi tam quoad animam, quàm quoad corpus fuiſſe ſalutare.

Nadaſi in anno Angel. hebd. 23. n. 8.

XI. Dequaezus S. Franciſci Saleſij Confeſſarius cùm S. Angelo ſuo Cuſtodi ſecum viſibiliter ingredienti & egredienti honorem primum detuliſſet; poſtquam tamen Sacerdos factus eſt, ſemper ipſe præcedere Angelum juſſus eſt.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Vita l. 2. c. 11.

I. S. Ignatius Sacerdotio jam decoratus integrum anni ſpatium ad ſe magis colligendum ſumpſit, animúmque præparandum, ut auguſtiſſimum JESU Chriſti Domini noſtri corpus, vivam; verámque pro peccatis noſtris hoſtiam, puriùs DEO Patri offerret in odorem ſuavitatis.

Vita l. 1. c. 6.

l. 3. c. 13.

II. S. Franciſcus Xaverius, quantâ maximâ potuit, curâ animum ad primum ſacrum offerendum præparavit. Inter alia Præcepta Sociis Comorinenſibus data, ſingulariter illos admonebat, ut indigenis Sacerdotibus enixè piis in rebus faverent, eoſdémque ad frequenter expianda peccata, & rem divinam faciendam pellicerent. Caverent, ne quidquam cuiquam, quod illorum æſtimationem lædere videretur, narrarent, ſcriberéntve, præterquam ei, qui remedium, ſi, quando res poſceret, afferre poſſet, ut videlicet Sacerdotum vitia is ſciret unus, qui poſſet etiam curare. Præpoſitorum verò ſummam in eo requirebat cautionem, ut ne temerè quoslibet initiatos vellent ſacris, ſed viros tantùm fide ac virtute diu ſpectatâ, prudentiáque, & doctrinâ ſaltem mediocri; hiſce enim præſidiis Societatis Sacerdotes, ut ex inſtituto vivant, ſine magno periculo carere non poſſe.

l. 6. c. 14.

Vit. l. 2. c. 1.

III. S. Franciſcus Borgias ne Ordine Presbyteratûs indignus videretur, orare in dies DEUM, corpúſque caſtigare ſolitus erat; nec enim ignorabat, ad illa adyta illotis manibus irrumpere, ſacrilegio affine crimen eſſe.

IV. P.

Vit. c. 6. IV. P. Balthaſar Alvarez poſtquam Sacerdos factus eſt, eo titulo cœpit magis adhuc in devotione creſcere, & in familiari cum ipſo DEO congreſſu, ad cujus menſam quotidie admittebatur.

Vit. l. 1. c. 4. V. P. Ludovicus de Ponte ad Sacerdotium ritè ſuſcipiendum, menſtruâ divinarum rerum commentatione ſtudioſiſſimè ſe paravit.

Annua 1610. Prov. Sic. Coll. Neap. f. 31. VI. Joannes Petrus Aliſius honeſto loco natus, & communium literarum cognitione haudquaquam deſtitutus erat; ob quam cauſam etiam conſentiente P. Generale Sacris initiari potuiſſet, niſi tanto muneri imparem ſe ratus antiquius habuiſſet rei familiaris miniſterium.

Ibid. Prov. Mex. Dom. Prof. Mex f. 339. VII. Dominicus Nicolaus eâ excelluit modeſtiâ, tantámque habuit de gradu Sacerdotij æſtimationem, ut neque ingenij, quâ erat prædirus, perſpicaciâ, latinæque linguæ intelligentiâ, neque multorum monitis, aut ipſius denique Præpoſiti Generalis literis perſuaderi ſe permiſerit, ut Sacerdotium ſuſciperet.

Ann. 1613. Prov Luſit Dom. Prof. Olyſſ. f. 735. VIII. Bartholomæus Alvarus Japoniis laboribus deſtinatus, & ab Antiſtite Sebaſtiano Morales in Sacerdotem ſelectus, amplexus laborem, honorem conſtantiſſimè remiſit.

§. VII.

EXEMPLA PROFANA.

Gen. 47. v. 21. I. PHarao Rex Ægypti etſi cunctos Populos à noviſſimis terminis Ægypti uſque ad extremos fines ejus ſubjeciſſet ſibi, terram tamen, quam Sacerdotibus dederat, exemptam voluit.

In reg. Monach. II. S. Hieronymus tradit, Ægyptiorum Sacerdotes ab omni ſeculari negono ac turbis liberos, in templis ac fanis ſemper eſſe commoratos, cælorum & aſtrorum motui contemplando ſemper intentos, ab omni mulierum conſortio remotos: dum verò cultui divino vacarent, Diiſque miniſtrarent, à carne & vino abſtinuiſſe, pudicitiam unà cum ſobrietate inviolatè ſervando.

Alex. ab Alexandr. l. 2. III. Megalobyzus Dianæ Epheſiæ Sacrificulus ſemper Eunuchus eſſe debebat, quia nefas credebant, Deæ pudoris Præſidi laſcivum & ſalacem deſervire.

Textor in offic. l. 1. c. 5 IV. Cybeles Sacerdotes membrum genitale ſibi quodam lapide abſcindebant, ut caſti viverent. Alij Athenis bibebant cicutam, ut vim genitalis membri amitterent. Mulieres verò initiaturæ lectos ſibi è urticis foliis ſubſternebant.

§. VIII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Fab. conc. 7 in Dom. 4. poſt Pent. I. SIcut Imperator palatium, in quo fixam habet ſedem, ſplendidiſſimè exornatum habet, in aliis autem locis, ubi tantùm in tranſitu hoſpitatur, leviorem ornatum requirit; ita DEUS vult Sacerdotes, in quibus quotidie habitat, ſplendidiſſimis virtutibus exornari; minorem verò ornatum à Laicis, in quibus rariùs hoſpitatur, requirit.

Palaeotus p. 7. ſer. 10 ad Cler. II. Sicut in Familia bene conſtitutâ nullus eſſe debet, qui officiis vacet, ut Veteres dicebant; ita in DEI gubernatione nullus ſuſtinetur otioſus: nullus, qui conſertis manibus ſedere debeat juxta illud Servatoris noſtri: Poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.

Ibid. III. Sicut in arbore non ſatis eſt, ſi in uno tantùm aut altero ramo fructus hi proveniant, ſed undique eum pomis contectum & onuſtum, & præ pondere inclinatum ſpectare oportet; ita Sacerdotes nequaquam muneri ſuo ſatisfaciunt, ſi aliquo tantùm tempore, aut aliquâ tantùm in re miniſterium ſuum ritè obeant, ſed, ut Apoſtolus ait, per omnia placentes, & in omni bono fructificantes eſſe oportet.

Neceſſitas.

S. Gregor. p. 2. Paſt. c. 3. IV. Sicut caput & oculi, qui greſſibus noſtris præſunt, & vias noſtras dirigunt, ſemper contendunt, ut illud erectum ſit, hi vigilent, & excubias agant; idque niſi fiat, pedes deviant & errant, & corpus univerſum periculo caſûs expoſitum eſt; ita niſi Sacerdotes, qui caput & oculi ſunt corporis myſtici, erecti & vigilantes ſint, facilè Populus ipſis commiſſus de via deflectit, & devium iter ingreditur non ſine manifeſto vitæ periculo.

S. Chryſ. hom. 47. V. Sicut ſi pars aliqua domus fuerit corrupta, facilis eſt reparatio; quando autem ipſum fundamentum quaſſatum eſt, non niſi labore & ſumptu maximo error hic corrigitur; ita ſi Populi peccaverint, facilè per pœnitentiam & Sacerdotum ſollicitam caritatem corriguntur; ſecùs verò accidit, ſi ipſi Sacerdotes velut fundamenta ſpiritualis ædificij labefactati corruerint.

Labata, tit. Sacerdos. propoſ. 4. VI. Sicut Navis eò pergit, quò Gubernator gubernaculum tenens eam impellit; ita Populus eò tendit, quò Sacerdos dirigit.

Utilitas.

Gen. 30. v. 37. VII. Sicut Oves Jacobo Patriarchæ commiſſæ tales habuerunt colores, quales in virgis, quas Canalibus ipſe impoſuerat, conſpexerunt; ita tales Populus mores aſſumet, quales in Sacerdotibus curam ipſius gerentibus conſpexerit.

S. Chryſoſt. ho. 58. in Matt. VIII. Sicut Stomachus accipiens cibum coquit in ſeipſo, & per totum corpus diſpergit; ſic & Sacerdotes accipiunt ſcientiam ſermonis per Scripturam à DEO, & eam in ſe excoquentes, id eſt, tractantes & meditantes apud ſe, univerſo Populo miniſtrant.

S. Ambroſ. ſer. 13. IX. Sicut Apes de divinarum Scripturarum floſculis ſuavia mella conficiunt; ita Sacerdotes, quidquid pertinet ad medicinam animarum, oris ſui arte componunt.

Dignitas.

Lancic. p. 2. opuſc. 13. c. 3. n. 195. X. Sicut ſi Rex Aulico cuipiam ſigillum ſuum pro libitu uſurpandum offerret, magna huic Aulico gratia, dignitáſque à Rege oblata crederetur; ita cùm DEUS characterem & poteſtatem abſolvendi & conſecrandi pro beneplacito ſuo exercendam dederit, meritò ſumma ei dignitas gratiáque obtigiſſe creditur.

§. IX.
MOTIVA.
Ad Statum Sacerdotalem dignè ſuſcipiendum, & conſervandum.

S. Ambroſ. l. 1. epiſt. 6.

I. D*Ignitas* Statûs Sacerdotalis; quod motivum S. Ambroſius ſequentibus verbis indicavit: ſeparavit DEUS Sacerdotes à Populo, & præcepit Moyſi, ut montem cum Sacerdotibus aſcenderet, Populus autem deorſum ſtaret. Vides diviſionem? nihil in Sacerdotibus plebejum requiri, nihil populare, nihilque commune cum ſtudio & uſu, & moribus multitudinis inconditæ, ſobriam à turbis gravitatem, ſeriam vitam, ſingulare pondus dignitas ſibi vendicat Sacerdotalis; quomodo enim poteſt à Populo obſervari, qui nihil habet ſecretum à Populo & à multitudine diſpar? quid in te miretur, ſi ſua in te recognoſcat? ſi nihil in te aſpiciat, quod ultra ſe inveniat?

S. Chryſoſt. l. 4. de Sacerd.

II. *Neceſſitas:* nam, ut ſapienter advertit S. Chryſoſtomus, non eſt nobis ſpecies una parata, ſed bellum nobis varium ac multiplex propoſitum, variis multiplicibúſque Adverſariis conſtans, nec omnibus eodem armorum genere utentibus, nec eodem nos ſtratagemate oppugnantibus: quamobrem qui eoſdem expugnare, & retundere geſtit, omnes eorum artes & technas percalleat, neceſſe eſt, inque omni conflictûs genere ſit verſatiſſimus. Periclitatur quippe (ut S. Bernardus dixit, Sacerdotis caſtitas in deliciis, humilitas in honoribus, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, & caritas in hoc nequam ſeculo. Hinc rectè S. Auguſtinus dixit: Nihil eſt in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi officio.

De cõverſ. ad Cleric. c. 30. — *Epiſt. 148. ad Valer.*

In orat. cont. Timocrat.

III. *Æquitas:* ſi enim de Idolorum Sacerdotibus dicebat Demoſthenes: Equidem arbitror, eum oportere, qui ſit templum ingreſſurus, & vaſa ſacra ac caniſtra tractaturus, & rerum ad Deos ſpectantium curam habiturus, non certorum duntaxat dierum numero, ſed per totam vitam purè vivere: ideóque nec caprâ veſci, nec hederam tangere ijs licebat, quia libidinis ſunt ſymbolum. Sic etiam Sacerdotibus antiqui Teſtamenti dictum eſt: Mundamini, qui fertis vaſa Domini: quantò magis à Sacerdotibus novi Teſtamenti ſumma ſanctitas puritáſque requiretur?

Iſa. 52. v. 11.

Hom. 10. in Matt.

IV. *Arduitas:* nam Sacerdotes, teſte S. Chryſoſtomo, ſunt muri Eccleſiæ; ſicut ergo muri præ reliquis urbis partibus impetum hoſtium ſuſtinere, ideóque bene ſolidi & muniri eſſe debent; ita & Sacerdotes in virtute & ſanctitate bene fundatos eſſe oportet, ut Ethnicorum & Hæreticorum impetum ſuſtinere queant. Imò alibi idem Sanctus dicere auſus eſt, Monachorum quidem multum & ingens certamen eſſe, ſed qui volet ejus inſtituti Sudores cum Sacerdotij adminiſtratione conferre, tantum inter illa duo diſcrimen reperturum, quantum inter privatum & Regem intervallum.

l. 6. de Sacerd.

Super Ezech. l. 2.

V. *Gravitas* ruinæ Sacerdotum malorum; quam S. Hieronymus clarè ſequentibus verbis expreſſit: Grandis dignitas Sacerdotum, ſed grandis ruina, ſi peccant. Lætamur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum. Non eſt tanti gaudij excelſa tenuiſſe, quanti mœroris, de ſublimioribus corruiſſe: nec enim ſolùm pro noſtris delictis rationem, ſed pro omnium, quorum abutimur donis, & nequaquam ſumus de eorum ſalute ſolliciti DEO reddere cogemur. Hinc S. Gregorius adſtipulatus ait: Nos, qui Sacerdotes vocamur, ſupra ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & jacentes videmus: nunc enim ſubjectus moritur ſine te, quando in cauſa mortis te Contradictorem pertulerit; nam morti, cui non contradicis, adjungeris. Duplici ergo, juxta Granatenſem, titulo rei erunt, ſi officio ſuo deſint: alteto, quòd legem DEI violant, altero, quòd gratis panem ſuum manducantes alieno ſanguine paſcuntur. Ob hanc cauſam Beſſeus ait, non ſolere DEUM peccata Populi graviùs plectere, quàm per ruinam Sacerdotum, facere enim tunc, quod fecit Samſon, qui concuſſis fortiter columnis domûs, in quâ Principes & Populus epulabantur, eâdem ruinâ omnes alios ſecum involvit. Addit S. Gregorius: Major metuenda eſt locis illis calamitas, ubi tales Interceſſores (mali Sacerdotes) ad locum regiminis adducuntur, qui DEI in ſe iracundiam magis provocant, quam per ſemetipſos placare debuerant. Ut meritò S. Bonaventura in hanc lamentationem proruperit: Heu, heu, heu, Domine DEUS, egreſſa eſt de Senibus iniquitas, è Judicibus ſcilicet ſenioribus, qui populum tuum regere videbantur. Heu Domine, ipſi ſunt in perſecutione tua primi, qui videntur in Eccleſia tua primatum diligere, & regere principatum.

Hom. 11. ſup. Ezech. — *In Silva loc. com. tit. Cleric.* — *l. 3. regal. Sacerd. c. 16.* — *Apud Beſſ. l. c. c. 14.* — *Ibid.*

§. X.
MEDIA.
Ad Sacerdotalem dignitatem dignè ſuſtinendam.

l. de dign. Sacerd. c. 2.

I. Æ*Stimatio* magna de beneficio vocationis ad hunc Statum; dignum quippe eſt, inquit S. Ambroſius, ut dignitas Sacerdotalis priùs cognoſcatur à nobis, deinde ſervetur à nobis, ut Pſalmographi ſententia queat repelli à nobis: Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

part. 9. ſ. 1. ad Cleric.

II. *Fiducia* magna in vocationis gratiâ: ad quam egregiè hortatur Cardinalis Palæottus; dum ait: Poſitum eſt in unoquoque veſtrûm omnia cum DEI auxilio præſtare: non enim is eſt DEUS, qui à ſe vocatos, & ad aliquod munus perfungendum delectos deſerat, aut ope ſua in medio curſu deſtituat; ſed quos vocat, eoſdem ingenti gratiarum theſauro ſic ditat, ut commodè explere queant, quæcunque in eodem injuncto munere antea difficilia ac penè impoſſibilia eſſe videbantur. Permagnum eſt, fatemur, Sacerdotem pro rei dignitate, ac ſacrarum legum præſcriptione ſe gerere; ve-

rùm multò maiora ſunt dona optima & perfectiſſima, quæ à Patre luminum in eorũ Sacerdorum animos inſtillantur, qui DEO in ſinceritate cordis, fidei veritate, ac vitæ, morúmque puritate inſervire ſtudent.

L. de Cain & Abel c. 3. III. *Mortificatio* & generoſa debellatio paſſionum & affectionum inordinatarum ad peccatum trahentium: nam, ut S. Ambroſius ait, cùm interficitur impius, Chriſtus infunditur. Et ubi abominatio aboletur, ſanctificatio congregatur. Quia dominus dixit; in eâ die, quâ interfecero omne primogenitum Ægypti, ſanctificabo mihi omne primogenitum Iſraël.

In proœm. IV. *Fuga* occaſionum peccandi, maximè converſationis non neceſſariæ aut incautæ cum muliebri ſexu; nam ut rectè Beſſeus dixit, ſicut vitra ſimul conſtipata geſtari nequeunt, quin collidantur: & fructus etiam integerrimi inter ſe conſerti deſtruuntur, & computreſcunt; ita non erit abſque periculo corruptionis Sacerdos, qui per nimiam familiaritatem cum externis ſæpe colliditur. Fugam amet, neceſſe eſt, ſi cum Joſepho caſtus, fidelis Domino, & Proximam à DEO dignitatem Sacerdotij impetrare, & dignè conſervare cupit.

Hiſt. Soc. p. 1. l. 3. n. 30. V. *Colloquium* piorum frequens uſus: ita P. Petrus Faber ſuadebat, cunctis in hoſpitiis ac diverſoriis non modò ſtatim in congreſſu ex præcepto Chriſti pacem Hoſpiti dandam, ſed etiam pietatem palàm liberè profitendam, tum pijs de DEO ſermonibus inferendis, tum Religionis apertè colendis officiis, ut Religioſi viri, dum ita famæ ſerviunt, cætetúſque à flagitio ſuæ probitatis opinione coërcent, eâdem operâ & pudori ſuo conſulant, & alieno. Nihil enim nos ita continet in officio, ut edita jam virtutis exempla: nihil ita petulantiam hominum frangit, reprimit impudentiam, cupiditates minuit, ut ſobrij hominis & temperantis aſpectus.

Io. 15. v. 4. VI. Magna cum DEO *Conjunctio*; ita enim Chriſtus ſuaſit dicens: Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Hinc S. Ignatius à ſuis Filiis tam *p. 10. Conſt. §. 2.* ſollicitè ſemper requiſivit, ut media illa præ aliis arriperent, quæ cum DEO inſtrumentum conjungunt, ac diſponunt, ut à divina manu rectè gubernetur, qualia ſunt probitas ac virtus, ac præcipuè Caritas, & pura intentio divini ſervitij, & familiaritas cum DEO in ſpiritualibus devotionis exercitiis, & Zelus ſincerus animarum, ad gloriam ejus, qui eas creavit, ac redemit, quovis alio emolumento poſthabito.

§. XI.

ASCETICA.

I. AD quinque ferè capita reduci poſſunt, quæ de præcellenti hoc Sacerdotum Statu ſcite debet Aſceta, aliiſque inculcare.

Lud. Abelam in Sac. Chriſt. p. 1. c. 3. II. Primum eſt, *ut Vocatio ad eundem ſollicitè ac prudenter inquiratur*: intelligitur autem hoc loco *Vocationis* nomine nihil aliud, quàm diſpoſitio divinæ providentiæ, quâ pro ſuo beneplacito quoſdam homines ſeligit, & ſegregat ad opus Miniſterij divini, ipſiſque qualitates & gratias ad id neceſſarias elargitur: Unde patet ex tribus potiſſimùm indiciis colligi poſſe vocationem. 1. Ex *impulſione divinâ*: ſi ſcilicet poſt orationem crebram, aliáque pia opera (eo fine, ut DEUS manifeſtet voluntatem ſuam) præmiſſa, bono fine (qualis eſt DEI gloria major, propria & aliena Salus & perfectio: non autem laboris fuga, ſpes quæſtûs, honoris aucupatio, reſpectus humanus &c.) ad hunc Statum impelli ſe ſentiat. 2. *Diſpoſitione naturali*: ſi videlicet mediis ad hunc Statum neceſſariis (qualia ſunt, carentia irregularitatis aut Canonici alterius impedimenti, doctrina ſufficiens, vita irreprehenſibilis, donum continentiæ, & ſimilia) ſufficienter inſtructum ſe advertat. 3. *Approbatione humanâ*: eorum maximè, quos DEI loco veneramur (uti ſunt Epiſcopus, Patres Spirituales, Confeſſarij) quæ tunc ſaltem non modicè ad vocationem certiùs cognoſcendam conducit, quando ex prioribus duobus indiciis non evidenter certitudo vocationis cognoſcitur; cùm enim, teſte S. Gregorio, ſæpe *p. 1. paſt. c. 9.* mens ſibi de ſeipſa mentiatur, & fingat ſe de bono opere amare, quod non amat; & de mundi gloriâ non amare, quod amat; meritò ad mendacium hoc evitandum, aliena requiruntur conſilia, illúdque Salomonis hoc in negotio præ oculis habetur: Habe fiduciam in *Prov. 3. v. 5.* Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.

III. Alterum eſt, *ut eadem Vocatio legitimè ſuſcipiatur*: ad quod tria neceſſaria ſunt. 1. Ut *Luc. 5. v. 11.* cum *debita celeritate* arripiatur, ad imitationem Apoſtolorum, qui à Chriſto vocati, ſtatim relictis omnibus ſecuti ſunt illum. 2. *Cum debita intentione*: ne ſcilicet fini bono & ſupernaturali, profanus atque terreſtris, velut principalis adjungatur; ſic enim & alter finis bonus vitiaretur, cùm bonum non niſi ex integrâ causâ, malum autem ex quolibet defectu oriatur. 3. *Cum ampliſſima grati animi affectione*: prout ipſius beneficij magnitudo requirit. Certè in Sacerdotibus vel maximè locum habere credendum eſt, veriſſimum illud S. Bernardi effatum: Nihil ita diſplicet DEO, præſertim in Filiis gratiarum, quàm ingratitudo.

IV. Tertium eſt, *ut Scopus & perfectio vocationi præfixa ſufficienter intelligatur*: quæ in eo conſiſtit, ut munera omnia ad Sacerdotalem Statum pertinentia (qualia ſunt, officij divini recitatio, Sacrificij oblatio, &, ſi curam animarum habet, etiam prædicatio, ac Sacramentorum adminiſtratio) cum magna alacritate, diligentiâ, & cõſtantiâ obeat, ita ut de eo dici queat; quod Pater æternus de ſimilibus Operariis S. *Dial. c. 119.* Catharinæ Sen. dixit: Verè tales appellari poſſent alter Jeſus Crucifixus Unigenitus meus, ex eo,

quòd aſſumpſerint officium ejus. Ipſe venit velut Mediator, ut miſeriam auferret, & ita pacificaret hominem, & mihi reconciliaret, tolerando multa patienter; ita faciunt iſti cum deſiderio cruciato Sancto ſuo, qui Mediatores efficiuntur cum orationibus humilibus, cum verbis exhortationis, & ſuam vitam ſanctam proponunt omnibus in exemplum. Relucent in eis lapides pretioſi virtutum cum verâ patientiâ, ſupportando defectus aliorum. Iſti ſont hami, cum quibus capiunt animas. Aliàs verò eidem de ſimilibus Paſtoribus dicebat: Iſti erant veri Hortulani, qui ſollicitè cum ſancto Zelo ac timore DEI ſpinas peccatorum evellebant, plantando virtutum odoriferas in Eccleſia plantas: unde Subditi vivebant virtuosè cum ſancto timore, quotidie creſcentes velut odoriferi flores in corpore myſtico S. Matris Eccleſiæ.

V. Quartum eſt, *ut dignè æſtimetur talis vocatio*: inde enim non levis hauriernt ſtimulus ad eandem ſollicitè implendam. Porro hæc æſtimatio concipi poteſt ex triplici capite. 1. Ex *dignitate* hujus Statûs, quæ tanta eſt, ut Vaſquez non ſine fundamento ex ipſius S. Thomæ doctrinâ petito doceat, conſtitui poſſe virtutis habitum ab obſervantia communi diſtinctum, circa cultum Sacerdotum, quòd in eis ſpecialis ratio dignitatis alterius generis, quàm civilis. 2. Ex *poteſtate*: quod enim datum non eſt Angelis (inquit S. Auguſtinus) conceſſum eſt Hominibus. Sacerdos enim hoc ineffabile conficit myſterium, & Angeli conficienti quaſi Famuli aſſiſtunt. Super hoc tam inſigni privilegio ſtupet cælum, terra miratur, veretur homo, horret infernus, contremiſcit Diabolus, & veneratur quàm plurimùm Angelica celſitudo. Sed & de altera poteſtate, ſcilicet abſolvendi à peccatis loquens S. Chryſoſtomus ait: Quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnium rerum cæleſtium poteſtatem illis à DEO eſſe conceſſam? quorumcunque enim, ait, peccata retinueritis, retenta ſunt: quænam obſecro poteſtas hâc unâ major eſſe queat? 3. Ex *privilegiis* huic Statui conceſſis: qualia ſunt immunitas à vectigalibus, à cenſu, à Tutela, ſuſceptione militum, à tribunali Laicorum, & ut à nullo, niſi Superiore, ſine pœna excommunicationis, graviter quoad corpus lædi poſſint, id quod clarè Fabianus Papa indicavit dicens: Sacerdotes, quos Dominos ſuos eſſe voluit, non ſunt leviter tractandi, nec lacerandi, vel temerè accuſandi, quoniam eorum cauſas ſibi Dominus reſervare voluit, & ſuo judicio vindicare. Unde & ipſe Dominus, teſte Anacleto Pontifice, ſacri ſui corporis tractatores à vilibus ac reprobis, ac non idoneis Perſonis infamari noluit, nec calumniari permiſit, ſed ipſe proprio flagello Sacerdotes è templo ejecit.

l. 3. de ador. c. 1. n. 170.

In pſalm.

In illud quodcunq; ligaveritis &c.

2. q. 7. c. eod.

6. q. 1. c. eod.

VI. Quintum eſt, *ut eadem vocatio dignè impleatur*: juxta Apoſtoli monitum: Obſecro vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis. Ad hoc autem præſtandum duo requiruntur, nempe ut qualitates, & inſtrumenta ad functiones ſuas ritè obeundas neceſſaria ſtudiosè conquirat: & ut pericula, vocationis impletionem impedientia, fortiter ac generosè removeat.

Eph. 4. v. 1.

VII. Primum ergo horum caput quod attinet, tria præcipuè inſtrumenta neceſſaria ſunt Sacerdoti. 1. *Magna*, id eſt, ſufficiens *ſcientia*: ita inprimis DEUS indicavit, dum jam olim in Rationali judicii doctrinam & veritatem poni juſſit, ut eſſent in pectore Aaron: cæcos Sacerdotes à miniſterio repelli juſſit: præceptum æternum Leviticæ generationi poſuit, ut habeant ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum, doceantque Filios Iſraël omnia legitima ejus: & tandem Sacerdotibus ignorantibus per Oſeam dici juſſit: Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Eandem ſcientiam etiam non obſcurè requiſiverunt Apoſtoli & SS. Patres. S. Petrus enim Eccleſiæ Rectoribus ſcribens, parati, inquit, eſſe debetis rationem reddere omni poſcenti vos ad ſatisfactionem, de ea fide, quæ in vobis eſt. S. Paulus Timotheo ſcribens, attende, inquit, lectioni, exhortationi, & doctrinæ. S. Chryſoſtomus, boni Sacerdotis, inquit, converſatio ſine verbo, tenet quidem Sanctos in ſanctitate per ſuum exemplum, adducere autem ignorantem ad ſcientiam non poteſt. S. Iſidorus ait, elaborandum eſſe Sacerdotibus, ut ignorantiam à ſe quaſi peſtem abjiciant. S. Leo: ſi in Laicis vix tolerabilis videtur ignorantia, quantò magis in his, qui præſunt, nec excuſatione digna eſt, nec venia. Denique ejuſdem neceſſitatem, ipſa experientia, & damna ex illius defectu exorta, ſatis oſtendunt. Nam ipsâ Scripturâ teſte, propterea captivus ductus eſt Populus, quia non habuit ſcientiam. Et iterum: Speculatores ejus cæci omnes, neſcierunt univerſi, canes muti non valentes latrare, ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam; ideo omnes in viam ſuam declinaverunt, unuſquiſque ad avaritiam ſuam à ſummo uſque ad noviſſimum. Meritò ergo S. Auguſtinus Fratres ſuos alloquens ait: Eja ergo Fratres mei, qui Paſtores rationabilium ovium nuncupamini, feſtinate rapere non ſophiſmata paganorum, non carmina Poëtarum, non argutias Philoſophorum, de quibus tam Auditores, quàm Doctores reddituri aliquando ſunt rationem; ſed ſuavem illam Sapientiam Sapientiarum, ſeu Theologiam; hæc eſt enim Scientia Scientiarum, Angelorum ferculum, Archangelorum voluptas, Apoſtolorum gloria, Patriarcharum fiducia, Prophetarum ſpes, Martyrum corona, robur Virginum, Religioſorum refectio, Epiſcoporum vocatio, Sacerdotum cellarium, Infantium exordium, Viduarum Alphabetum, Conjugatorum pulchritudo, Mortuorum reſurrectio, æterna denique Viventium protectio.

Exod. 28. v. 30. *Levit. 21. v. 17.* *Levit. 10. v. 9.* *Oſea 4. v. 6.* *1. Petr. 3. v. 15.* *1. Timoth. 4. v. 13.* *Hom. 10. in Matt.* *Diſt. 37. c. ideo.* *Diſt. 38. c. eod.* *Iſ. 5. v. 13.* *Is. 56. v. 10.* *Ad FF. in erem. ep. 37.*

VIII. Secundum inſtrumentum Sacerdotis eſt *major Prudentia*: hinc Chriſtus Apoſtolis dixit: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Et iterum: Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? Et meritò, cùm enim Prudentia ſit moderatrix & auriga virtutum, ornatrixque affectuum, & morum

Matt. 10. v. 16. *Matt. 24. v. 45.*

Digitized by Google

morum doctrix, nunquam ſine ea officium ſuum ritè atque ſecurè peragere poterit Sacer- *l. 6. de Sac.* dos. Hinc rectè S. Chryſoſtomus, non ſolùm, ait, mundum purúmque Sacerdotem eſſe oportet, ut qui tali Miniſterio dignus habitus ſit, ſed etiam prudentem, & longo rerum variarum uſu experientiáque donatum, ut non minorem rerum ſæcularium, quàm Mundani ipſi in Mundo commorantes, cognitionem habeant.

IX. Tertium inſtrumentum eſt *maxima Sanctitas*, in puritate animi, & virtutum poſ- *Lev. 11. v. 44.* ſeſſione ac exercitio conſiſtens: nam Sacerdotibus dixit DEUS: Sancti eſtote, quia ego *Lev. 21. v. 6.* ſanctus ſum. Et iterum: Sancti erunt DEO ſuo Sacerdotes, & non polluent nomen ejus: incenſum enim Domini, & panes DEI ſui offerunt, & ideo ſancti erunt. Hinc Moyſi præcepit: Applicabis Aaron & Filios ejus ad fores tabernaculi teſtimonij, & lotos aquâ indues ſanctis veſtibus, ut miniſtrent mihi. Super *l. 1. offic. c. 50.* quæ verba S. Ambroſius diſcurrens ait: Si tot in figuris opus erat, quid non fieri in veritate? diſce Sacerdos, quid ſit veſtimenta tua ablui: diſce, quid ſit corpus mundum in adminiſtratione Sacramentorum afferre. Si populus ſine ablutione veſtimentorum ſuorum, prohibebatur accedere ad hoſtiam ſuam, tu illotus mente pariter & corpore, audes pro aliis ſup- *ſ. de converſion. ad Cler. c. 27.* plicare, & miniſtrare? Meritò ergo S. Bernardus exclamans, væ, ait, iis, qui ambulantes in carne, DEO placere non poſſunt, & placare præſumunt.

X. Porro inter virtutes præ reliquis exiguntur à Sacerdote. 1. *Devotio:* hæc enim, *In proœm.* teſte Beſſæo, omne illius decus, fulgor, ornamentum, majeſtas & anima Sacerdotij, & potiſſimum illius trophæum ac triumphus eſt. *Ezech. c. 8.* Certè Ezechiel inter abominationes, quas DEUS ei oſtendit, non immeritò etiam illam commemorat, quòd viderit Senes & canis conſperſos, tergum altari obvertere, & ad templi januam reſpicere. 2. *Caſtitas:* nam *Sap. 6. v. 20.* incorruptio facit proximum DEO, Salomone teſte; hinc Christus Diſcipulis dixit: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes *1. Tim. 4. v. 12.* in manibus veſtris. Et S. Paulus Timotheum adhortans: Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, & caritate, in fide, in *ſ. 1. dom. 25. poſt Trin.* caſtitate. S. quoque Auguſtinus: Omnibus caſtitas pernéceſſaria eſt, ſed maximè Miniſtris Eccleſiæ altaris, quorum vita aliorum debet eſſe eruditio. Et meritò; ſi enim de Ethnicis ſacrificulis cecinit Tibullus:

lib. 2. Vos quoque abeſſe procul jubeo, diſcedite ab aris,
Queîs dedit heſternâ gaudia nocte Venus.
Caſta placent Superis.

Si in veteri lege Sacerdotes pro Populo hoſtiam offerentes, debebant ab Uxoribus ſeparari, purificari, & nec vinum, nec ſiceram, aut aliud quid ad voluptates carnales excitans bibere audebant: Si S. Paulus ſæcularibus *1. Cor. 7. v. 5.* ſuaſit, ut abſtineant ab invicem ad tempus, ut faciliùs vacent orationi: Si herbam, cui Agnus caſtus nomen eſt, quis tangens pudicus efficitur: Si aves illæ, quæ circa Orientem verſantes aromatibus, cinnamomo, & caryophyllis paſcuntur, corruptionem neſciunt; quantò magis Sacerdos Sacrificium infinities perfectum offerens, & ad orationem pro Populo offerendam ex vocationis ſuæ inſtituto obligatus, totiésque Agnum caſtiſſimum, arborémque vitæ ſumens, ab omni luxuriâ abſtinere debet. Hinc, teſte S. Ambroſio, rectè Sacerdotes apibus comparantur; quia ſicut apes, caſtitatem corporis præferunt, cibum vitæ cæleſtis exhibent, aculeum legis exercent, puri ad ſatisfactionem, ſuaves ad refectionem, ſeveri ad ultionem. 3. *Zelus animarum:* ita ut pro teſſera ſibi familiari habeat illud Regis Sodomorum dictum: *Gen. 14. v. 21.* Da mihi animas, cætera tolle tibi. Ut velut bonus Paſtor animam ſuam ponat pro ovibus *Io. 10. v. 11.* ſuis, dicere que jure poſſit cum S. Davide: *Pſal 68. v. 10.* Zelus domûs tuæ comedit me. Eum in finem certò ſibi perſuadeat, quod S. Chryſo- *hom. 3. in Gen.* ſtomus non ſine fundamento pronuntiavit, nimirum hoc noſtræ ſalutis argumentum eſſe, & occaſionem, ſi non ſolùm pro nobis ipſis ſolliciti, ſed & proximo utiles fuerimus, ipſum ad viam veritatis manuducentes. 4. *Manſuetudo:* ſervum quippe Domini, juxta S. Pauli *2. Tim. 2. v. 24.* monitum, non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes. Id quod præcipuè erga Peccatores obſervandum dixit: Fratres, *Gal. 6. v. 1.* ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderantes invicem, alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti; qui Apoſtolis ſuis dixit: Di- *Matth. 11. v. 29.* ſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Hinc DEUS in veteri Teſtamento, & Eccleſia etiam in novo, oleum in conſecratione Sacerdotis adhiberi præcipit. Semper itaque Sacerdos ſententiam S. Bernardi ob oculos ha- *S. Bern. in Cant. ſ. 23.* beat: Diſcite, qui judicatis terram, eſſe debere vos Matres, non verò Dominos Subditorum veſtrorum; ita vos gerite, ut amemini, non verò timeamini; ſi verò ſeveritate interdum opus eſt, paterna ſit, non tyrannica: Patres vos gerite in reprehendendo, Matres in defendendo, manſueſcite, ponite feritatem, ſuſpendite verbera, producite ubera, pectora lacte pingueſcant, non typho turgeſcant. Cur tam graviter opprimitis, quorum ſollicitudo & cura vobis incumbit? Caveant ergo Sacerdotes, ne ob neglectam hanc virtutem audiant quondam à DEO: Vos autem cum *Ezech. 34. v. 4.* auſteritate imperabatis eis, & cum potentia, & diſperſæ ſunt oves meæ. Sequantur potiùs conſilium Roboamo à Senioribus datum: Si *3. Reg. 12. v. 7.* hodie obedieris Populo huic, & ſervieris, & petitioni eorum ceſſeris, locutúſque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi ſervi cunctis diebus.

5. Eſt

5. Eſt *Modeſtia & gravitas*: quæ in tribus potiſſimùm elucere debet, nempe in *veſtitu*, ita *Epiſt. 21. ad Euſtoch.* ut, quemadmodum S. Hieronymus monet, veſtis nec ſatis munda, nec ſordida, aut ulla diverſitate notabilis ſit, ne digito monſtretur, & hoc vitio vertatur. In *verbis*: nam licet interdum honeſta joca & ſuavia ſint, ta- *l. 1. offic. c. 3.* men ab Eccleſiaſtica abhorrent regulâ: quomodo enim probare poterimus, quod in Scripturæ corpore neutiquam reperire eſt? inquit rectè S. Ambroſius. Imò S. Bernardus *In modo benè viv. ad Frat.* dicere auſus eſt: Nugæ inter ſæculares nugæ ſunt: in ore Sacerdotis blaſphemiæ: Conſecrâſti os tuum DEO: talibus jam aperire illicitum: adſuefacere ſacrilegium. In *mo- In regul. ribus*: ita ut illud S. Auguſtini ſemper non tantùm ob oculos habeat, ſed reipsâ impleat: In omnibus moribus veſtris nihil ſit, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. 6. *Liberalitas*: tum erga *Peregrinos*, juxta Iſaiæ mo- *Iſ. c. 58. v. 7.* nitum: Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagóſque induc in domum. Id quod Sacerdotibus præcipuè convenit, teſte Gra- *Grat. diſt. 32. c. 1.* tiano, ne ſit de numero eorum, quibus in judicio dicetur: Hoſpes fui, & non ſuſcepiſtis me. Tum erga *Pauperes*: juxta moni- *Ivo 3. p. c. 20. ex Conc. Nannet.* tum Nannetenſis Concilij dicentis: Inſtruendi ſunt Presbyteri, pariterque admonendi, quatenus noverint decimas & oblationes, quas à Fidelibus recipiunt, pauperum & peregrinorum eſſe ſtipendia, atque ideo eadem non ut propria uſurpanda, ſed velut fidei *12. q. 2. c. eod.* commiſſa. Aurum quippe, ut rectè dixit S. Ambroſius, Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſ- *Epiſt. 2.* ſitatibus. Hinc S. Bernardus ait: Quidquid Sacerdos præter neceſſarium victum, & veſtitum ſimplicem de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt. Væ ergo, exclamat alibi, væ tibi Clerice, mors in olla, mors in tuis deliciis eſt: ideo præſertim, quia, quæ comedis, peccata ſunt populi. 7. Tandem eſt *Taciturnitas*, & ſecreti præcipuè cuſtodia; Sacerdotes quippe DEI, hominúmque ſunt Secretarij, unde ſibi ab his contingere putent, quod Alexander Ephæſtioni fecit, dum arcanum quodpiam illi committens, ſimul ori annulum, quo ſecreti admoneret, impreſſit. *Num. 19. v. 15.* Hîc certè vel maximè locum habet illud Moyſis pronunciatum: Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, *Lev. 11. v. 29.* immundum erit. Hinc & muſtela, quæ per aurem concipere, & ore parere dicitur, inter immunda animalia reputatur. Quare ſemper illud Paulinus Sacerdos uſur- *2 Cor. 12. v. 4.* per: Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui.

XI. Alterum caput ad dignam vocationis executionem pertinens eſt *periculorum fuga*: quorum quidem tria ſunt præcipoa, nempe 1. *Divitiæ*: Sacerdotes quippe tales DEI Adjutores, teſte S. Bernardo, eſſe *l. 4. de Conſid. c. 4.* oportet, qui marſupia non exhauriant, ſed corda reficiant, & crimina corrigant: famæ provideant ſuæ, non invideant alienæ: qui non de dote Viduæ, & patrimonio Crucifixi, ſe vel ſuos ditare feſtinent, gratìs dantes, quod gratìs acceperunt: qui redeant fatigati quidem, ſed non ſuffarcinati curioſis & pretioſis. Et meritò, quia, ut S. Hieronymus optimè *12. q. 1. c. eod.* dixit, quicunque DEUM poſſidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus: nihil extra Dominum habere poteſt: at ſi quid aliud habet præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Si enim aurum, argentum, poſſeſſiones, variam ſupellectilem habuerit, cum iſtis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Hinc, ut *Serm. 53. de modo benè viv.* idem alibi dixit, ignominia Sacerdotis eſt, proprijs ſtudere divitiis. Ut qui potiùs cum Apoſtolis dicere debent: Ecce nos reliqui- *Matth. 19. v. 27* mus omnia, & ſecuti ſumus te. Et iterum: Habentes alimenta, & quibus te- *1. Tim. 6. v. 8.* gamur, his contenti ſimus. Itaque tres præcipuè occaſiones devitet Sacerdos, in quibus lepram avaritiæ cum Giezi contrahere poteſt, nempe ab *importuna exactione ſolarij* (ne, dum nimis emungit, ſanguinem eliciat, & ovium ſuarum à ſe animos avertat) à *munerum acceptione* (ut dicere olim cum ſolatio illud Samuelis poſ- *1. Reg. 12. v. 3.* ſit: Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto ejus, ſi de manu cujuſpiam munus accepi, utrum bovem cujuſquam tulerim aut aſinum) ab *Elecmoſynarum diſtributione aut Teſtamentorum executione*: uti prudenter monuit S. Baſilius, dicens: Præ- *Ep. ad Chilon.* textu ſublevandæ pauperum inopiæ provideto, ne fias ſtudio inexplebili congerendæ pecuniæ obnoxius, adeò, ut ſi quia afferat pecunias in uſum inopum erogandas, ipſe item certò cognoveris, aliquos fulciendæ vitæ præſidio deſtitutos atque indigos, is, in cujus ære ſunt pecuniæ, fac, conſilio tuo tecum eat, ut adferat egenis Fratribus erogaturus: neque contingat, ut, cùm diſpertiendas ipſe acceperis, earum affectu conſcientiæ nitor, ſitim ducat avaritiæ, & inquinetur. Certè S. Philippus *Vit. l. 2. c. 15 n. 16.* Nerius ſuos ſapienter admonuit, ut, ſi vellent fructum copioſum facere in aliis, à marſupiis aliorum abſtinerent. 2. Alterum, quod fugere ſtudioſè debet, eſt *vinum* intemperanter hauſtum: vinum quippe & *Eccl. 19. v. 2.* mulieres apoſtatare faciunt Sapientes, teſte Eccleſiaſtico; hinc olim in veteri lege, *Levit. 10. v. 9.* quando intrare debebant in templum teſtimonij, à vino, &, quod inebriare poteſt, abſtinere debebant. Et meritò, cùm nihil æquè & authoritatem minuat, & mentem ad functiones Sacerdotales ineptam efficiat, quàm vinolentia; ſummáque confu- *Cap. Eccleſ. diſt. 35.* ſio & ignominia ſit, JESUM Chriſtum

paupe-

pauperem, Crucifixum, & eſurientem fartis prædicare corporibus, & jejuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiáque ora proferre. 3. Tertium, quod præ aliis fugiendum eſt, *mulierum* familiaritas cenſeatur: *Epiſt. ad Ocean.* nam, ut ſapienter S. Hieronymus dixit, prima tentamenta Clericorum ſunt feminarum frequentes acceſſus; iſte ſexus reprehenſibiles exhibet Clericos: quid tibi revera cum feminis, qui ad altare cum Domino fabularis? te in publico cuncti, te in agro ruſtici, aratores ac vinitores quotidie lacerabunt, ſi contra depoſitum fidei, cum feminis habitare contendis. Mihi crede, non poteſt toto corde cum Domino habitare, qui feminarum *to. 3. tr. 2. c. 9. §. 2.* acceſſibus copulatur. Hinc P. Ludovicus de Ponte mentò ſequentia documenta ſuggerit ad hoc periculum declinandum. 1. *Ne habitet in eadem domo cum feminis*, niſi quas antiqui Concilij Nicæni Canones permittunt, quales ſunt Mater, Amita, Soror &c. *In reg. c. de caſt.* Quâ de re egregiè S. Hieronymus, memento, inquit, quòd una femina de Paradiſo expulerit eum, quem DEUS in ipſo collocaverat: quare meritò timere potes, ne tibi ſit occaſio diſcedendi ex Paradiſo Religionis, & ipſius Eccleſiæ, ac proinde gloriæ Paradiſum amittendi. 2. *Ne viſitet feminas ſu-* *Cap. Hoſpitiol. diſt. 32.* *ſpectas, aut ab iis viſitari ſe ſine cauſa gravi permittat*: ita idem Sanctus iterum ſuaſit dicens: Hoſpitiolum tuum aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant, quia non poteſt toto corde cum DEO habitare, qui feminarum acceſſibus copulatur. Feminam, quam bene videris Converſantem, mente *Caſtill. l. 3. hiſt. c. 37.* dilige, non corporali frequentiâ. 3. *Ut nunquam ſolus, abſque graviſſima neceſſitate, cum ſolâ maneat*: nam Sacerdos ſolus, teſte D. Thoma, eſt dæmonium ſolitarium: eò quòd non habens Cuſtodem Angelum viſibilem, qui ipſum coërceat, & retrahat ab his, quæ appetit, ſibi ipſi eſt Dæmon. Nam Dæmon videns ſolum cum ſola ſtatim occurrit tanquam tertius ad illos ſollicitandos, ac denique illos proſternit. *S. Greg. l. 4. Dial. c. 15.* 4. *Ne tangat, aut tangi ſe permittat ab ullâ feminâ*, niſi in caſu ingentis neceſſitatis: exemplo S. Urſini Abbatis in agone jam conſtituti, & tamen mulieri aurem ad nares, ut deprehenderet, num adhuc ſpiraret, applicanti dicentis: Recede à me mulier, ad- *Prov. 6. v. 27.* huc igniculus vivit: paleam tolle. Nimirum ſicut non poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant: aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus, ſic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus, cùm tetigerit eam. 5. *Ut etiam munera & literas ab illis miſſas non temerè facilèque admittat*: nam crebra munuſcula, ait Sanctus Hieronymus, & dulces literas, & ſudariola, & prægustatos cibos Sanctus amor non habet: hæc enim omnia carnem ſapiunt, & procul ſunt ab amore caſto. Quæ omnia ut tantò faciliùs præſter, amorem DEI animo ſuo firmiter inſerare ſtudeat, cùm enim, teſte Sancto Hieronymo, valdè difficile ſit, animam non amare rem aliquam, *Epiſt. ad Euſtoch. de cuſtod. Virg.* amore Spiritûs, carnis amor vincendus eſt, & unius deſiderium, alterius deſiderio mortificandum, ut, quantùm ex altero minuitur, tantùm alterum creſcat.

§. XII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occaſione Thematis: *Nimis honorificati ſunt Amici tui DEUS*: explicari *Pſal. 138. v. 17.* poteſt dignitas Sacerdotis. Et 1. oſtendi, quomodo illos DEUS honorârit, dùm eos Principes ſuper omnem terram conſtituit, duplicémque poteſtatem in ſuum corpus verum, & myſticum conceſſit. 2. Quantopere eos Angeli honorârint; dum unus quidem S. Jo- *Apoc. 19. v. 10.* annem adorare eum volentem prohibuit dicens: Cave, ne feceris; conſervus enim tuus ſum. Alius autem Clientem ſuum necdum Sacerdotem præcedere ſolitus, poſt Sacerdotium ſuſceptum nunquam ampliùs præire voluit. 3. Quantopere eos ſancti viri honorârint, & æſtimârint, id quod variis exemplis §. 5. allatis probari poteſt. 4. Quantum honorem ipſi etiam Imperatores & Reges detulerint, præcipuè Conſtantinus Magnus: & etiamnum hodie deferant. 5. Quàm honorificè de ſuis Sacerdotibus ſenſerint, eóſque tractârint Ethnici; ex quibus omnibus facilè colligi poteſt, quantum honorem illis Chriſtiani deferre debeant. Oſtendatur ergo, quibus officiis honorandi ſint, nimirum 1. *Cogitatione*: magnam de iis æſtimationem concipiendo, eorúmque defectus; & acta, quantùm fieri poteſt, in melius interpretando, aut excuſando. 2. *Verbo*: honorificè de illis, & cum illis loquendo; neque unquam illorum famam aut honorem vel minimâ detractione violando, exemplo Conſtantini Magni, qui integrum querelarum faſciculum contra Sacerdotes factarum in ignem conjecit. 3. *Opere*: tum cavendo ab omni injuria corporali, puta percuſſione, aliáve læſione ſimili; tum exhibendo ſigna externa honoris, debitáque ſtipendij, & caritatis officia præſtando.

II. Ex occaſione Thematis: *Ecce conſtitui* *Jerem. 1. v. 10.* *te hodie ſuper gentes & regna*: oſtendi poteſt, quàm verè dicatur Sacerdotes etiam ipſis Regibus præcellere, & quidem in tribus primariis capitibus, è quibus Regia Majeſtas potiſſimùm colligi & æſtimari ſolet. Videlicet 1. *Dignitate*: uti S. Martinus, aliíque SS. Patres, de quibus ſuprà dictum, verbo & facto declarârunt. 2. *Poteſtate*: cùm terreſtres Reges vinculi poteſtatem in corpora duntaxat, Sacerdotes etiam in animos, illi in terris, hi etiam in cælis exerceant. Et præterea etiam veri Corporis Chriſti producendi poteſtatem acceperint, quæ pote-

ſtas meritò omnes alias poteſtates excedere dicitur. 3. *Utilitate:* cùm Reges terreni Reipublicæ ſolùm in temporalibus, Sacerdotes verò in ſpiritualibus & æternis proſint. Deducantur ex hoc diſcurſu tria corollaria. Primum pro Sacerdotibus, quanti æſtimare debeant vocationem ſuam, operámque dare, ut eandem dignis operibus, virtutibúſque exornent, atque confirment. Alterum pro Parentibus & Cognatis Sacerdotum, quantoperè ſibi gratulari debeant ob tantam Filiorum exaltationem, precibúſque ſuis apud DEUM inſtare, ut gratiam vocationi exequendæ neceſſariam Filiis eorum largiri dignetur. Tertium pro aliis hominibus, ut ſcilicet & hi cognoſcant, quanto in honore habere Sacerdotes, eóſque tanquam Benefactores ſuos maximos reputare, colere, & amare debeant.

Matth. 5. v. 14. III. Ex occaſione Thematis: *Vos eſtis lux mundi:* comparetur Status Sacerdotali luci. Et in prima quidem parte oſtendatur, quâ ratione ipſi verè ſint in candelabro poſiti, dum per dignitatem Sacerdotalem ſuper omnes alios homines ſunt evecti. In ſecunda oſtendatur, quomodo officium Lucis exercere debeant, *purificando*, ſeu liberando homines à vitiis: *illuminando*, ſeu inſtruendo in rebus fidei, aliiſque ſcitu neceſſariis: *calefaciendo*, ſeu ad amorem DEI ac Proximi, aliarúmque virtutum exercitium incitando. In tertiâ oſtendatur, quibus inſtrumentis id efficere queant, nempe *Splendore* tam doctrinæ, tam boni exempli; & *calore* ſinceræ & zeloſæ caritatis, quâ nihil efficacius eſt ad corda in omnem partem trahenda.

Matth. 5. v. 13. IV. Ex occaſione Thematis: *Vos eſtis Sal terræ:* Sacerdotes Sali comparentur 1. Propter ſimilitudinem proprietatum, nempe *candorem* (puritatis interioris) *ſiccitatem* (id eſt, vacuitatem omnis affectus inordinati erga res humanas velut fluidas & tranſeuntes) *acrimoniam* ſeu efficaciam ad omnes hominum actiones condiendas, DEOque ſapidas & gratas efficiendas. 2. Quomodo ſalire corda hominum debeant, nempe *penetrando* ſeu ad cor loquendo: *condiendo*, id eſt, adjuvando, ut opera DEO grata efficiant: *exiccando* & conſervando à putredine peccati, & periculorum animæ. 3. Quâ cautione ſalire debeant, videlicet *moderatè* (nec nimis multùm, nec nimis parum (id quod aliquot inſtantiis probari poteſt) *cautè* (cavendo ſedulò, ne evaneſcat; ſi enim Sal evanuerit, ad nihilum ulterà, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus, teſte Servatore) *ſapienter* (id eſt, diligenter attendendo, ne, ubi acrimonia eſt effectus Salis vel neceſſarius non eſt, vel inutilis creditur, ultro, & cum nocumento proprio & alieno obtrudatur.

Matth. 5. v. 13.

Matth. 4. v. 19. V. Ex occaſione Thematis: *Venite poſt me, faciam vos Piſcatores hominum:* excitentur Sacerdotes ad officium ſuum magni faciendum, & legitimè adminiſtrandum. 1. itaque oſtendatur *honeſtas* hujus piſcationis, cùm, teſte S. Dionyſio, omnium divinorum diviniſſimum ſit cooperari DEO in ſalute animarum: *Utilitas*, tum ab ipſis piſcibus, tum à DEO laborem prœmiante haurienda: *Jucunditas* ob præſtantiam & multitudinem piſcium: *Facilitas* tum ex motivis enarratis, tum ex occaſione ſemper obvia, tum ex inſtrumentorum copiâ cauſata. 2. oſtendatur, quo inſtrumento potiſſimùm uti debeant ad piſcationem hanc feliciter peragendam, videlicet per *rete* conſtans tribus partibus. 1. Filis inter ſe optimè & pro piſcibus capiendis aptè connexis, per quæ actiones & functiones Sacerdotales cum fervore & dexteritate obitæ intelliguntur. 2. *Plumbum*, id eſt, humilitatem & diffidentiam in propriis viribus. 3. *Suber*, quod rete in alto ſuſtinet, & confidentiam in DEO, & conjunctionem cum ipſo ſignificat.

VI. Ex occaſione Thematis: *Ego ſum Paſtor bonus:* Salutaris inſtructio proponi poteſt Sacerdotibus, & 1. quidem dignitas eorum oſtendi, tum ex præſtantiâ officij, à Summo Paſtore Chriſto in ipſos tanquam Vicarios tranſlati: tum ex ipſarum etiam Ovium excellentiâ: tum ex prœmij ob fidelem cuſtodiam promiſſi magnitudine. 2. explicari poſſunt officia ad bonum Paſtorem requiſita, nempe ut ad *bona paſcua deducat*, ut ſuo tempore diligenter *tondeat*, ut à Lupis, aliiſve periculis *defendat*, &, ſi opus fuerit, etiam *animam pro ipſis ponat.* quæ omnia in ſenſu ſpirituali explicentur, & quomodo à Chriſto obſervata ſint, atque à Sacerdotibus curam animarum habentibus obſervanda, ſolidè oſtendatur.

VII. Ex occaſione Thematis: *Sedens de navicula docebat turbas:* *Luc. 5. v. 3.* dici poteſt, Chriſtum præter alias cauſas, etiam ideo videri turbas de navicula docuiſſe, ut oſtenderet, Vitam hominum navigationi ſimilem, & hujus navigationis Navarchos ſeu Præſides Sacerdotes eſſe. Itaque 1. oſtendatur, quomodo vita humana ſit navigatio, tum propter Mundi, in quo degimus, amaritudinem, inconſtantiam fluibilitatem: tum propter pericula aſſidua, quæ navigantes tum à *Piratis* (Diabolis inſidiantibus) tum à *Sirenibus* (Mulieribus blandientibus) tum à *Scopulis* (divitiis ſubmergentibus) cum magno timore naufragij patiuntur. 2. oſtendatur, Naviculæ hujus directionem Sacerdotibus commiſſam, adeóque triplicem ab ipſis notitiam requiri, nempe *Aſtrorum cæleſtium*, id eſt, DEI & Sanctorum, ut juxta illorum aſpectum, influxum, & curſum, navim tectâ ſemitâ ad portum dirigat, atque perducat: *Ventorum & fluctuum, & periculorum*, id eſt, ut varios motus animi ſapienter diſcernere, eóſque placare queat: ut in fluctibus tentationum & tribulationum contra ſe & alios inſurgentium ſe alióſque dirigere, & ſalvum ſervare ſciat: & ut

præ-

prædicta tria Sirenum, Piratarum, & ſcopulorum pericula ſtudioſè tum pro ſe, tum pro alijs declinare & avertere poſſit. *Ipſius via* ad portum æternæ felicitatis rectà ducentis: id eſt, ut ſciat, quibus medijs felicitas æterna obtinenda ſit, & tum ipſe ea ſedulò adhibeat, tum alios ad illa conſtanter uſurpanda perſuadeat.

Exod. 13. v. 21. VIII. Ex occaſione thematis: *Dominus autem præcedebat eos, ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut Dux eſſet itineris utroque tempore*: 1. Pulchrè comparari poteſt vita Chriſtianorum eductioni Iſraëlitarum ex Ægypto, tum propter infernalis Pharaonis, id eſt, *Diaboli*, cui per peccatum ſerviebant, ſævitiem & duritiem: tum propter *mare rubrum* ſanguinis Chriſti, pro nobis profuſi apertum, hoſtéſque in eo ſubmerſos: tum propter terminum terræ lacte & melle, id eſt, omni deliciarum & voluptatum cæleſtium genere, fluentis, ad quem ducuntur. 2. Oſtendatur, Duces hujus itineris eſſe Sacerdotes: qui proinde inprimis debeant eſſe ſimiles columnis, *recti* per intentionem ad DEUM, *rotundi* per perfectionem vitæ, *immobiles* per conſtantiam & fortitudinem in quibuſcunque adverſitatibus & inſultibus demonſtratam. Deinde per diem deberent eſſe velut *nubes*, id eſt tempore proſperitatis eos ſuo exemplo docere, quomodo humilitatem & ſubjectionem erga DEUM conſervare, ſicque ex beneficijs DEI optatum fructum referre debeant. 3. Denique tempore noctis, id eſt, adverſitatis velut *columna ignis* præcedere debeant, docendo ſuo exemplo, quomodo caritatem inter adverſa exercere & conſervare, ſicque etiam in nocte iter ſuum ad cæleſtem Patriam continuare queant.

Gen. 41. v. 55. IX. Ex occaſione thematis: *Ite ad Ioſeph, & quidquid ipſe dixerit vobis, facite*: poſſunt Sacerdotes Joſepho comparari. 1. Propter *ſimilitudinem nominis*, quod idem, ac augmentum Domini ſignificat, quia & Sacerdotes præ alijs hominibus in ſcientiâ, ac virtute excellere debent. 2. Propter *ſimilitudinem officij*; quia ſicut ille panem & frumentum Ægypto providit, & benignè ac liberaliter diſtribuit, omnéſque ad ſe confugientes cum magna caritate ac benevolentia excepit, & non niſi quin- *Gen. 47. v. 24.* tam partem de frumento pro Rege exquiſivit; ita & Sacerdotes panem Verbi divini, SS. Euchariſtiæ, & bonorum exemplorum, ſubjectis Chriſtianis providere, diſtribuere, & quintam ſolùm partem de frugibus inde enaſcentibus pro DEO requirere debent, ſcilicet fructum majoris gloriæ divinæ, reliquos verò quatuor (nempe fructum meriti, ſatisfactionis, impetrationis, & gaudij ex bono opere oriri ſoliti,) ipſis relinquere poſſunt. 3. Propter *ſimilitudinem Dignitatis*: ut enim Joſeph proximus Regi fuit, eique à Rege dictum eſt: Tu eris *Gen. 41. v. 40.* ſuper domum meam, & tui oris imperium cunctus Populus obediet: uno tantùm regni Solio te præcedam; ita & Sacerdotes quoad dignitatem DEO proximi ſint, uti fuſiùs ſupra §. 3. probatum eſt. Hortandi proin Auditores, ut & ſibi in varijs occaſionibus, præcipuè indigentiâ verbi divini, Sacramentorum, Conſolationis, dictum putent: Ite ad Joſeph.

§. XIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. MEns ex divino Spiritu ducta, & ſufficienter firmata adjungitur DEO. Simile enim ad ejus ſimile accedere neceſſe eſt. Quamobrem ſolus Sacerdos ſapiens appellatur, ſolus enim eſt DEI amator, ſolus DEO preces effundere novit, ſolus DEUM honorare ſcit, qui dignitatem non confundit, quique inprimis hoſtiam ſeipſum producens, propriam animam quaſi ſimulachrum quoddam ædificat. *Hierocles apud Lanciz. opuſc. 13. n. 281.*

II. Sacerdotes veteris legis accipiebant ex *In c. 2. Malach.* victimis pectuſculum, linguam, & ventriculum, ut, qoemadmodum S. Hieronymus ait, eorum tria officia denotarentur, per linguam Concionatores, per pectuſculum Confeſſores, per ventriculum Sacrificia.

III. Sacerdos ſui curam negligens ſimilis eſt *Beſſaus in proœm.* Naopegis Arcæ Noë alios ſalvantibus, & interea diluvio perierunt. Item Aquæ baptiſmali, quæ alios abluit, & ad cælos tranſmittit, cùm tamen ipſa ſordes contrahat, & in terram effundatur. Similes quoqoe ſunt facibus ſeipſas, dum alijs lucent, conſomentibus; aut Uriæ Hethæo, literas mortem decernentes in ſinu portanti.

IV. Moyſes in tabernaculo labrum æneum *Exod. 38.* de ſpeculis mulierum fecit, ut monerentur Sacerdotes, ſeipſos priùs ad morem mulierum ſollicitè inſpicere, &, quæ non munda ſatis deprehenderint, ſtudioſè tollere.

V. Origenes conſiderans mandatum, quo *Ho. 9. in Ioſue.* jubebantur olim Sacerdotes arcam DEI humeris portare, ait, hoc ideo factum, ut ſignificaretur, illos demùm eſſe veros Sacerdotes, qui non tantùm alios ad legem Domini ſervandam excitant, ſed ipſi etiam eidem humeros ſubijciunt.

Dignitas.

VI. Etſi lege divinâ olim DEUS caverit, *Num. 36.* ne una tribus cum altera Matrimonium iniret, Sacerdotibus tamen conceſſit, ut cum tribu regia, nempe cum tribu Juda contrahere poſſent, ne regia tribus ſupra ſacerdotalem eſſe videretur.

VII. Sacerdotes ſunt in Eccleſia luminare *Beſſ. l. 1. c. 1.* majus, quod præſit diei, id eſt, operibus ſpiritualibus; Reges autem ſunt luminare minus, quod nocti, id eſt, operibus & rebus temporalibus præſit.

VIII. Sacerdotes, teſte Beſſæo, ſunt per- *Loc. cit. c. 2.* fectionis ſpecula, Mundi Philoſophi, Angelorum Condiſcipuli, Populorum Ductores, anima-

animarum Pædagogi, religionis fulcra, operarij in meſſem vocati, & Patroni Fidelium.

Ibid. c. 5. IX. Aaronem DEUS voluit triplici colore, nempe hyacintho, purpurâ & cocco veſtiri, ut oſtenderet, Sacerdotes dignitate & poteſtate, Angelis per cæleſtem hyacinthi colorem ſignificatis, & Regibus per purpuram indicatis æquales eſſe.

Alciatus Embl. 7. X. Aſinus Iſidis DEI effigiem portans cùm omnes coram ſe flectere videret, ideóque inſoleſceret, & ſuprà alia bruta ſe efferret, Agaſo latus tundens, non tibi, inquiebat, ſed Iſidi honor hic defertur. Idem ſibi dictum Sacerdos putet.

Q. 1. in Levit. XI. Theodoretus obſervat, Sacerdotem pro ſuo peccato non aliam offerre hoſtiam debuiſſe, quàm ſi Populus univerſus idem peccatum admitſit, ut indicaretur, eum dignitate univerſo Populo parem eſſe, graviúſque cenſeri peccatum ſolius Sacerdotis, quàm totius Populi.

Jucunditas.

Lib. 1. epiſt. 50. XII. Iſidorus ait, virgam illam nuceam, quam olim vidit Jeremias typum & imaginem Sacerdotij fuiſſe; nam ut exterior nucis cortex aſper & durus eſt, ſed nucleus dulcis & ſapidus; ita Sacerdotum Status exteriùs quidem laborem ac difficultatem præfert, ſed interiùs jucundus ac gratus eſt.

§. XIV.

AUTHORES.

I. FRanciſcus Labata in locis communibus. Verbo: Sacerdos.

II. Nicolaus Lancizius to. 2. opuſc. 13.

III. Petrus Beſſeus in Regali Sacerdotio.

IV. Ludovici Abelis Chriſtianus Sacerdos.

V. Joannes Tritemius de Sacerdotum vita inſtituenda.

VI. Ludovicus de Ponte to. 3. de perfectione.

VII. Jacobus Marchantius in Horto Paſtorum de Virga Aaronis florente.

TITVLVS XXV.

SPIRITUS SANCTUS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Cyprian. ſ. de Pent. EST tertia Perſona in divinis à Patre Filióque procedens. Vocatur Spiritus à vento, teſte S. Cypriano, quem trahimus & afflamus, ut reſpiratio, aſpiratio, ſuſpiratio, inſpiratio, expiratio à Spiritu Sancto & cauſam habeat, & materiam, & proventum. Sanctus autem vocatur, quia ipſius, velut amoris divini, proprium eſt ad Sanctitatem perducere. Licet autem etiam Pater & Filius verè Spiritus Sanctus ſint, dicíque poſſint, hoc tamen nomen Perſonæ tertiæ per appropriationem eidem attributum eſt, tum quia nomen aliud proprium non habebat, ut Pater & Filius; tum quia ut S. Auguſtinus diſcurrit, conveniebat ut ex nomine, quod utrique convenit, utriuſque communio ſignificaretur; tum quia, ut S. Thomas ait, proprium eſt amoris, per quem Spiritus Sanctus procedit, quòd moveat & impellat voluntatem amantis in amatum. *S. Auguſt. l. 5. de Trin. c. 11. S. Thom. 1. p. q. 36. a. 1.*

Dona Spiritûs Sancti.

Iſaia. 11. v. 2. II. Sunt ſeptem, per Iſaiam indicata: Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & Intellectûs, Spiritus Conſilij, & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ & Pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.

III. Donum *Sapientiæ* eſt internus quidam ac ſuaviſſimus guſtus & ſapor, quo etiamnum in terris exiſtentes cæleſtia gaudia prælibamus, & Angelicam vitam vivimus, juxta illud Davidis: guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. *Pſ. 33. v. 9.*

IV. Donum *Scientiæ* eſt, quo noſtra naturæ fragilitas, & divinæ voluntatis regula, ac ſalutis via cognoſcitur, fraudéſque ac aſtutiæ Mundi, Carnis ac Dæmonis deteguntur. *Lud. de Ponte p. 5. med. medit. 27.*

V. Donum *Intellectûs* eſt, quo dubia, perplexitates, nebulæ, diffidentiæ & torpores in operando, credendo, & ſperando pelluntur, & pax, gaudiúmque in articulis fidei credendis communicatur.

VI. Donum *Conſilij* eſt, quo in occaſionibus peccandi media nobis ſalutaria ad vitandum peccatum & interitum ſuggeruntur.

VII. Donum *Fortitudinis* eſt, quo cor noſtrum imbecille ac timidum roboratur, ad temporalia detrimenta ſpernenda, ut æterna evadamus.

VIII. Donum *Pietatis* eſt, quo cor noſtrum emollitur ad benefaciendum proximo, miſericordiámque in occaſionibus præcipuè vindictæ exhibendam.

IX. Donum *Timoris* eſt, quo Spiritus Superbiæ reprimitur, animúſque ad ſecreta & tremenda judicia DEI expavenda compungitur. Unde patet, per prima tria hominem in ope-

tibus

ſibus vitæ contemplativæ perfici; per ultima tria verò in operibus vitæ activæ dirigi, & erga ſeipſum proximum, & DEUM ordinari. Donum Conſilij autem in medio velut ſolem eſſe, & lumen circa agenda utriuſque vitæ præferre.

Num. 8. v. 2. *Gen. 41. v. 27.* *Zach. 3. v. 9.* *Apoc. 5. v. 6.* *Ezech. 40.* X. Hæc ipſa dona aliqui volunt per ſeptem lucernas, quas Dominus voluit in tabernaculo lucere, deſignata fuiſſe: Alij per ſeptem ſpicas, quas Pharao in culmo uno pulcherrimas & pleniſſimas pullulare vidit: alij per ſeptem oculos, qui apud Zachariam erant in lapide uno: alij per cornua ſeptem à S. Joanne conſpecta: alij per ſeptem apparitiones à Chriſto poſt Reſurrectionem factas: alij per ſeptem gradus; quibus à loco vulgi ad atrium Mundorum in Tabernaculo aſcendebatur.

Fructus Spiritûs Sancti.

Gal. 5. v. 22. XI. Fructus Spiritûs eſt, caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Veritas.

Io. 1. v. 32. I. VIdi Spiritum deſcendentem de cælo, quaſi columbam, & manſit ſuper eum.

Ib. v. 33. II. Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto.

Io. 20. v. 22. III. Hoc cùm dixiſſet, inſufflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum Sanctum.

1. Cor. 3. v. 16. IV. Neſcitis, quia templum DEI eſtis vos, & Spiritus DEI habitat in vobis.

2. Tim. 1. v. 14. V. Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.

1. Io. 3. v. 24. VI. In hoc ſcimus, quoniam manet in nobis, de Spiritu, quem dedit nobis.

1. Io. 5. v. 7. VII. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.

Io. 14. v. 16. VIII. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem Mundus non poteſt accipere.

1. Cor. 12. v. IX. Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.

Qualitas.

Sap. 12. v. 1. X. O quàm ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus.

1. Cor. 2. v. 10. XI. Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda DEI.

Eph. 1. v. 13. XII. Signati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.

Neceſſitas.

1. Cor. 12. v. 3. XIII. Nemo poteſt dicere Dominus JESUS, niſi in Spiritu Sancto.

Utilitas.

XIV. Spiritus Sanctus docebit vos in illâ horâ, quid oporteat vos dicere. *Luc. 12. v. 12.*

XV. Caritas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. *Rom. 5. v. 5.*

XVI. Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. *2. Cor. 3. v. 17.*

XVII. Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ. *Pſ. 103. v. 30.*

XVIII. Ipſe Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſumus Filij DEI. *Rom. 8. v. 16.*

XIX. Dabo eis cor novum, & Spiritum novum tribuam in viſceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & præcepta mea cuſtodiant, faciántque ea, ut ſint mihi in Populum, & ego ſim eis in DEUM. *Ezech. 11. v. 19.*

XX. Quòd ſi Spiritus eius, qui ſuſcitavit JESUM à mortuis, habitat in vobis, qui ſuſcitavit JESUM à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. *Rom. 8. v. 11.*

XXI. Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram; nam, quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Ib. v. 26.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. HAbitare in corpore animam, probant vitales ſenſus corporis; habitare in anima Spiritum, probat vita ſpiritualis; illud ex viſu & auditu cognoſcitur; iſtud ex caritate & humilitate, cæteriſque virtutibus. *S. Greg. in mor.*

II. Neſcit tarda molimina Spiritûs Sancti gratia. *S. Ambroſ. in c. 1. Luc.*

Neceſſitas.

III. Recedente Spiritu Sancto à tabernaculo mentis evacuatur homo dulcedine, & impletur omni amaritudine; nullúſque ei locus in cælo eſt, quia alienum ſe fecit à bonitate. *Martial. Epiſt. in epiſt. ad Burdigal.*

Utilitas.

IV. Porro ad faciendum bonum quid in nobis bonus Spiritus operatur? profectò monet, movet, & docet: monet memoriam, movet voluntatem, & docet rationem, nec minimam paleam intra cordis, quod poſſidet, habitaculum patitur reſidere, ſed ſtatim igne ſubtiliſſimæ circumſpectionis & compunctionis exurit Spiritus dulcis & ſuavis. *S. Greg. in moral.*

V. Idcirco Spiritus Sanctus in igne & columba nobis monſtratus eſt, quia videlicet omnes, quos implet, & columbæ ſimplicitate manſuetos, & igne Zeli ardentes exhibet. Nequaquam ergo Spiritu Sancto plenus eſt, qui aut tranquillitate manſuetudinis fervorem æmulationis deſerit, aut rurſus in æmulationis ardore virtutem manſuetudinis amittit. *Idem.*

Idem hom. 26. VI. In terra datur Spiritus, ut diligatur proximus; è cælo datur Spiritus, ut diligatur DEus; ſicut ergo una eſt caritas, & duo præcepta; ita unus Spiritus & duo dona.

S. Bern. in ſ. 2. Pent. VII. Spiritus Paracletus dat pignus ſalutis, robur vitæ, ſcientiæ lumen. Pignus ſalutis, ut ipſe reddat teſtimonium Spiritui tuo, quòd Filius DEI ſis: robur vitæ, ut, quod per naturam tibi impoſſibile eſt, per gratiam ejus non ſolùm poſſibile, ſed etiam facile fiat: lumen ſcientiæ, ut, cùm omnia bene feceris, te ſervum inutilem putes, & quidquid boni in te inveneris, illi tribuas, à quo omne bonum eſt. In iſtis tribus Spiritus Sanctus docebit te omnia, quæ pertinent ad ſalutem.

Ven. Beda ho. 9. in Luc. VIII. Nulla in diſcendo mora eſt, ubi Spiritus Sanctus Doctor adeſt.

Idem in homil. IX. Spiritus Sanctus in columba & igne apparuit, quia omne cor, quod ejus gratiâ tangitur, & manſuetudinis lenitate tranquillum, & Zelo juſtitiæ fit accenſum.

S. Greg. ho. 30. in Evang. X. In linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes, quos repleverit, ardentes pariter & loquentes facit. Linguas igneas Doctores habent, quia dum DEUM amandum prædicant corda audientium inflammant. Nam & otioſus ſermo Doctoris eſt, ſi præbere non valet incendium amoris.

Ibid. XI. O qualis eſt Artifex iſte Spiritus, nullâ ad diſcendum morâ agitur in omne, quod voluerit; mox enim ut tetigerit mentem, docet, ſolúmque tetigiſſe, docuiſſe eſt.

S. Auguſt. ſ. 2. in Fer. 2. Pent. XII. Quod eſt Anima corpori Hominis, hoc eſt Spiritus Sanctus corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia; hoc agit Spiritus in tota Eccleſia, quod agit Anima in omnibus membris unius corporis.

S. Hieron. in tradit. in Geneſ. XIII. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, ſeu, ut in Hebræo habetur, incubabat, ſive confovebat, in ſimilitudinem volucris ova calore animantis. Ex quo intelligimus non de Spiritu Mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, ſed de Spiritu Sancto, qui & ipſe vivificator omnium à principio dicitur.

§. IV.

EXEMPLA CHRISTIANA.

Veritas.

Jo. c. 1. I. BAptizante Chriſtum S. Joanne deſcendit Spiritus Sanctus de cælo quaſi columba, & manſit ſuper eum.

Act. c. 2. II. Dum complerentur dies Pentecoſtes, erant pariter omnes in eodem loco, & factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.

D. Anton. p. 3. hiſt. tit. 20. c. 1. III. Anno Domini 1275. quædam Mulier devota à ſenſibus abſtracta vidit, quòd, cùm Patres Franciſcani Comitia generalia celebrarent, Spiritus Sanctus ſuper illos in Eccleſia Congregatos in ſpecie ignis deſcenderet.

Utilitas.

Spec. Exempl V. Confeſſio ex. 29. IV. Juvenis quidam, cùm poſt juventutem inter ſcelera graviſſima exactam, periculoſa infirmitate correptus, prima nocte à Patre cæleſti ſibi apparente, & ſequenti nocte etiam à Chriſto, ſanguinem è vulneribus hauſtum in illius vultum projiciente, ſententiam damnationis æternæ accepiſſet, & jamjam deſperare cœpiſſet, Junioris tandem Fratris precibus & conſilijs erectus, poſtquam Spiritûs Sancti benignitatem implorâſſet, & peccata ſua maximo cum dolore fuiſſet confeſſus, eundem Sanctiſſimum Spiritum aſpectabilem tertia nocte habuit, ab eóque nuntium remiſſorum peccatorum accipiens, ad cæleſtia regna poſt triduum ingredienda invitatus eſt, ſicque elapſo conſtituto tempore, cum ſummo ſuo, aliorúmque ſolatio & gaudio migravit, uti fuſiùs loco citato narratur.

Ibid. ex. 5. V. Infirmarius quidam, qui cibos delicatiores pro Infirmis præparatos guloſè abſumere conſueviſſet, & quondam Abbati ſuo ad Miſſam ſe præparanti confiteri volens hoc delictum, repulſam petitionis (non adeò, ut Abbas rebatur, neceſſariæ) paſſus fuiſſet, eò tandem deſperationis redactus eſt, ut in locum abſtruſum ſecedens, cultrum gutturi, ſeipſum interempturus immerſerit. Sed & ab ipſis Dœmonibus permittente DEO, in præruptum campanilis murum, ne à Fratribus inventus ad pœnitentiam incitaretur, aſportatus eſt. Verùm cùm die Pentecoſtes illuceſcente, Abbas cum Fratribus devotiſſimè Spiritui ſancto ſupplicâſſent, ne miſerum Fratrem perire ſineret, eundem inſperatò in campanili ſemianimen inventum, cum maximo gaudio in Infirmorum cubiculum deportaverunt, ibíque quâ ſpiritualibus, quâ corporalibus medicinis tamdiu foverunt, donec reſtitutâ plenè ſanitate, ſoſpitatori ſuo tantò ferventiùs deinceps ſervivit, gratiáſque egit, quantò majori beneficio & caritate ſe ab æterno interitu præſervatum cognoverat.

Ib. Verbo Miſeric. DEI, ex. 8. VI. Frater quidam, cùm in Ægyptum veniens Filiam Sacerdotis Pagani formoſam admodum conſpexiſſet, ejuſdem amore captus, ipſâ ſibi à Patre in uxorem dari petijt. Verùm Sacerdos, ſe eam date non poſſe reſpondens, niſi idolo ſuo interrogato, abijt in templum, &, an Filiam ſuam committere ei deberet, quæſivit. Cui Dæmon dixit: Si negat DEUM ſuum, & baptiſmum, & propoſitum Monachi, trade eam illi. Cùm itaque Frater hoc intelligens omnia præſtitiſſet, vidit columbam de ore ſuo exire, atque ad cælum volare. Sacerdos tamen necdum Filiam tradere volens, ſed iterum Idoli ſui conſilium requirens, audivit ab illo: Non des illi Filiam, quia DEUS illius non receſſit ab eo, ſed adjuvabit illum. Quod cùm totidem

verbis Sacerdos Fratri retuliſſet, hic in ſe reverſus dixit: Si tanta fuit bonitas DEI mei ergame, ut etiam, poſtquam illum tam turpiter & ſceleratè abjuravi, à me non recederet, cur ego ab Eo recedam? Itaque ſecedens, & ad ſanctum quendam Senem ſe conferens, omnia, quæ fecerat, viderat, & audierat, narravit, qui blandè eum conſolatus, ſedere ſecum in cella, & tres hebdomades jejunare juſſit, ipſe verò interea DEUM aſſiduè pro eo deprecatus eſt, effecitque, ut elapsâ primâ hebdomadâ Frater columbam de cælo advolantem, ſed longiùs adhuc diſtantem; ſecundâ juxta caput volitantem, & completâ tertiâ ſeptimanâ omnino per os intrantem cernere mereretur. Quo audito Senex DEO gratias agens, dixit ad Fratrem: Ecce ſuſcepit DEUS pœnitentiam tuam, de cætero attende tibimetipſi, & ſollicitus eſto. Et reſpondens Frater dixit: Ecce amodo tecum ero, donec moriar; quod & fecit.

Surius 5. April.

VII. S. Vincentius Ferrerius tam copiosè Spiritu ſancto repletus erat, ut, licet Valentinâ tantùm, velut propriâ ſibi linguâ loqueretur, à diverſiſſimis tamen nationibus in concione præſentibus intelligeretur, ampliſſimóſque ex concionibus ſuis fructus reportaret.

§. V.
EXEMPLA DOMESTICA.

Epiſt. Indic. 1555.

I. S. Franciſcus Xaverius Apoſtolico planè Spiritu divinitùs accenſus, inter alias Spiritûs ſancti gratias etiam hanc acceperat, ut duodenis interdum aut pluribus Perſonis diverſiſſima quærentibus eodem tempore reſponderet. Sed & ſingulis Horis Canonicis Hymnum, *Veni Sancte Spiritus*, pro attentionis gratia impetranda præmittere ſolebat.

Hiſt. Soc. l. 3. n. 35.

II. P. Petrus Faber in ſingulis Horis Canonicis, præter alias pias induſtrias, ad mentem ab evagationibus cohibendam adhibitas, etiam hanc magno animi ſui ſenſu ac devotione adhibebat, ut Spiritum ſibi bonum & ſanctum ad Preces, ab eo Eccleſiæ & Pſalmiſtæ dictatas, cum debita reverentia perſolvendas largiri dignaretur.

Vita P. Balth. Alvar. c. 11.

III. P. Balthaſar Alvarez, cùm S. Tereſiæ nimio affectu, & privatâ amicitiâ quibuſdam Perſonis adhærere adverteret, & per hoc eam non mediocriter ab interiori & arctiori cum DEO familiaritate impediri ſciret, ad hoc impedimentum removendum ſuaſit illi, ut per aliquot dies hoc negotium ſeriò DEO commendaret, dicens eum in finem Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, ut lucem impetraret, quâ poſſet diſcernere, quod melius eſt. Id quod hâc ratione feliciter ab ea effectum eſt.

§. VI.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Baſil. de S. Spir.

I. SIcut Ars in eo, qui ipſam nactus eſt, ſemper quidem præſens eſt, ſed non ſemper operatur; ita gratia quoque Spiritûs ſancti in eis, qui ipſam receperunt, præſens eſt, ſed juxta divinæ ſuæ providentiæ ordinem diverſimodè operatur.

Idem.

II. Sicut radij Solis ita à quovis homine participantur, ut, licet quivis plenè ijs fruatur, non minùs tamen & reliqui participent; ita Spiritus ſanctus ſic ſingulorum corda ſuâ gratiâ replet, & vivificat, ut perinde etiam aliis abunde ſufficiat.

S. Paſchaſ. de Spir. S.

III. Sicut ignis accenſus hanc habet naturam, ut, quanti ad crinem purpurei ſplendoris aſpexerint, tantis uſum ſuæ lucis impertiat, tantis miniſterium ſui muneris tribuat, & tamen in integritate ſua permaneat; ita ſancti Spiritus virtus, quantumlibet effluat, quantumlibet in plurimos gratiæ divinæ largitatis exuperet, ſicut probatur recipere menſuram, ita nullam ſentit expenſam.

Faber cōc. 8. in Dom. Pentec.

IV. Sicut cor per os producit flatum; ita Pater per Filium producit Spiritum; vel potiùs ſicut Anima ex intellectione rei amabilis ſpirat & producit ejuſdem amorem; ita Pater per Verbum ſpirat & producit Spiritum ſanctum.

S. Damaſc. l. de fide c. 9.

V. Sicut ab igne manat lux & calor; ita à Patre & Filio Spiritus ſanctus.

S. Greg. l. de Homine.

VI. Sicut DEUS Homini in corpore duo dedit præcipua, caput & cor, ut reſpondeant potentiis præcipuis animæ, intellectui ſcilicet & voluntati; ita Eccleſiæ ſuæ dedit Chriſtum velut Caput, & Spiritum ſanctum velut Cor, ut per hunc amaremus, per illum intelligeremus.

Beyrlinck Fer. 2. Pentec. to. 3.

VII. Sicut Mater Filio, quem tenerè amat, porrigit utrumque uber, ne fortè quidquam ei deſit; ſic Pater æternus Filio dato Spiritum ſanctum adjecit, ut ſuum erga Homines amorem abundantiùs demonſtraret.

Neceſſitas.

Ibid.

VIII. Sicut literæ, quæ ſucco mali Citrei ſcribuntur, legi non poſſunt, niſi ad ignem applicentur; ita quæcunque cæleſtis Magiſter in corde hominum ſcripſerat, intelligere ipſi non poterant, donec ignis de cælo; id eſt, Spiritus ſanctus deſcenderet, & intelligendi facultatem tribueret.

S. Baſil. de S. Spir.

IX. Sicut, ſi lucem pellas de mundo, vel de nocte lucernam è domo, ſupereſt, ut nihil videant oculi, nihil operentur viventes, nec agnoſcatur rerum dignitas, ſed per ignorantiam aurum perinde conculcetur, ac ſi ferrum eſſet; ita in intelligibili gubernatione impoſſibile eſt illam inſititiam manere vitam abſque Spiritu.

S. Chryſ. ho. 20. op. imperf.

X. Sicut non eſt poſſibile, ut ex ſolâ pluviâ fructificet terra, niſi ſuper eam flaverit ventus; ſic non eſt poſſibile, ut ſola doctrina corrigat hominem, niſi cooperatus fuerit Spiritus ſanctus in corde ipſius.

Idem de S. Spir. adora.

XI. Sicut navis, quantumcunque rebus aliis ſit inſtructa, moveri non poteſt, niſi per per venti operationem; ita, licet adſit ſermonis ampla ſupellex, profunda eloquentia ac intelligentia, niſi tamen etiam Spiritus ſanctus cooperetur, & virtutem movendi ſuppeditet, otioſa erunt omnia.

S. Bernard. tr. de vit. ſolit.

XII. Sicut non habet corpus, unde vivat, niſi de ſpiritu; ſic affectus Hominis, qui Amor dici-

dicitur, non vivit, hoc eſt, non amat DEUM, niſi de Spiritu ſancto.

Marchant. in hort. Paſt. tr. 4. prop. 4.

XIII. Sicut terra ſine aqua nec conſiſtentiã habet, nec veſtitur herbis, nec ornatur floribus nec producit fructus, ſed eſt inanis & vacua; ſic anima ſine gratia Spiritûs nec tentationibus reſiſtit, ſed ſicut pulvis jactatur à facie venti, nec veſtem habet juſtitiæ, nec ornatum ſapientiæ, nec fructum bonorum operum.

Utilitas.

Fab. conc. 2. in Dom. 4. poſt Paſch.

XIV. Sicut Mater Infantem deſerens, Nutricem ei relinquit: Pater Filium à ſe ablegans, Pædagogum ei aſſignat; ita Chriſtus ab Eccleſia recedens non reliquit eam Orphanam, ſed Paraclitum ei dedit.

S. Cyrillus Catech. 16.

XV. Sicut Paradiſum totum fons unus irrigavit, & una pluvia in univerſum deſcendit mundum, quæ alba quidem fit in ſpinis, rubra in roſis, purpurea in hyacinthis, ac in diverſis ſpeciebus diverſa, & in omnibus fit omnia, cùm nihilominus eadem ſit, ejuſdémque ſpeciei; ſic & Spiritus ſanctus cùm ſit unus & idem, & non diviſibilis, unicuique dividit gratiam, prout vult.

S. Chryſ. in ep. ad Hebr.

XVI. Sicut navis, quæ proſpero flatu fertur in Pelago, non poteſt impediri, neque demergi; ſic anima adjuta à Spiritu ſancto, omnibus rebus Superior exiſtit, & omnibus fluctuationibus vitæ eminebit.

S. Baſil. de Spir. ſancto

XVII. Sicut corpora illuſtria, pellucidáque, contracta radio Solis, fiunt & ipſa ſupra modum ſplendida, & alium fulgorem ex ſeſe profundunt; ſic & animæ ſpiritu afflatæ ac ſpiritu illuſtratæ, fiunt & ipſæ ſpirituales, & in alios gratiam emittunt.

Orig. in pſ. 36. ho. 5.

XVIII. Sicut ſi naviges, & in navi poſitus videas terras, & promontoria, & montes tranſeuntia, non quòd illa continuò moveantur, ſed quia tu vento proſpero flante tranſis illa, ſe ſubducere videntur ac fieri; ita & in hoc ſeculo, ſi ſancto Spiritu mentem tuam perflante & ſpirante, ſecundo ac proſpero naviges curſu, pertranſibis ſenſu tuo omnia hæc, quæ videntur, quia temporalia ſunt, & intueris illa, quæ æterna ſunt, ſine dubio dices: Quia hæc omnia, quæ videntur, jam non ſunt, quia futura ſunt.

Didym. Alexandr. l. 1. de Spir. ſancto.

XIX. Sicut diſciplinæ & virtutis aſſumptor, ſignaculum & figuram (ut ita dicam) in ſuum ſenſum recipit ejus ſcientiæ, quam aſſumpſit; ſic & is, qui Spiritûs ſancti particeps efficitur, per cōmunionē ejus fit ſpiritualis pariter & ſanctus.

S. Pamph. Mart.

XX. Sicut is, qui aliquâ diſciplinâ plenus eſt, qui perfectè eam habet, eruditè & ſubtiliter de ea poteſt proferre ſermonem; ſic qui Spiritum ſanctum conſummatè acceperunt, ita ut impleantur eo, cum fiducia Verbum DEI loquuntur, quia præſens Spiritus ſanctus dignam DEO vocem miniſtrat.

Fab. conc. 1. in Fer. 2. Pentec.

XXI. Sicut ventus, præſertim vehemens, uti turbo, turres dejicit, arbores evehit, rupes ſcindit; ita Spiritus ſanctus per Apoſtolorum prædicationem, mundum Idololatricum evertit, potentiam, ſapientiam, & eloquentiam Tyrannorum & Philoſophorum ſtravit.

Ibid.

XXII. Sicut Paterfamilias diſtribuit Familiæ ſuæ neceſſaria ad vitam pro cujuſque exigentia; ſic Spiritus S. in Eccleſia partitur dona ſua Fidelibus pro eorum capacitate, ſuóq; beneplacito.

XXIII. Sicut aqua pluvialis è nube effuſa, dum per aëris regionem decidit, in minutiſſimas guttas dividitur, ut in minimas etiam herbas, plantáſque placidè ſe inſinuet, omnibúſque viventibus ſuam portionem diſtribuat; ita Spiritus ſanctus neminem adeò negligit, ut non ſufficientem ei gratiam impertiat ad hoc, ut converti, vivere DEO, ac creſcere in virtutibus poſſit. *Ibid.*

XXIV. Sicut Ductor viæ gnarus, & peritiſſimus Navarchus maximo ſunt ſolatio & præſidio ijs, qui iter terrâ, maríque faciunt; ita etiam Spiritus ſanctus, cùm ſit Dux & Navarchus Eccleſiæ, omnibus Fidelibus ſummam afferre confidentiam debet. *Idem Fer. 3. Penteconte. 1.*

§. VII.

MOTIVA

Ad Spiritum S. amandum & invocandum.

I. NEceſſitas: quia, cùm, teſte S. Auguſtino, quod eſt anima corpori hominis, hoc eſt Spiritus ſanctus Corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia; atque etiam cuivis particulari membro Eccleſiæ; meritò ipſum perinde ut animam noſtram diligere, cuſtodire, ac conſervare debemus; quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ (hujus maximè, ſcilicet Spiritûs ſancti) detrimentum faciat? *S. Aug. ſ. 2. fer. 2 Pentec.* *Matt. 16. v. 26.*

II. *Utilitas*: ſi enim pietas, teſte S. Paulo ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & in futuro; quantò magis ipſe Pietatis Author S. Spiritus hanc utilitatem in ſupremo gradu continebit? *1. Tim. 4. v. 8.*

III. *Dignitas*: ſi enim tanto majori æſtimatione ac honore res quælibet digna cenſetur, quantò præſtantior eſt forma, ex qua componitur; quis neget ſummo honore dignum eſſe eum, qui Spiritum ſanctum velut alteram animam ſibi unitum habet? *Anonymus*

IV. *Jucunditas*: ſi enim tam jucundum ac gratum eſt, cor amore creato occupatum habere; quanta erit voluptas amore increato pectus animámque impletam experiri?

§. VIII.

MEDIA.

Ad Spiritum S. recipiendum.

I. P*Eccati fuga*: ſicut enim vultuum imagines non in qualibet materia redduntur, ſed in ijs duntaxat, quæ lævorem & pellucentiam quandam habent; ita non in quibuslibet mentibus operatio Spiritûs, ſed ijs, quæ nihil habent obliquum, nihil obtortum. *S. Chryſoſt. in Iſaiam.*

II. *Carnalium delectationum odium*: nam ſicut aranearum ſtamina flatum venti non ſuſcipiunt; ita nec anima ſecularis, nec homo animalis gratiam poterit Spiritûs ſancti ſuſcipere, ut rectè advertit S. Chryſoſtomus; poterítque hinc non immeritò illud Geneſis dictum applicari: Non permanebit Spiritus meus in Homine, quia caro eſt. *S. Chryſ. ho. 24. in epiſt. ad Hebr.* *Gen. 6. v. 3.*

III. *Pu-*

[*Act. 2. v. 37.*] III. *Pœnitentia ſuſceptio :* ſic enim S. Petrus Judæis dicentibus : Quid faciemus, Viri Fratres ? reſpondit : Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquiſque veſtrûm in nomine JESU Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritûs ſancti.

[*Luc. 11. v. 13.*] IV. *Orationis frequentatio :* ſic enim Chriſtus ipſe indicavit, dum dixit : Si ergo vos, cùm ſitis mali, nôſtis bona data dare Filiis veſtris, quantò magis Pater veſter de cælo dabit [*Act. 1. v. 14.*] Spiritum bonum petentibus ſe ? Hinc & Apoſtoli accepturi Spiritum ſanctum, erant perſeverantes in oratione unanimiter.

V. *Pacis & concordiæ ſtudium :* quia, ut [*S. August. ſ. 2 ad FF. in Erem.*] rectè advertit S. Auguſtinus, ſicut Spiritus humanus nunquam vivificabit membra, niſi fuerint unita ; ſic Spiritus ſanctus nunquam nos vivificabit, niſi pace uniti fuerimus. Hinc & [*Eccl. 25. v. 1.*] per Siracidem dixit DEUS : In tribus placitum eſt Spiritui meo, quæ ſunt probata coram DEO & Hominibus : Concordia Fratrum, & Amor Proximorum, & Vir & Mulier bene ſibi conſentientes.

VI. *Quietis amor :* ita enim ipſe iterum [*Act. 1.*] DEUS indicavit, dum Apoſtolos Spiritum ſanctum accepturos ſedere voluit, & cum quiete orationi vacare ; ſicut enim Apes fugiunt loca inquieta, & mella non colligunt, niſi locis pacatis & à turba ſemotis ; ita Spiritus ſanctus quietem in cordibus, in quibus operatur, requirit.

[*Beyrlinck Far 2 Pentec. 10 3.*] VII. *Bonorum operum & virtutum exercitium :* ſicut enim lucernæ lumen oleo fovetur, eóque conſumpto illud quoque evaneſcit ; ita Spiritus ſanctus quoque, velut animæ lumen & ignis, non niſi bonis operibus cuſtoditur.

§. IX.

ASCETICA.

I. QUinque ferè ſunt, quæ Aſceta præcipuè de hoc diviniſſimo Spiritu ſcire, aliósq; docere debet. Primum eſt, ut bene cognoſcat naturam & proceſſionem ejuſdem, quòd ſcilicet ſit verè idem cum Patre & Filio DEUS, ab utroque tamen procedens ; nam dum Pater ſeipſum & ſuam eſſentiam comprehendens, producit vivum conceptum & perfectam imaginem ſui, quaſi in ſpeculo ſuæ eſſentiæ ſe contemplans, & hæc imago Filius eſt, ejuſdémque cum Patre ſubſtantiæ, dicitúrque Verbum DEI : quem Filium dum Pater amat amore infinito, quia bonitas infinita eadem, & infinitæ perfectiones in ipſo ſunt ; & ob eandem cauſam etiam à Filio viciſſim amore infinito amatur, procedit ab utroque tanquam ab uno principio amor infinitus, qui eſt ipſe Spiritus ſanctus. Unde rectè Theologi triplicem amorem in DEO aſſignant, *eſſentialem* & abſolutum, qui eſt omnibus Perſonis communis : *notionalem producentem*, quo Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum : & *notionalem productum*, quo modo Spiritui ſancto appropriatur. Unde meritò colligitur, Spiritum ſanctum eſſe tertiam & diſtinctam Perſonam, quod difficulter probari poſſet, ſi non etiam à Filio procederet. Hinc de Spiritûs ſancti adventu dicitur : *Factus eſt repente ſonus :* ut [*Act. 2.*] indicetur, quemadmodum ſonus ex colliſione duorum corporum exoritur ; ita Spiritum ſanctum ex conjunctâ Patris & Filij ſpiratione, mutuóque amore procedere.

II. Alterum eſt, ut bene cognoſcat *cauſas*, ob quas Spiritus ſanctus miſſus eſt, quarum tres aſſignat Ludovicus de Ponte, ſcilicet [*Lud. de Ponte. p. 5. med. 21.*] 1. *Caritatem* DEI & bonitatem infinitam, quæ, uti movit ipſum ad Unigenitum Filium dandum, ita etiam ad Spiritum ſanctum mittendum permovit ; ut, quemadmodum Amicus ſuum amorem abundantiùs oſtendere volens, poſtquam omnia ſua dedit, etiam cor dare optat ; ita & ipſe poſt Filium ſuum datum, etiam cor ſuum, id eſt, Spiritum ſanctum dater. 2. *Merita Chriſti :* qui morte, & paſſione ſua hanc gratiam promeruit, ſedénsque ad dexteram Patris velut Advocatus noſter, hunc Paracletum petivit, & obtinuit, ut impleret, quod promiſerat dicens : Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. [*Ioan. 14. v. 16.*] 3. *Noſtram neceſſitatem & miſeriam :* quæ exigebat, ut Conſolator de cælo mitteretur, ſicque impleretur illud Davidis : Miſericordia & Veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt.

III. Tertium eſt, ut Fines miſſionis hujus etiam cognoſcere ſtudeat, quorum quatuor aſſignat idem Ludovicus de Ponte, videlicet [*Lud. de Ponte l. c. punct. 2.*] 1. Ut Chriſto ſuccederet in officio Protectoris, Advocati, & Conſolatoris ; hinc ipſe Chriſtus dixit : Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum. [*Ioan. 14. v. 16.*] 2. Ut Eidem in officio Magiſterij ſuccederet ; hinc iterum dixit Chriſtus : Cùm venerit Paraceltus Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo (hoc eſt, loco mei) [*Ibid.*] ipſe vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia. 3. Ut internè illis teſtimonium daret de Chriſto, quis eſſet. 4. Ut hujus Mundi vitia reprehendat, corrigat, eúmque de illis convincat ; uti iterum Chriſtus dixit his verbis : Cùm venerit ille Paracletus, arguet Mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio. [*Io. 16. v. 8.*]

IV. Quartum eſt, ut dignam de hac ſacratiſſima Perſona æſtimationem concipiat, quam quidem facilè hauriet, ſi bene ponderet, hoc eſſe donum illud, quod Chriſtus in cælum aſcenſurus Mundo miſſurum ſe promiſit ; ex hoc enim meritò colligitur, illud omnium donorum præſtantiſſimum, Eccleſiæq; ac membris ejus utiliſſimum eſſe debere, cùm ſit utique amori Chriſti infinito, quo humanum genus ſemper amplexus eſt, proportionatum.

V. Quintum eſt, ut ſolidum ſciat modum diſponendi ſe ad recipiendum hunc diviniſſimum hoſpitem, qualis quidem optimus eſt, ſi cor ab omni amore creato evacuetur ; nam, ut rectè advertit S. Bernardus, errat omnino, [*S. Bern. ſ. 6. de aſcenſ.*] ſi quis cæleſtem illam dulcedinèm huic cineri, divinum illud balſamum huic veneno, cha-

riſmata illa Spiritûs miſceri poſſe Mundi hujus illecebris arbitratur. Quis enim ſectans lenocinia carnis ſuæ, ſperare audeat gratiam illam Spiritûs vehementis, quam ne cum ipſa quidem carne verbi obtinere Apoſtoli potuerunt? *Idem in Cant.* Hinc idem S. Doctor alibi ait: Quomodo agnoſcere potero Spiritûs hujus præſentiam? non oculis, quia colore caret: non auditu, quia ſonus non eſt: non olfactu, quia ſine odore eſt. Cognoſcam ergo illum mutatione cordis mei, cùm à terreno illud cæleſte factum video, è carneo ſpirituale.

§. X.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Matth. 16. v. 26. I. EX occaſione thematis: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum Mundum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur?* poteſt Spiritus ſanctus animæ comparari. Et 1. quidem oſtendi, quomodo exerceat officium quadruplex animæ, ſc. id, quo *vivimus*, id eſt, *vegetamur*, & alimentum triplex, Verbi DEI, mandatorum divinorum, & SS. Euchariſtiæ attrahimus: fit id, quo *ſentimus*, id eſt, *videmus* nos ipſos, creaturas, DEUM; *audimus* loquentes nobis utilia DEUM & Homines; *odoramur* exempla Chriſti, & Hominum ſanctorum; *guſtamus* cæleſtia, & nauſeamus vanitates Mundi; *tangimus* pericula, ſentientes frigus animæ, ignem concupiſcentiæ, fugeréque conamur: fit id, quo *movemur*, deſerentes creaturas velut terminum à quo, & per Chriſti velut viæ noſtræ imitationem, tendentes ad DEUM, velut terminum ad quem: fit id, quo *intelligimus*, apprehendentes & æſtimantes cæleſtia, *judicamus* ſincerè de DEO & Proximo, aliíſque rebus: appetimus & eligimus virtutes, averſamur vitia: meminimus DEI, & delectamur in eo; peccatorum noſtrorum, & deteſtamur illa. 2. Oſtendi poteſt, quomodo hanc animam & ſpiritum tueri & conſervare debeamus, cavendo ſedulò omnia ea, quæ unionem cum ea tollere poſſunt, ſcilicet ne per ignem concupiſcentiæ comburamur: per aquam delectationum terrenarum ſuffocemur: per latrones, id eſt, malos ſocius jugulemur: per vulnera peccati pereamus: defectu cibi ſpiritualis ſeu impletionis mandatorum divinorum, Verbi DEI, Euchariſtiæ, fame ſpirituali contabeſcamus: aut ob reſpirationem ſeu orationis ſtudium impeditum ſtrangulemur: ne ex alto præcipitati Spiritum elidamus &c. ſed potiùs ſemper ob oculos habeamus illud Salomonis monitum: *Prov. 4. v. 23.* Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit. Vide Engelgr. in Feſto Pent. §. 2.

Luc. 12. v. 49. II. Ex occaſione ſententiæ: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur?* poteſt oſtendi, cur in ſpecie ignis apparuerit Spiritus ſanctus. Nempe 1. quia ignis aptè ſignificat ejus Divinitatem (ſemper enim pro Symbolo Divinitatis habitus eſt ignis, unde & Imperatores, teſte Alexandro ab Alexandris, *Alex. ab Alexandr. l. 1. geneal.* ſacrum ignem, velut imaginem imperij, ſibi præferri ſinebant, eóque præcipuo inſigni, & ſingulari ornatu utebantur) & Perſonalitatem (nam uti ignis in ſphæra ſua nihil producit, extra ſe verò plurima, ita Spiritus ſanctus intra ſe nihil, extra ſe verò omnia cum Patre & Filio producit. 2. Quia per ignem ſignificatur aptiſſimè primarius ejus effectus, qui eſt calefacere, & accendere, & omnia in ſe convertere, calore & fervore caritatis DEI & Proximi, id quod facilè exemplo SS. Apoſtolorum & primorum Chriſtianorum probari poteſt. 3. Quia per ignem pulcherrimè etiam ſignificantur ſeptem dona, velut nobiliores operationes S. Spiritûs; nam ſicut ignis conterit petras, & montes ſubvertit, ita Spiritus ſanctus ſuperba corda per donum timoris compeſcit: Sicut ignis liquefacit congelata & indurata objecta, ita Spiritus ſanctus frigidas & congelatas mentes liquefacere in lacrymas cogit, juxta illud Davidis: Flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ: Sicut ignis conſolidat humida & viſcoſa, ita Spiritus ſanctus per donum fortitudinis vaſa electionis conſolidat, & ad omnes tribulationes fortiter ferendas indurat: Sicut ignis lucem, ardorem, calorem producit, & omnia penetrat, ſempérque ſurſum tendit, ita Spiritus ſanctus ſurſum tendere facit per donum ſapientiæ, illuminat per donum ſcientiæ, penetrare omnia facit per donum intellectûs, & tandem torporem excutit per donum conſilij. Unde meritò quivis cum S. Auguſtino exclamet: O ignis ſancte! quàm ſuaviter ardes, *Apud Marchant. tr. 4. lect. 2. in fin fol. 209.* quàm ſecretè luces, quàm deſideranter aduris! Væ iis, qui ex te non ardent, qui per te non lucent; tempore enim ſuo nauſeam & vomitum DEO provocant, & caligine circumdati, ad ignem tenebroſum pergunt. Quod ne fiat, oremus cum Eccleſia: Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda Fidelium, & tui in nobis amoris ignem accende. Et iterum: Illo nos igne, quæſumus, Domine, Spiritus ſanctus inflammet, quem Dominus noſter JESUS Chriſtus miſit in terram, & voluit vehementer accendi. Qui tecum vivit &c. Vide Marchant. l. c.

III. Ex occaſione thematis: *Factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam Spiritûs vehementis:* poteſt Spiritus ſanctus vento comparari. 1. Quia ſicut venti originem nemo ſcire potuit, ita nec Spiritûs ſancti; hinc S. Joannes ait: Spi- *Jo. 3. v. 8.* ritus, ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, & neſcis, unde veniat, aut quò vadat. 2. Quia eaſdem habet proprietates cum vento vehemente; ut enim hic eſt velociſſimus, omniáq; ſibi ſubjicit, dejiciendo turres, ſcindendo rupes, arbores evellendo; ita Spiritus ſanctus neſcit tarda molimina, & omnia, quæ ipſi adverſantur, potenter vincit, uti in primo Adventu ſuo ſuper Apoſtolos ſufficienter oſtendit, per quos totam Gentilitatem, ipſúmque adeò infernum etiam fortiſſimè expugnavit, ſibíque ſubjecit. 3. Quia eoſdem etiam effectus & commoda habet cum vento; ut enim hic aërem pur-

gar

gat ac ſerenum efficit, calorem æſtûs temperat, agros fertiles reddit, naves propellit, molas verſat; ita S. Spiritus purgat animam à peccatis, ſerenam facit conſcientiam, mitigat nimium calorem concupiſcentiæ, fructuoſas efficit mentes hominum, propellit in via perfectionis, & molas frumentum ſpirituale Verbi DEI conterentes, id eſt, Prædicatores animat, atque ad idem Verbum DEI dignè tractandum inſtruit: quæ omnia facilè per exempla, ab Apoſtolis & primis Chriſtianis deſumpta, confirmari poſſunt. Vide Fabrum conc. 1. in Fer. 3. Pent. aut Beſſæum in Dom. Pentec.

Act. 2. v. 3. IV. Ex occaſione thematis: *Apparuerunt illis diſpertita linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum*: poteſt oſtendi, cur Spiritus ſanctus in linguis igneis apparuerit, nimirum 1. Ut oſtenderet, ob quem potiſſimùm finem miſſus ſit, ſcilicet propter geminam flammam caritatis DEI & Proximi accendendam, id quod mox in exemplo Apoſtolorum & aliorum primorum Chriſtianorum patuit, utpote qui & ſuum erga DEUM amorem, tum abſtinendo, tum ſuſtinendo, ipsáque morte tam glorioſè obitâ; & ſimilem erga Proximum caritatem, dum eorum erat cor unum & anima una, tam egregiè probârunt. 2. Ut oſtenderet, quo medio potiſſimùm hanc duplicem flammam in cordibus hominum eſſet accenſurus, ſcilicet per ferventes & Zeloſos Prædicatores, qui non verbo magis, quàm exemplo, duplicis hujus caritatis duplicem legem eſſent promulgaturi, id quod diſpertitæ linguæ ſignificabant, & etiam Eccleſia indicat, dum in hymno quodam canit: Ignis vibrante lumine linguæ figuram detulit, verbis ut eſſent profluì, & caritate fervidi. Et confirmat

S. Greg. ho. 30. ſuper Evang. S. Gregorius, dum ait: In linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes, quos repleverit, ardentes pariter & loquentes facit. Linguas igneas Doctores habent, quia, dum DEUM amandum prædicant, corda audientium inflammant. Vide Fabr. conc. 2. in Fer. 2. Pentec.

Act. 2. v. 4. V. Ex occaſione thematis: *Repleti ſunt Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis*: poteſt dici, adveniſſe novum Magiſtrum linguarum, ſcilicet Spiritum ſanctum, & 1. Oſtendi, quales linguas potiſſimùm doceat, ſcilicet *Hebræam*, quæ eſt divina lingua, & docet nos rectè cum DEO in orationibus loqui, id quod per donum ſapientiæ efficit Spiritus S. *Latinam* ſeu *Romanam*, quæ docet nos loqui conformiter Eccleſiæ Catholicæ, & veræ Fidei, quod per donum Intellectus obtinetur: *Græcam*, id eſt accentus præ alijs linguis ſtudioſè obſervantem, atque adeò circumſtantiarum, quæ in loquendo ſervari debent, obſervationem commodè deſignantem, ad quem finem donum conſilij à S. Spiritu datur: *Hiſpanam*, id eſt, gravem, ita ut, quemadmodum S. Bernardus monet, vox ipſa non ſit remiſſa, non fracta, nihil fœmineum ſonans, ſed formam quandam & regulam, & gravitatem virilem ſervans; ad quod obtinendum Spiritus S. confert donum timoris, quo reverenter & caſtè velut DEO præſente & audiente loquamur: *Italicam* utpote ornatam & urbanam linguam, ut ſcilicet, quemadmodum S. Ignatius in reg. modeſtiæ monet, in omnibus verbis & geſtibus modeſtia & humilitas cum religioſa maturitate appareat; ut enim molliculum aut infractum vocis ſonum aut geſtum corporis non probo, inquit S. Bernardus, ita nec agreſtem & ruſticum: pro hoc fine donum ſcientiæ datur decorum ab indecoro diſcernere docens: *Gallicam*, id eſt, ſuavem & humanam, quia in adhortationibus, reprehenſionibus, & læſionibus præcipuè utendum, utpote in quibus caſibus ſemper Spiritus amoris potiùs, quàm timoris regere linguam deberet, quod per donum pietatis non difficulter obtinetur: *Germanam*, id eſt veracem & ſinceram, ad quam loquendam, quia ſæpe reſpectus humanus & timor incommodorum ſuperandus eſt, meritò donum fortitudinis à S. Spiritu confertur. 2. Afferantur motiva, cur pro his linguis addiſcendis libenter hunc Magiſtrum adire & audire debeamus, videlicet tum ob ipſius excellentiam ac peritiam, quam in exemplo Apoſtolorum ſatis oſtendit, (primus autem diſcendi ardor eſt nobilitas Magiſtri,) tum ob linguarum iſtarum neceſſitatem & utilitatem, ac facilitatem, quæ omnia facilè uberius demonſtrari poſſunt.

VI. Ex occaſione thematis ſuprà allati: *Act. 2. v. 3.* *Et apparuerunt illis diſpertita linguæ*: poſſet dici, ideo etiam Spiritum S. in linguis apparuiſſe, ut oſtenderet, ſe ad artem loquendi utpote omnium difficillimam, quam, qui novit, perfectus eſt vir, teſte S. Jacobo, docendam adveniſſe, unde de hac arte per tres Ferias Pentecoſtes tres utiles conciones inſtitui poſſent. Et in prima quidem afferri quinque regulæ, quæ ab iſta arte præſcribuntur, ſcilicet ut *piè* (id eſt, ab omni noxa abſtinentes) *catholicè*, *conſideratè*, *caritativè ſeu benignè*, & *veraciter ſeu ſincerè* loquamur. In ſecunda explicari poſſent quinque motiva impellentia ad hanc artem addiſcendam, ſcilicet *neceſſitas*, *utilitas*, *dignitas*, *jucunditas*, & *facilitas* hujus artis. In tertia ſuppeditari poſſent quinque media ad eandem addiſcendam, videlicet *oratio*, *ſilentij amor*, *tarditas* in loquendo ad conſiderationem verborum ſerviens, *mulcta* pro tranſgreſſionibus impoſita, & *radicis*, ex qua defectus in loquendo oriuntur, *extirpatio*, quæ radix à Thoma Kempenſi indicata eſt, dum dixit: Multùm libenter de his, quæ multùm diligimus, vel cupimus; vel quæ contraria ſentimus, libet loqui & cogitare. Pro quibus omnibus fuſiùs deducendis poterunt non modicè ſervire, quæ Rodriquez p. 2. tr. 2. habet.

VII. Ex occaſione thematis ſupra citati: *Luc. 12. v. 49.* *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur*? poſſet per easdem tres Ferias Pentecoſtes oſtendi, quomodo Spiritus S. ignem triplicis caritatis in cordibus accendat. Et primo quidem die oſtendi poſſet, quomodo ignem caritatis erga DEUM accendat, id quod

per tres præcipuos actus caritatis divinæ facilè probari poſſet, ſcilicet *per intentionis puritatem*, quâ ſemper ſurſum tendit ut ignis : *per actionis intenſionem*, quâ omnia cum fervore agit, quæ DEO placere novit : *per adverſitatum tolerantiam*, quâ amor maximè probatur. altero die oſtendi poſſet, quomodo ignem amoris proximi accendat, impellendo ad obſervandas binas regulas hujus caritatis, ſcilicet ut, quæ fieri nobis nolumus, alteri non faciamus. Et quod nobis fieri optamus, proximo quoque præſtemus. Tertio die oſtendi poſſet, quomodo ignem caritatis ordinatæ erga nos ipſos accendat, adjuvando, ut regulas tres ab hac caritate præſcriptas ſedulò obſervemus, videlicet ut finem, propter quem conditi ſumus, ob oculos ſemper habeamus; media ad eundem neceſſaria ſedulò adhibeamus, qualia ſunt virtutes & opera bona: impedimenta ab eo abducentia, qualia ſunt paſſiones inordinatæ, & peccata inde prodeuntia, fortiter removeamus. Quem in finem ſervire poſſunt Fabri conciones. 6. in Fer. 2. Pentec. 2. in Dom. 12. & 17. poſt Pent.

Pſ 142. v. 10. VIII. Ex occaſione thematis : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*: poſſunt potiores Spiritus S. proprietates & operationes explicari, & 1. quidem oſtendi, quàm verè dicatur Spiritus bonus tum propter intrinſecam bonitatem, tum propter extrinſecam hominibus communicatam. 2. Oſtendi poteſt, *quomodo deducat*, ſcilicet ut olim Iſraëlitas, per columnam nubis (id eſt, beneficia ac promiſſiones ſuas) in die proſperitatis, & per columnam ignis ſeu ardentem caritatem, in nocte adverſitatis. 3. Oſtendi poteſt, quomodo deducat *in terram* rectam, id eſt, terram promiſſionis, melle & lacte abundantem, id eſt, cæleſtem Patriam. Quæ fuſiùs deducta videri poſſunt apud Marchant. tr. 4. lect. 1. in Horto Paſtorum.

Eph. 4. v. 8. IX. Ex occaſione thematis : *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* : poteſt dici Spiritum S. eſſe hoc donum, utpote qui pluribus ex capitibus ſummè ſit æſtimandus, ideóque meritò multis donis æquiparandus. 1. Quia eſt donum præſtantiſſimum, ſi in ſe ſpectetur, cùm ſit infinitæ bonitatis & dignitatis. 2. Quia etiam is, qui donat, eſt altiſſimus DEI Filius, omnes homines dignitate infinities ſuperans. 3. Quia affectus dantis eſt pariter infinitus, cùm ab infinitate donantis accipiat dignitatem ſuam. 4. Quia etiam reſpectu noſtri eſt donum maximum, utpote infinitam utilitatem continens, cùm pietas, quæ eſt particula duntaxat hujus bonitatis, ſit ad omnia utilis, teſte S. Paulo. Meritò ergo hoc donum ſummè æſtimandum, deſiderandum, petendom, excipiendum, conſervandum. Quæ omnia fuſiùs apud Fabrum conc. 3. in Fer. 2. Pentec. videri queunt.

4. Reg. 10. v. 15. X. Ex occaſione thematis : *numquid eſt cor tuum rectum cum corde meo ſicut cor meum cum corde tuo ?* poteſt Spiritus S. cor Eccleſiæ dici, utpote cujus velut corporis myſtici caput ſit Chriſtus, collum Deipara, oculi Antiſtites, Lingua Doctores, Dentes Religioſi, Aures Confeſſarij, manus & pedes cæteri Fideles, cor autem ipſe Spiritus S. idque ob tres cauſas. 1. Quia ſicut cor eſt ſedes amoris, ita & Spiritus S. eſt ſedes amoris illius, quo Pater & Filius ſe mutuò amplectuntur. 2. Quia ſicut cor eſt fons caloris & Spirituum vitalium, quos toti corpori ſubminiſtrat; ita Spiritus S. eſt origo gratiæ, omniúmque virtutum. 3. Quia ſicut cor, teſte Iſidoro, à cura dictum eſt, quia perpetuò vigilat, & in motu eſt; ita & Spiritus S. perpetuò vigilat pro Eccleſia, eámque in membris ſuis animat, conſolatur, inſtruit, arguit, punit, ut meritò dicere poſſit Eccleſia : Ego dormio, & cor meum vigilat. Cùm ergo cor ſuum dederint DEUS & Chriſtus, & cor iſtud ſit rectiſſimum, quia amat rectiſſimè, id eſt, propter optimum finem : ſinceriſſimè, id eſt, non nudis verbis, ſed etiam opere & veritate : conſtantiſſimè, quia uſque in finem; meritò hæc eadem in noſtro quoque corde viciſſim requirit DEUS, quod proinde, quomodo in praxi fieri debeat, paulò explicatiùs eſt oſtendendum. *S. Iſid. l. 11. Etymol.* *Cant. 5. v. 2.*

XI. Ex occaſione thematis : *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis* : poteſt oſtendi, quàm perfectè Spiritus S. Conſolatoris munere fungatur, nempe quòd 1. *ſciat*, *poſſit*, & *velit* conſolari, ex quorum trium defectu plerumque vana aut nulla eſt hominum conſolatio. 2. Quòd *ſolidè* & *copiosè* conſoletur, cùm ſit fons & origo veræ & ſolidæ bonitatis. 3. Quòd *conſtanter* conſoletur, utpote qui nullis temporum aut locorum circumſtantijs circumſcribatur, & coërceatur. Excitentur proinde Auditores, ut, quoniam ex una parte dulciùs ex ipſo fonte petuntur aquæ; ex altera verò conſolationes & delectationes carnales cum ſpiritualibus ſubſiſtere non poſſunt illas generoſo animo contemnant, ut his tantò copioſiùs frui mereantur. *Io. 14. v. 16.*

§. XI.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. AD ignem ab initio ſuccendendum utimur ſtamine, ſtuppâ, & ſimili tenui materia; at jam ſuccenſo grandiora inijcimus ligna; ſic Spiritus S. primo in Apoſtolis velut vilibus feſtucis accenſus erat, poſtea Reges, Principes, totúmque orbem pro alimento habuit. *Beſſæus in Dom. Pent.*

II. Ethnici in medio aræ perpetuò ignem fovebant, quaſi mediatorem inter Deos & Homines; quidni magis ignis divinus, ſcilicet Spiritus Sanctus ob hanc cauſam in pectore Chriſtiano foveatur? *Ibid.*

III. Legatis olim pro inſigni legationis lingua dabatur; Sed & Dijs pro felici Legatis ſucceſſu linguæ offerebantur. Simile quid SS. Apoſtolis factum. *Ibid.*

IV.

Exod. 14. IV. Reliquiæ Agni Paſchalis igne abſumi debebant; quidni ergo & Apoſtoli, velut reliquiæ ex Agno in cruce immolato relictæ?

Beſſ. l. c. V. Ventos Perſæ inter Deos numerabant, quòd iis vitam hominum acceptam ferrent; at errabant, at Spiritus S. eſt ventus, in quo vivimus, movemur, & ſumus.

Ibid. VI. Cor Caligulæ Cæſaris, cùm cadaver in rogo fuiſſet exuſtum, ab igne intactum manſit; conſulti Augures reſponderunt, veneno plenum eſſe, unde theriacâ perlitum facilè exuſtum eſt. Idem contingit Hominibus, cor peccati veneno infectum habentibus, nam & hi ignem S. Spiritûs recipere oon poſſunt, donec theriaca pœnitentiæ perlinantur.

Idem. Fer. 3. Pent. VII. Nilus ſeptem oſtijs in mare devolvitur; Spiritus Sanctus per ſeptem dona in animas hominum.

Neceſſitas.

Ibid. VIII. Duæ terreſtres Perſonæ interitum humanæ Genti intulerunt; duæ ergo etiam Perſonæ ſalutem afferre debebant, Filius, ut peccata lueret velut ſatisfactor: Spiritus Sanctus, ut elueret velut Sanctificator. Ille, ut hoſtes ejiceret; hic ut præſidium gratiarum imponeret.

Ibid. IX. Eccleſiæ navim inſtruxerat Chriſtus, Gubernatores Apoſtolos dederat, Fideles in Milites, Sacramenta pro armis, virtutes pro telis, crucem pro malo, ſolus ergo ventus deerat, qui deduceret in terram tectam; hic datus eſt.

Utilitas.

2 Par. 7. X. Cùm Salomonis templum dedicandum eſſet, ignis de cælo lapſus id dedicabat; ſimiliter Spiritus S. templa ſpiritualia, Apoſtolos, aliòſque Fideles dedicavit.

Beſſæus in Dom. Pentec. XI. Cùm domus peſte infecta eſt, igne purgatur; unde Hipocrates ad Græciam hâc lue infectam purgandam, totam ſilvam incendit, & ſic feliciter Patriam liberavit. Graviori peſte infectum Mundum DEUS per Spiritûs S. ignem liberavit.

Ibid. XII. Tria ſemper expiationum genera fuerunt, ventus, aqua, ignis; eadem pro Mundo adhibita per Spiritum ſanctum.

Ibid. Beſſ. XIII. Figulus vaſa è molli luto efficta, igne durat; ita & Spiritus ſanctus mollia corda Fidelium ſuæ caritatis igne conſolidat.

Ibid. XIV. Tormenta bombardica onerata pulvere & igne, à nemine timentur, ſecùs, ſi utroque inſtructa ſint; idem contigit Apoſtolis nondum Spiritu ſancto repletis.

Iud. 7. XV. Gedeon Lampades ardentes tradens militibus, Madianitas debellavit; ſic Spiritus ſanctus Apoſtolis ſuis lampades caritate & ſapientiâ lucentes tradens, Mundum devicit.

Beſſ. l. c. XVI. Cùm campanæ fundendæ ſunt, magno igne opus eſt; quidni ergo ad Apoſtolos, velut Campanas totum orbem ad cultum DEI convocaturas, cæleſtis & maximus ignis rectè adhiberetur?

Idem Fer. 3. Pentec. XVII. Euripum, ſepties in die reciprocari ſolitum; cùm capere non poſſet Ariſtoteles, in eum ſe præcipitem dedit, dixitque: Quia te non capio, tu me cape. Quantò magis hoc reſpectu S. Spiritûs, per ſeptem dona toties in mentes hominum reciprocari ſoliti, dicendum eſt?

Beyrlinck in Fer. 2. Pentec. XVIII. Olim dum totus Mundus diluvio aquarum merſus erat, ſola columba illius tempeſtatis oſtendit finem, dum emiſſa extra arcam ramum olivæ virentibus folijs ore detulit, pacem mundo reſtitutam annuntians. Idem poſtea fecit S. Spiritus in columbæ ſpecie ſuper Chriſto apparens.

Ibid. XIX. Si campi, vineæ, horti, diutinâ hominum ſocordiâ excreverint in ſilvas, nihil igne ad illos à ſpinis purgandos eſt aptiùs, cùm ergo & orbis terrarum ſpinis errorum fuiſſet obſitus, meritò hic ignis cæleſtis miſſus eſt, qui eum antè, quàm ab Apoſtolis excoleretur, purgaret.

Dignitas.

Beſſ. in Dom. Pent. XX. Cùm olim in capite L. Martij flammula apparuiſſet, Augures regnum ei offerendum portendi augurabantur; rectiùs hoc de Spiritu S. ſuper capita Apoſtolorum in ſpecie ignis apparente dicitur.

§. XII.

AUTHORES.

I. JAcobus Marchantius. in Horto Paſtorum. tract. 4.

II. Laurentius Beyrlinck. in theatro vitæ humanæ v. eodem. Item in promptuario mor. Fer. 2. Pent. te. 3.

III. Petrus Beſſæus in Dominica & Fer. 3. Pentec.

IV. Matthias Faber in Dom. Pent. conc. 2. 3. 4. 5. Item Fer. 2. Pent. conc. 1. 2. 3. 4. Item Fer. 3. Pent. conc. 1. Item in Auctario. Dom. Pent. them. 2. Item Fer. 2. Pent. them. 1. 2. Item Fer. 3. them. 1. 2. 3.

V. Ludovicus Granatenſis in locis comm. fol. 40.

VI. Petrus Caniſius p. 1. in explic. 9. articuli ſymboli Apoſtolorum.

VII. Joannes Major in ſpeculo Magno exemplorum v. eodem. & v. Confeſſio.

VIII. Antonius Daurolrius in Catechiſmo hiſtoriali c. 1. Tit. 50.

IX. Henricus Engelgrave. in ſolemnitate Pentec.

Digitized by Google

TITULUS XXVI.

TENTATIO.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Beirlinck. in theatro vit. hum. v. eod. Petrus Chryſol. ſ. 71.

EST dictum vel factum ad capiendum de aliquo experimentum, juxta Laurentium Beyrlinck. Secundùm Petrum Chryſologum verò, eſt ſpecies fallens, quæ proſpera in adverſis, adverſa occultat in proſperis, humanámque ignorantiam doloſos educit in lapſus.

Diviſio.

II. Dividi poteſt 1. in Divinam Diabolicam, & humanam. *Divina* eſt, quâ DEUS hominem tentat, ut probet, quâ ratione Salomon ait: Quoniam DEUS tentavit eos, & invenit illos dignos ſe. Et Moyſes ad Populum dixit: Tentat vos DEUS veſter. Nec huic contrarium eſt, quòd S. Jacob dicat, DEUM neminem tentare; hoc enim duntaxat de tentatione ad ſeductionem intelligendum eſt. Tribus modis autem, ut ait S. Gregorius, nos Conditor noſter interrogare conſuevit, cùm aut flagelli diſtrictione nos percutit, &, quanta nobis inſit, vel deſit patientia, oſtendit: aut quædam, quæ nolumus, præcipit, & noſtram nobis obedientiam patefacit: aut aliqua nobis occulta aperit, & aliqua abſcondit, & nobis menſuram humilitatis noſtræ innoteſcit. Tentare quippe DEI eſt, nos magnis juſſionibus interrogare. Scite quoque ejus, eſt nôſſe noſtram obedientiam nos facere. *Diabolica* eſt, quâ Dœmon nos tentat, quod, teſte P. Cornelio Viſchavæo Soc. JESU Sacerdote, tribus etiam modis facit, *Haſtâ*, cùm quaſi eminus rerum extentarum ſpecie objectâ ſollicitat: *gladio*, cùm per corpus noſtrum nos cominus aggreditur: *ſeipſo*, cùm phantaſiam ipſam invadit, eámque variè movet, & hoc certamen tertium eſt graviſſimum, quo maximè viros deditos pietati oppugnat, hæcque non ultima cauſa eſt, cur viros bonos è ſæculo DEUS ad Religionem vocet, ut Magiſtri, quorum hâc in pugna inſtitutio, rectiúsque eſt neceſſaria, ſuppetant, quorum ductu à præſtigijs tuti, expeditum in virtutis ſtadio teneant curſum. Porro circa hanc & priorem tentationis ſpeciem rectè notat S. Ambroſius, quòd aliter DEUS, aliter Diabolus tentet. Nam Diabolus tentat, ut ſubruat: DEUS, ut coronet, & probet. Unde David rogat: Proba me DEUS, & tenta me. *Humana* eſt, quâ ab Homine tentamur, & apud Magiſtros ſpirituales frequens eſt. Paulò aliter humanam explicat S. Gregorius, dum ait: Mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cùm pulſat, ſed cùm hanc ſibi per delectationem ſubjugat. Hinc etenim Prædicator egregius dicit: Tentatio vos non apprehendat niſi humana. Humana quippe tentatio eſt, quâ plerumque in cogitatione tangimur etiam nolentes, quia ut nonnunquam & illicita ad animum veniant, hoc utique in nobiſmetipſis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Jam verò Dœmoniaca eſt, & non humana tentatio, cùm ad hoc, quòd carnis corruptibilitas ſuggerit, per conſenſum ſe animus conſtringit.

Sap. 3. v. 5. — *Deut. c. 13. v. 3.* — *S. Iac. ep. 1. v. 13.* — *S. Greg. l. 24. mor. c. 5.* — *Hiſt. Soc. l. 3. n. 58.* — *S. Ambroſ. de Abrah.* — *Pſ. 138. v. 23.* — *S. Greg. l. 21. mor. c. 3.*

III. Aliam diviſionem S. Baſilius aſſignat his verbis: Duplex eſt tentationum genus; nam vel corda hominum, tanquam aurum in fornace, per patientiam rebus adverſis probantur, quæ ipſorum declarant probitatem; aut certè ipſa vitæ proſperitas tentationis loco eſt; æquè enim durum videtur, in rerum difficultate minimè dejici, ac in felicitate non extolli, ad irrogandam contumeliam.

S. Baſil ho. 6. in Luc.

IV. Bernardus quoque aliam aſſignat, dum ait: Quoties importunè (ut aſſolet,) carnalis cogitatio mentem pulſat, certum nobis ſit, eſſe Spiritum carnis, qui loquitur, & tanquam Adverſarium repellamus eum dicentes: Vade retrò Sathana, quoniam non ſapis ea, quæ DEI ſunt, ſed magis ſapientia tua inimica eſt DEO. Cùm autem non de illecebris carnis, ſed de ambitione ſæculi, de jactantia & arrogantia, cæteriſque ſimilibus, cogitatio vana verſatur in cordibus noſtris, Spiritus Mundi eſt, qui loquitur, longè pernicioſior hoſtis, & majori ſollicitudine repellendus. Interdum verò ſatellitibus iſtis terga vertentibus, Princeps ipſe habens iram magnam, tanquam Leo rugiens inſurgit adverſum nos, cùm videlicet non ad voluptatem carnis, aut ſæculi vanitatem, ſed ad iram, impatientiam, invidiam, amaritudinem animi provocamur, importunè ingerendo, ſi quid minùs amicabiliter, minùs diſertè factum videtur, aut dictum: ſi qua denique aut in ſigno, aut in opere quolibet data videtur indignationis occaſio, materia ſuſpicionis. Huic ergo cogitationi non aliter ac ipſi Dœmoni reſiſtendum eſt; nec aliter ab ea, quàm ab ipſa perditione cavendum.

S. Bern. ſ. 7 de ſeptẽ Spirit.

V. Adhuc aliam diviſionem idem Sanctus indicat, dum ait: Quotquot degimus in regione umbræ mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis, ſi diligenter advertimus, triplici hoc incommodo miſerabiliter laboramus; nam & faciles ſumus ad ſeducendum, & debiles ad operandum, & fragiles ad reſiſtendum. Itaque ſi diſcernere volumus inter bonum & malum, decipimur: ſi tentamus

Idem ſ. de conſid.

facere

facere bonum, deficimus: ſi conamur reſiſtere Malo, dejicimur, & ſuperamur. Nec mirum, quia ut dicitur â Job: non eſt poteſtas ſuper terram, quæ poſſit ei comparari.

Gradus.

VI. Primus eſt *ſuggeſtio*: â quo vix ullus hominum ratione præditorum liber eſt. Hinc quidam Sanctorum, teſte Sophronio, dixit: Cùm oramus ad Dominum: ne nos inducas in tentationem: non, ut non tentemur, oramus, hoc enim poſſibile non eſt, ſed, ne â tentatione abſorbeamur, ſi aliquid agamus, quod diſplicet Chriſto; hoc enim eſt, non intrare in tentationem. Sancti enim Martyres tentati per ſupplicia, nec ſuperati, non intrârunt in tentationem, ſicut neque qui pugnat cum beſtia, quousque devoratur ab ea.

Sophronius c. 109. Prat. ſpir.

VII. Secundus eſt *delectatio* aut *diſplicentia*: quem, uti & reliquos gradus, pulchra ſimilitudine S. Franciſcus Saleſius declarat, dum ait: Cogitatione tibi finge juvenculam aliquam Principem Sponſo ſuo & Marito Principi percaram; & ſimul imaginare ſceleſtum aliquem, qui eam ad ſecum adulterandum invitet, infamem aliquem amoris Internuntium, qui fœdam illius intentionem novæ nuptæ communicet, mittere. Primò itaque Nuntius hic Domini ſui amorem Principi aperit; deinde hæc in illa petitione, propoſitioneque ſibi complacet, aut diſplicet. Tandem conſenſum ei præbet, aut prorſus diſſentit. Conſimili modo Diabolus, Mundus, Caro animam DEO deſponſatam avertere volentes, primò ei peccatum proponunt, in quo illa delectationem vel complacentiam oſtendit; & demum etiam conſenſum vel diſſenſum præbet.

S. Fräciſc. Saleſ. in introduct. p. 4. c. 3.

VIII. Tertius eſt ipſe *conſenſus* vel *diſſenſus*: de quo dixit S. Bernardus: Non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus; imò quod reſiſtentem fatigat, vincentem coronat. Et S. Jacobus: Unusquiſque tentatur â concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cùm conceperit (per delectationem) parit peccatum: peccatum verò cùm conſummatum fuerit (per conſenſum in opus) generat mortem.

S. Bern. de domo inter. c. 19.
Iac. 1. v. 14.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Ibid. I. Unusquiſque tentatur â concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.

Sap. 14. v. 11. II. Creaturæ DEI in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.

1. Cor. 10. v. 13. III. Tentatio vos non apprehendat niſi humana; fidelis autem eſt DEUS, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.

Eph. 6. v. 12. IV. Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes & Poteſtates, adverſus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.

V. Sobrij eſtote, & vigilate, quia Adverſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide. *1. Petr. 5. v. 8.*

VI. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Evangelij pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium Spiritûs, quod eſt Verbum DEI. *Eph. 6. v. 14.*

VII. Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret vos, ſicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficeret fides tua: & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos. *Luc. 22. v. 31.*

VIII. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos; (ubi alij cum S. Ambroſio legunt: Ecce palæſtras poſuiſti dies meos.) *Pſal. 38. v. 6.*

Neceſſitas.

IX. Qui non eſt tentatus, quid ſcit? vir in multis expertus cogitabit multa. *Eccl. 34. v. 9.*

X. Fili, accedens ad ſervitutem DEI, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. *Eccl. 2. v. 1.*

XI. Quia acceptus eras DEO, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te. *Tob. 12. v. 13.*

XII. Militia (vel, ut alij vertunt, tentatio) eſt vita Hominis ſuper terram. *Iob. 7. v. 1.*

XIII. Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, ſed gladium. *Matth. 10. v. 34.*

XIV. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. *Rom. 7. v. 23.*

Utilitas.

XV. Omne gaudium exiſtimate, Fratres, cùm in varias tentationes incideritis, ſcientes, quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. *Iac. 1. v. 2.*

XVI. Si poſſides Amicum, in tentatione poſſide eum, & ne facilè credas ei. Eſt enim Amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis. *Eccl. 6. v. 7.*

XVII. Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit DEUS diligentibus ſe. *Iac. 1. v. 12.*

XVIII. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, ut me colaphizet. *2. Cor. 12. v. 7.*

XIX. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo DEI mei. *Apoc. 2. v. 7.*

Dignitas.

XX. Quoniam DEUS tentavit eos, & invenit eos dignos ſe. *Sap. 3. v. 5.*

XXI. Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. *Apoc. 2. v. 17.*

XXII. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo DEI mei, & foras non egredietur ampliùs, & ſcribam ſuper eum nomē DEI mei. *Ibid. c. 3. v. 12.*

XXIII.

Ibid. ℣. 21. XXIII. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus.

Jucunditas.

Iac. 1. ℣. 2. XXIV. Omne gaudium exiſtimate, Fratres, cùm in varias tentationes incideritis.

Apoc. 2. ℣. 17. XXV. Vincenti dabo manna abſconditum.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Auguſt. in ſ. de S. Vincent. I. DUplicem aciem producit Mundus contra Milites Chriſti; blanditur enim, ut decipiat: terret, ut frangat. Non nos teneat voluptas propria, non nos terreat crudelitas aliena, & victus eſt Mundus. Ad utroſq; aditus occurrit Chriſtus, & non vincitur Chriſtianus.

S. Gregor. hom. 2. II. Hoſtis noſter, quantò magis nos ſibi rebellare conſpicit, tantò ampliùs expugnare contendit; eos enim pulſare negligit, quos quieto jure ſe poſſidere ſentit.

Idem in Paſtor. III. Humanum eſt, in corde tentationem perpeti: dœmoniacum verò eſt, in tentationis certamine, & in operatione ſuperari.

Ibid. IV. Quis ſit Spiritus, qui loquitur, ipſa ſuggeſtio declarabit; ſemper enim Spiritus carnalis mollia, Spiritus Mundi vana, Spiritus malitiæ ſemper amara loquitur.

Ibid. V. Antiquus Hoſtis ex proprio certamine, dum ſe ſuccumbere conſiderat, ad alia tentationum bella reſtaurat. Intuetur humani generis uniuscujuſque mores, cui vitio ſint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ faciliùs novit inclinare mentem.

S. Bern. ſ. 39. VI. Poteſt Inimicus excitare carnis motum, ſed in te eſt, ſi volueris dare vel negare conſenſum.

Caſſiod. ſup. pſal. 51. VII. Bellum grave, quia occultum: quia cum fortiore: quia Hoſtis inſidiæ non videntur: quia Adverſarius nec labore deficit, nec victus aliquando diſcedit, ſed tantò ferocior redditur, quantò eum per divinam gratiam debellari poſſe contigerit.

S. Aug. in pſal. 61. VIII. Noli ergo timere, permiſſum facere aliquid tentatorem; habes enim miſericordiſſimum Salvatorem. Tantùm permittitur ille tentare, quantùm tibi prodeſt, ut exercearis, ut proberis, ut, qui te neſciebas, à teipſo invenaris.

S. Anſelm. apud Drex. in Palaſtr. p. 2. c. 1. §. 3. IX. Tentationes non ſentire, & Angelicum: tentationes ſentire, & vincere, eſt Chriſtianum: tentationibus conſentire, & ex malitia delinquere, diabolicum eſt.

S. Gregor. l. 5. mor. c. 17. X. Rectè Myrmicoleon, id eſt, Leo & Formica dicitur: formicis enim leo eſt, volatilibus formica; quia nimirum antiquus hoſtis, ſicut contra conſentientes fortis eſt, ita contra reſiſtentes debilis. Si enim ejus ſuggeſtionibus aſſenſus præbetur, quaſi leo tolerari nequaquam poteſt; ſi autem reſiſtitur, quaſi formica atteritur.

XI. Ecce permiſſionem verberis comitatur cuſtodia protectionis, & Electum ſuum divina diſpenſatio cuſtodiendo deſerit, deſerendo cuſtodit, alia illius prodit, alia protegit. Si enim Job totum dereliqueret in manu tanti Adverſarij, homo quid eſſet? in ipſa ergo juſtitia permiſſionis miſcetur quædam libra pietatis, quatenus in uno eodémque certamine & ſervus humilis ex oppreſſione proficiat, & hoſtis ſuperbiens ex permiſſione ſuccumbat. Idem ergo in manu DEI, idem in manu Diaboli eſt, quia tenuit, quem conceſſit: & dando non dedit, quem Adverſarij ſui jaculis ejiciens abſcondit. *S. Gregor. l. 2. mor. c. 3.*

XII. In omni tentatione Chriſtianus non cadit, etſi impellitur; nam quadratum lapidem quocunque verteris, ſtat: ſic ergo conquadramini, ad omnes tentationes parati: quidquid impulerit, non vos evertat: ſtantem te inveniat omnis caſus. *S. Auguſt. apud Lancicz. opuſc. 10. n. 108.*

XIII. Indicitur tibi bellum non ſolùm adverſus ſuggeſtiones Diaboli, ſed adverſus teipſum: in teipſo eſt flagellum tuum: ſic rixa tua tecum: ſic vindicatur in rebellem adverſus DEUM, qui pacem noluit habere cum DEO. *Idem ibid. n. 102.*

XIV. Sed dicit aliquis, ſi alligatus eſt (Diabolus) quare adhuc tantùm prævalet? Verum eſt, Fratres cariſſimi, quia multùm prævalet, ſed tepidis & negligentibus, & DEUM in veritate non timentibus. Alligatus eſt enim tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum, qui ſe illi mortifera ſecuritate conjunxerit. Jam videte, Fratres, quàm ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet. Tu te illi per voluptates & cupiditates ſæculi noli conjungere, & ille ad te non præſumit accedere: latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem; non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit. *Idē ſ. 197. de temp.*

Utilitas.

XV. Sancti viri, cùm multa ſe proficere virtutum proſperitate conſiderant, quodam ſupernæ diſpenſationis moderamine exerceri etiam tentationibus exultant, quia tantò robuſtiùs acceptam virtutum gloriam cuſtodiunt, quantò tentationis impulſu concuſſi, infirmitatem ſuam humiliùs agnoſcunt. *S. Gregor. in moral.*

XVI. Ad magnam utilitatem Fidelium materia eſt reſervata certaminum, ut non ſuperbiat ſanctitas, dum pulſatur infirmitas. *S. Proſper de vocat. gent.*

XVII. Moleſta eſt lucta, ſed fructuoſa, quia, ſi habet pœnam, habebit & coronam: non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus; imò quod reſiſtentem fatigat, vincentem coronat. *S. Bern. de domo int. c. 19.*

XVIII. Præmonitos vos eſſe volo, neminem ſuper terram abſque tentatione victurum, ut, cum fortè tollitur aliqua, alteram ſecurus exſpectet. Quâ in re conſideranda nobis eſt tam benigna divinæ pietatis diſpenſatio, ut quibuſdam nos tentationibus patiatur diutiùs occupari, ne fortè periculoſiores occurrant: ab aliquibus verò citiùs liberet, ut poſſimus in aliis, quas utiliores nobis prævidit fore, exerceri. *Idem ſ. 5. in pſalm. Qui habitat.*

XIX.

S. Chryſoſt. l. 1. de prov. DEI. XIX. DEUS te hactenus ut Mater brachiis geſtavit, nunc verò in aquas abjecit, ut tuo diſceres natare Cortice; hæc ad probandam fidem, ad exercendam virtutem, ad augendum promeritum fiunt.

Idem in Gen. ho. 32. XX. Ne exiſtimemus eſſe ſignum, quod nos dereliquerit, & deſpiat Dominus, ſi tentationes nobis inferantur, ſed hoc maximum ſit nobis indicium, quòd DEUS noſtri curam gerat; nam & ſi habeamus peccatorum ſarcinas, quæ nos premant, poterimus magnam patientiam & gratitudinem declarando leviores eas facere; & ſi non multa habemus peccata, iterum majore fruemur gratiâ, ſi grato animo tulerimus.

Neceſſitas.

S. Aug. ſuper pſ. 60. XXI. Vita noſtra in hac peregrinatione, non poteſt eſſe ſine peccato, ſine tentatione, quia profectus noſter fit per tentationem, nec ſibi quiſquam innoteſcit, niſi tentatus: nec poteſt coronari, niſi vicerit: nec vincere, niſi certaverit: nec poteſt certare, niſi inimicum & tentationes habuerit.

S. Hier. in c. 6 ep. ad Galat. XXII. Vinci vel vincere nonnunquam in noſtra eſt poteſtate, cæterùm tentari in poteſtate t ntantis eſt; ſi enim Salvator tentatus eſt, quis poteſt eſſe ſecurus, intentatum ſe hujus vitæ maria tranſire?

S. Bern. ſ. 48. in Cant. XXIII. Donec in carne eſt anima, inter ſpinas profectò verſatur, & neceſſe eſt, ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationúmque aculeos. Quòd ſi lilium eſt juxta Sponſi verbum, videat, quàm vigilem, ſollicitámque eſſe oporteat ſuper cuſtodia ſui, ſepta undique ſpinis hinc inde aculeos intendentibus; nec enim vel leviſſimam ſpinæ punctionem ullatenus ſuſtinet floris teneritudo, ſed mox ut modicè premitur, perforatur. O tener & delicate flos, ô candens lilium, increduli & ſubverſores ſunt tecum, vide, quomodo cautè ambules inter ſpinas. Plenus eſt mundus ſpinis; in terra ſunt, in aëre ſunt, in carne tua ſunt. Verſari in his, & minimè lædi, divinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ. Etſi igitur undique tibi proſpicias tribulationum tanquam tribulorum aculeos intendi, non turbetur cor tuum, neque formidet, ſciens, quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit. Conſidera lilia agri, quomodo inter ſpinas vigent, & nitent.

Dignitas.

Climacus apud Rodr. p. 2. tr. 4. c. 3. XXIV. Nullum certius argumentum eſt, quòd Dœmones victi ſint à nobis, quàm ſi nos acerrimè impugnant.

S. Chryſ. in dictum Apoſt. Habentes autē eundem ſpiritum. X XV. Hoc generoſæ ac DEUM amantis animæ officinm eſt, afflictiones & adverſitates ferre. Cæterùm generosè tolerare tentationem, atque inſuper ei gratias agere, qui ſe tentari permittit, id demum ſumma fortitudinis meritò videri poteſt, animæque vigilantis, & quæ omnibus humanis affectibus ſit Superior.

Jucunditas.

S. Chryſ. ho. 32. in Gen. XXVI. Quia DEUS noſter liberalis eſt, & noſtræ Salutis curam gerit, eâ de causâ quaſi luctam & exercendi materiam nobis proponit, ut ſi, quod noſtrum eſt, declaremus, largiore dignetur nos cura. Quod cùm ſcimus, ne triſtemur in tentationibus, ſed gaudeamus cum B. Paulo dicente: Nunc enim gaudeo in afflictionibus, ſi autem in afflictionibus gaudebat, quomodo unquam potuit in triſtitia eſſe?

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas.

I. INitium omnium malarum tentationum, inconſtantia animi, & parva ad DEUM confidentia. *L. 1. c. 13. §. 5.*

II. Per ſolam fugam non poſſumus vincere, ſed per patientiam & veram humilitatem, omnibus hoſtibus efficimur fortiores. *Ib. §. 3.*

III. Vigilandum eſt præcipuè circa initium tentationis, quia tunc faciliùs hoſtis vincitur, quando oſtium mentis nullatenus intrare ſinitur. *Ibid.*

IV. Primò occurrit menti ſimplex cogitatio: deinde fortis imaginatio, poſtea delectatio & motus pravus, & aſſenſio, ſicque paulatim ingreditur hoſtis malignus ex toto, dum ei non reſiſtitur in principio. *Ibid. §. 5.*

V. Non debemus deſperare, cùm tentamur, ſed eò ferventiùs DEUM exorare, quatenus nos in omni tribulatione dignetur adjùvare, qui utique ſecundùm dictum Pauli faciet etiam cum tentatione proventum. *Ib. §. 6.*

VI. Quidam à magnis tentationibus cuſtodiuntur, & in parvis quotidianis ſæpe vincuntur, ut humiliati nunquam de ſeipſis in magnis confidant, qui in tam modicis infirmantur. *Ib. §. 8.*

VII. Scito, quòd antiquus Inimicus omnino nititur impedire deſiderium tuum in bono, & ab omni devoto exercitio evacuare, à Sanctorum ſcilicet cultu, à pia paſſionis meæ memoria, à peccatorum utili recordatione, à proprij cordis cuſtodia, & à firmo propoſito proficiendi in virtutibus. Multas malas cogitationes ingerit, ut tædium tibi faciat, & horrorem, ut ab oratione revocet, & ſacra lectione. Diſplicet illi humilis confeſſio, &, ſi poſſet, etiam à Communione ceſſare faceret. *L. 3. c. 6. §. 4.*

VIII. Certa tanquam miles bonus: & ſi interdum ex fragilitate corruis, reſume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia mea.

Neceſſitas.

IX. Fili, nunquam ſecurus es in hac vita, ſed, quoad vixeris, ſemper arma ſpiritualia tibi ſunt neceſſaria. Inter hoſtes verſaris, & à dextris, & à ſiniſtris impugnaris. Si ergo non undique uteris ſcuto patientiæ, non eris diu ſine vulnere. Inſuper ſi non ponis cor tuum fixè in me, cum mera voluntate cuncta patiendi propter me, non poteris ardorem iſtum ſuſtinere, nec ad palmam pertingere Beatorum. *L. 3. c. 35. §. 1.*

l. 1. c. 13. §. 1. X. Quamdiu in Mundo ſumus, ſine tribulatione & tentatione eſſe non poſſumus. Unde in Job ſcriptum eſt; Tentatio eſt vita Hominis ſuper terram.

Ib. §. 3. XI. Non eſt homo ſecurus à tentationibus quamdiu vixerit, quia in nobis eſt, unde tentamur, ex quo in concupiſcentia nati ſumus.

l. 2. c. 9. §. 7. XII. Nullus Sanctus fuit tam altè raptus & illuminatus, qui priùs vel poſtea non fuerit tentatus; non enim dignus eſt alta DEI contemplatione, qui pro DEO non eſt exercitatus aliqua tribulatione.

lib. 1. c. 13. §. 6. XIII. Quidam in principio converſionis ſuæ graviores tentationes patiuntur, quidam autem in fine. Quidam verò quaſi per totam vitam ſuam malè habent. Nonnulli ſatis leniter tentantur ſecundùm divinæ ordinationis Sapientiam & æquitatem, quæ ſtatum & merita Hominum penſat, & cuncta ad Electorum ſuorum ſalutem præordinat.

Utilitas.

Ibid. §. 2. XIV. Sunt tentationes Homini ſæpe valde utiles, licet moleſtæ ſint & graves, quia in illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur.

Ib. §. 5. XV. Ignis probat ferrum, & tentatio Hominem juſtum. Neſcimus ſæpe quid poſſumus, ſed tentatio aperit, quid ſumus.

Ib. §. 8. XVI. In tentationibus & tribulationibus probatur homo, quantùm profecit, & ibi majus meritum exiſtit, & virtus meliùs pateſcit.

Jucunditas.

l. 2. c. 9. §. 7. XVII. Solet ſequentis conſolationis præcedens tentatio eſſe ſignum; nam tentationibus probatis cæleſtis promittitur conſolatio. Qui vicerit, inquit, dabo ei edere de ligno vitæ.

§. V.

EXEMPLA CHRISTIANA.

Qualitas.

Matth. 4. v. 3. I. JESUS ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Et cùm jejunâſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Et accedens tentator dixit ei: ſi Filius DEI es, dic, ut lapides iſti panes fiant.

Gen. 22. v. 1. II. Tentavit DEUS Abraham, & dixit: Tolle Filium tuum Unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi.

Tob. 2. v. 12. III. Tobiæ ſeniori ideo ſuam tentationem, quæ per cæcitatem obvenerat, permiſit fieri DEUS, ut poſteris daretur exemplum patientiæ illius.

Job. 1. IV. Job variis modis tentatus à Diabolo, qui plenam in eum poteſtatem, exceptâ animâ, acceperat, generosè tamen omnes tentationes ſuſtinuit, & in omnibus non peccavit labiis ſuis, nec ſtultè quidquã contra DEUM locutus eſt.

Jo. 6. V. Dixit Dominus ad Philippum: unde ememus panes, ut hi manducent? hoc verò dicebat tentans eum.

Spec. Ex. diſt. 2. ex. 185. VI. S. Macarius vidit aliquando Dœmonem Fratres tentaturum, veſte lineâ indutum, & pluribus ampullis, in quibus varias tentationum materias habere ſe dicebat, inſtructum.

VII. Quidam Frater tentatus, ut exiret è Monaſterio, ſemper veſperi dicebat: cras abibo. Mane autem facto dicebat: Extorquebo, ut etiam hodie maneam propter Dominum. Et ſic novem annis faciens, tandem liberatus eſt à tentatione. *Vita PP. l. 5.*

VIII. Anachoreta quidam ab Angelo circumductus, cùm ſupra Monaſterium innumera Diabolorum agmina, ſuper porta Civitatis verò unicum Dœmonem otioſum vidiſſet, quærens ex Angelo cauſam viſionis, intellexit, ideo unum toti Civitati ſufficere, quòd plerique jam alioqui ipſi devoti & obedientes eſſent; Religioſos autem, cùm jurati Dœmonum Hoſtes ſint, integris agminibus expugnari debere, & tamen vinci vix poſſe. *Spec. Ex.*

IX. Euphraſia Virgo, cùm in ſacro Parthenone humilibus officiis ſe totam impenderet, Diabolus odio illius accenſus fecit, ut, dum hauriret aquam, in puteum decideret, ſed caſu innoxio, nam quia funem ſitulæ apprehendens opem ſororum inclamaverat, ab iis incolumis extracta eſt. Illa verò jam extra puteum ſubridens dixit: Vivit Chriſtus, quia non vinces me, Diabole, nec cedo tibi. Hactenus unam tantùm hydriam culinæ detuli, verùm ex iſto die laborem multiplicabo, & poſthac duas afferam. Quod dixit, fecit. *Vita apud Roſwveid. c. 11.*

X. B. Macarius, cùm carnis rebellionem ſentiret, ſex menſibus in palude veſtibus rejectis ſedit, & veſparum morſibus ſe expoſuit, quæ adeò eum vulnerârunt, ut aliis leproſus videretur, è ſola voce agnitus. *Pallad. c. 20.*

XI. S. Catharina Senenſis, cùm die quâdam moleſtiſſimam turpiſſimorum phantaſmatum, cogitationúmque luctam ſuperâſſet, & Chriſtus præſentiâ ſuâ omnes virgineæ mentis nebulas disjeciſſet, heu me! inquiebat ad Sponſum ſuum, ubi eras, mi Domine, cùm tam nefandæ animum meum imagines ſollicitabant? cui Chriſtus: in corde tuo Spectator aderam, mea Catharina. Cúmque illa ulteriùs diceret: Et quî fieri potuit, ut eſſes in corde tam ſordidis cogitationibus infeſto? ſubdidit Chriſtus: placebántne cogitationes iſtæ? reſpondente verò illa: abſit, ô Domine, abſit; nihil gravius aut moleſtius mihi accidere potuiſſet, dixit ille: atque hoc ipſum eſt, quod méa præſentia effecit, ſine quâ facilè conſenſum ſpurcitiis illis præbuiſſes. *Surius 30. April.*

XII. Abbatiſſa Sacra tredecim annis à fornicationis Spiritu impugnata, nunquam oravit, ut recederet ab ea hujuſmodi pugna, ſed hoc ſolum dicebat: da mihi fortitudinem DEUS. Cùm verò aliquando infeſtior eſſet illi inimicus, illa aſcendit orare ſuper lectum ſuum, ubi apparuit ei corporaliter Spiritus fornicationis, & dixit ei: Tu me viciſti, Sara. Cui illa reſpondit: non ego te vici, ſed Dominus meus JESUS Chriſtus. *Vita PP. l. 6.*

XIII. S. Antonius, cùm Diaboli varias formas beſtiarum induti, ipſum cingerent, & velut jamjam laceratum terrerent, impavidus ad eos dixit: Si quid virium haberetis adverſus me, unicus ſufficeret, quid ergo opus apparatu tanto? *Surius in vita 17. Ian.*

En

En adſum, lacerate me, ſi permiſſum eſt vobis: ſin minùs, fruſtra eſt rabies veſtra.

Rodriq. p. 2. tr. 4. c. 9.

XIV. Smaragdus Abbas narrat, aliquando vidiſſe Religioſum quempiam duos Dæmones inter ſe fabulantes, quorum alter, Hem, ait, ut tibi ſuccedit cum tuo Monacho? Ex ſententia, reſpondit alter, nam, quidquid ipſi ſuggero, arripit, & cogitando fovet, &, dum poſtea relegit, & ortum, occaſionem, progreſſum, moram inquirit, miſero cerebrum perturbo, & ad inſaniam propè redigo; At ego, inquit alter, cum meo Monacho admodum nihil promoveo, quia, quamprimum ipſi cogitationem pravam injicio, mox ad DEUM aut aliam cogitationem recurrit, unde nullus mihi ad eum acceſſus patet.

Utilitas.

Vita PP. l. 5.

XV. Cùm Senex quidam ſtimulatus à cogitationibus deſperaret, & ad ſæculum redire ſtatueret, vocem audivit: Tentationes, quas novem annis ſuſtinuiſti, coronæ tuæ erunt, revertere ergo in locum tuum, & ſublevabo te à cogitationibus tuis.

Marchant.

XVI. Conon Alexandrinus Caſtimoniæ amantiſſimus Sacerdos, licet de cælo animatus, vocem audiviſſet dicentem: tolera, & perſevera: adeò tamen à tentationibus carnis impetebatur, ut locum mutandum decerneret, fecíſſetque, niſi S. Joannes Baptiſta tutelaris ejus Divus ſe cum his vocibus objeciſſet: ſi averſaris pugnam, perdidiſti coronam. Reſumpſit ergo animos, & fortiùs pugnavit, feliciuſque vicit.

Roſweyd. in vit. PP. fol. 590

XVII. Diſcipulus quidam Religioſi Senis in Thebaide, cùm ſemel circa ſerum veſperem à Magiſtro ſuo pro more inſtructus, eo obdormiſcente, & ipſe pariter ad ſomnum capiendum ſepties tentatus, toties conſtanter, fortitérque reſtitiſſet, eâdem adhuc nocte Senex evigilans & Meditationi inſiſtens ad cælum raptus eſt, ornatiſſimúmque ſolium, & in eo ſeptem coronas vidit, Diſcipulóque ſuo paratas intellexit. Quare interrogato poſtea Diſcipulo, quid egiſſet? ubi, quod res erat, audit, facilè ſeptemplici certamini eaſdem coronam in præmium præparatas adverot.

Surius in vita 7. Mart.

XVIII. S. Thomas Aquinas, poſtquam procacem Fœminam titione fugavit, Angeli per quietem baltheo renes in ſignum conceſſæ cælitus perpetuæ continentiæ ſtrinxerunt.

S. Gregor. in vita.

XIX. S. Benedictus, quia vehementiſſimè tentatus à carne, in ſentes ſe abjecerat, nunquam ampliùs deinceps tentatus eſt.

S. Dorotheus doct. 13.

XX. Diſcipulus quidam graviter à ſpiritu fornicationis impugnatus, cùm à Sene ſuo interrogatus fuiſſet, an luctam hanc à DEO per preces amoveri optaret? reſpondit: Equidem laboro, Pater, ut vides, conflictórque haud modicè, ſentio tamen hoc lucri mihi accedere, quòd ſæpiùs ad DEUM per orationem, mortificationémque recurro. Quare DEUM potiùs ora, ut mihi patientiam & conſtantiam largiatur, ut incruentam ex hac tentatione victoriam reportem. Recreatus hoc reſponſo Senex, nunc demum cognoſco, inquit, Fili mi, quantas in via virtutis progreſſiones facias; nam dum quis infeſto cuipiam vitio ſtrenuè it obviam, manet humilis, ſollicitus, anxius; his anguſtiis, laboribúſque ſenſim ad conſummatam animi puritatem pertingit.

S. Climac. c. 29.

XXI. S. Ephrem in ſumma animi malacia ac tranquillitate DEO ſupplicavit, ut ſibi pugnas tentationum pridem pugnatas inſtauraret, neque materiam meriti ac triumphi denegaret.

Rodriq. p. 2. tr. 4. c. 8.

XXII. Cùm quidam Abbatem Paſtorem conveniens dixiſſet: Pater, ecce jam tandem pugnas mihi DEUS abſtulit, optatiſſimáque pace commutavit. Cui Abbas, ocyus, inquit, ad Dominum redi, pugnáſque tibi, ut reſtituat, ne ſocors fias, ora. Abiit Frater ad Dominum, qui & imperium Senis approbavit, & Fratrem priſtinis tentationibus ſubjecit.

Spec. Exēp. V. Pœnitentia. ex. 9.

XXIII. Cùm Miles quidam & Dominus Caſtri cujuſdam ſancto cuidam Patri confeſſus, variis pœnitentiis velut impoſſibilibus recuſatis, tandem hanc unam acceptaſſet, ut in Eccleſia per unam noctem in oratione perſeveraret, ad iſtam pòſt ſe conferens, quater à Dœmonibus, nunc ſpeciem Sororis valde ipſi gratæ, nunc Uxoris dilectæ, nunc Sacriſtani ignem templo ſubjectum mentientis, nunc Sacerdotis Matutinum dicere volentis, ideòque ipſum velut excommunicatum abire jubentis, ad exitum tentatus, ſemper immobilis perſtitit. Unde revelatum poſtea fuit ſanctis Patribus, quatuor ipſum inſignes coronas per quadruplicem victoriam retuliſſe.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Qualitas.

Ribad. vit. l. 5. c. 10.

I. S. Ignatius ajebat, valde à Dœmone obſervari nocturnum tempus, cùm quis excitatur à ſomno, ut fœda ſtatim objiciat, priuſquam à DEO ſanctis occupationibus occupetur. Tentationis verò tempore valde juvari aliquem, ſi ſemper habeat, à quo conſiliis ſuſtentetur. Proprium etiam eſſe divinæ bonitatis, eò vehementiùs defendere, quò acriùs à Diabolo impugnamur, & reſiſtendi moleſtias ſequenti conſolatione compenſare.

Vita l. 2. c. 20.

II. P. Petrus Faber nullâ animi ægritudine tentatus fuit, quin ſimul divinitus doctus fuerit modum curandi illam afflictionem. In dijudicandis autem vel ſuis, vel aliorum tentationibus, motibus, artibus Satanæ, & ſpiritibus dignoſcendis, nunquam meminit ſe deceptum.

Ex MS. lib. Ingolſt. c. 15. §. 33.

III. P. Leo Rector Collegij Conimbricenſis, vidit aliquando Diabolum inter Fratres ſub ſpecie Æthiopis, ſingulorum pulſum explorantem, qui, cùm cujuſdam Fratris pulſum tetigiſſet, vehementer exultavit; conſtituerat autem Frater eâ nocte ex Societate aufugere.

Ex epiſt. Hiſp. & ann. Granat. 1610.

IV. P. Thomas Sanchez, ſi tentabatur, tantùm hæc verba proferre ſolebat: JESUS Crucifixus, SS. Sacramentum, Virgo MARIA: & ſtatim à tentatione liberatus eſt.

Añ. Lugd. Coll. Aven. 1598. V. Michaël Sartre Coadjutor ruri habitans, cùm ſæpe graviſſimè contra caſtitatem tentaretur, ſtatim in genua procidens vota ſua renovavit, & ſtatim à tentatione liberatus eſt.

Hiſt. Soc. l. 15. n. 14. VI. Laureti Magiſter quidam, cùm humanioribus literis inſudaret, Dœmon eidem in ſpecie S. Pauli apparuit, hortatúſque eſt, ut relicto vano illo literarum ſtudio, ſuas potiùs Epiſtolas pervolveret. Ratus Magiſter hanc vocem S. Pauli eſſe, protinus Tullium abjicit, S. Pauli Epiſtolas arripit, eáſque, cùm diu legeret, ſuperioribus omnino inſcus, eò tandem progreſſus eſt, ut ſocietate exiverit, infelici prorſus eventu.

Ann. Sicil. 1594. VII. Panormi Novitius contra vocationem mirè tentatus, Rectorem adit, eíque tentationem aperuit, à quo cùm S. Ignatij imaginem oblatam oſculati juſſus fuiſſet, ſtatim ab omni tentatione liber Novitius evaſit; quo remedio plures Rector ille curavit.

Ann. Boet. Colleg. Panorm. 1601. VIII. Coadjutor quidam ita perturbatus erat, ut omnino conſtituerit, è Societate egredi. Incidit tandem uni ex Patribus, ad S. Ignatium eſſe confugiendum. Perſuaſit igitur Fratri, ut vel unicum Pater & Ave ante imaginem S. Ignatij oraret; orat ille, magis importunis precibus, quàm ſpe ulla remedij adactus. Finitâ oratione ad cubiculum redit, ſed cum eo priſtina tentatio tam fortiter, ut aliis noctu dormientibus, ipſe cubiculo expulſus in hortum proruperit, crebros ad DEUM cum lacrymis clamores effundens. Hîc ſeſe S. Ignatius paulò ſublimior obtulit, clariſſimâ circumfuſus luce, blandéque alloquens perſeverantiam in Societate ſic perſuaſit, ut illico omni perturbatione evaneſcente nihil illo tranquillius eſſet.

Hiſt. Soc. p. 2. l. 8. n. 134. IX. Joannes Verdolajus, qui tantâ doctrinâ & authoritate apud omnes erat, ut eum S. Pater Ignatius ipſe datis literis ad Societatem invitârit. At ille vivente S. Ignatio rem diſtulit: Eo mortuo ingreſſus eſt, tanquam columnâ ſubductâ, authoritate ſua Societatem ſuſtinens. Sanè hæc vox Populi crebrò audita erat, eſſe debere aliquid in Societate, cur tam ſanctus vir ſenex quaſi ingredi illam voluerit. Perſtitit aliquamdiu hîc cum magno gaudio, dein ſcrupulis agitatus eſt, & oborto ſuper Evangelizandi labore tœdio, ſimúlque à regendo abhorrens, nec de ſummo bono contemplando ſat temporis nactus, ad Carthuſianos tranſiit. Rogatus dein, cur abundaret tempore ad contemplandum, ingemiſcens reſpondit, ſe octonis horis quotidie cantando fatigari, reliquum tempus non ad contemplationem, ſed quietem requirere. Idem dein viro nobili Religionem meditanti, conſulentique, quid ſuaderet, iis verbis Societatem perſuaſit, ut noſtri pudoris ſit referre.

Añ. Franco. Colleg. Bituric. 1613. X. Biturigis in Societate noſtra Adoleſcens quiſpiam ſuaviter errati cujuſdam à Præſide admonitus, denuò reciderat. Arripuit hominis tentandi anſam Dœmon. Siſtit ſe illi P. Miniſtri ſpecie, ait, eum ad Societatem ineptum eſſe, paucis proin diebus adhuc retentum iri. Mirati hîc noſter tam ſubitam denunciationē, eam tamen adhuc velut experiendi ſui factam patienter ferre. Redit Dœmon, jam literas inquiens, dimiſſorias à P. Provinciali allatas, quibus dimitteretur, præverteret ergo ultro dedecus, & priùs dimiſſorias chartas à Præſide peteret; officio interim ſuo abſtineret. Cùm verò noſter per oblivionem idem officium repeteret, denuò ſe illi Cacodœmon eâdem formâ ſiſtere, & jam clarè apparere dicere, eum ad Societatem ineptum eſſe. Permotus hîc noſter rem Patri ſpirituali aperit, ille P. Rectori, Rector P. Miniſtro, qui, cùm negaret, verbulum hâc de re ſe feciſſe, Dœmonis aſtus apparuit, qui magno jam vulnere affectus, Noſtro vehementer exprobravit, quòd rem tam levem vulgâſſet. Juſſerat P. Rector venienti Dœmoni os conſpuere, qui tamen, ubi hæc improperans rediit, Adoleſcens, velut obriguiſſet, nihil contrà movere potuit. Ultimam ergo machinam Dœmon adhibiturus die, quo noſtri vota renovaturi erant, juvenem accedens, P. Rector, ait, vult te unum abeſſe à Conventu Sociorum, cogita igitur placere DEO, reliquorum pro te, & tuam quaſi vicem facta vota. Hîc noſter animoſior factus arreptum aquæ luſtralis urceolum in veteratoris Faciem impingit. Quo facto evanuit ille, nec unquam deinceps rediit.

Jucunditas.

Dom. Prof. Hiſp. Ann. Boet. 1603. XI. P. Joannes Hieronymus ſtupendæ ſanctitatis & eruditionis vir, cùm quondam ad Inquiſitionem citaretur, eâ ipsâ horâ in oratione erat, ſuper hac re cum DEO agens; cúmque poſt longas preces, tandem ſe DEO ad hanc publicam infamiam (erat enim publicus Principiſſæ Concionator) integrè reſignâſſet, magno perfuſus gaudio, tum demum citatur ad inquiſitionem, ſed mox honorificentiſſimè abſolvitur, nam cùm ſummo mane ſe ad iter pararet, Nuntius affertur, Pontificem deceſſiſſe. Sic ergo manſit.

Añ. Germ. ſup. 1588. XII. Novitio cuipiam Landſpergæ, cùm neſcio; quo mœrore affligeretur, noctu dormienti Chriſtus apparuit, duáſque coronas è ſentibus, quarum altera perquam horrida erat, manibus geſtans, alterutram eligere eum juſſit; Qui cùm horridiorem elegiſſet, ab eo tempore mira ſemper animi ſuavitate repletus eſt.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Aug. in Pſal. 83. I. Sicut Uva & Oliva, quamdiu pendent in vite & arbore non premuntur, ſed nec vinum aut oleum præbent; ita homines in ſæculo ſine preſſura tribulationum libertati ſuæ relicti, modicum aut nullum fructum ferunt.

Senec. l. de prov. c. 1. & 2. II. Sicut tot amnes, tantùm ſupernè dejectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium non mutant ſaporem maris, nec remittunt quidem; ita tentationum impetus viri fortis non mutat animum. Manet in ſtatu, &, quidquid evenit, in ſuum colorem trahit; eſt enim omnibus externis potentior.

Drex. in Palaeſtr. p. 8. c. 6. §. 2. III. Sicut Pharmacopolæ inaurant catapotia ſeu pilulas, ut avidiùs glutiantur; ita Diabolus

bolus inaurat ea, quæ doctis dictis perſuadere cupit.

Ib. §. 9. IV. Sicut Fures aliqui holoſericis veſtibus induti incedunt, ut omnem furti ſuſpicionem amoveant, faciliorémque ad homines acceſſum habeant; ita Diabolus omnem mentitur humanitatem, ut faciliùs admittatur ad hominem, & decipiat.

Rodriq. p. 2. tr. 4. c. 1. V. Sicut in Naviculam Evangelicam mox, ut à portu ſolvit, venti proceſſoſi quaſi ſigno dato irruerunt, ac tantùm non obruerunt; ita cùm Anima noſtra in corpore velut nave malè materiatâ naviget, perpetuis tentationum procellis eſt obnoxia.

Ibid. VI. Sicut Venatores non cicuribus armentis boum & ovium, ſed cervis & pernicibus damis inſidiantur; ita Dæmon iis, quorum DEUS perfecit pedes tanquam cervorum, & quos ſuper excelſa virtutum ſtatuit, imminere ſolet.

Idem c. 7. VII. Sicut Stimulus citra noxam & vulnus propellit pecus; ita tentatio non nocet, ſed alacrius tantùm in via virtutis progredi facit.

S. Ignat. in reg. 12. de mot. anim. diſcern. VIII. Sicut Fœmina cum Viro rixans, ſi hunc conſpexerit erecto & conſtanti vultu ſibi obſiſtere, abjicit illico animum, ac terga vertit; ſin verò timidum fugacémque eſſe animadvertit, in extremam ſurgit audaciam, & illum ferociter invadit; ſic & Dæmon animo & robore planè deſtituitur, quoties ſpiritualem Athletam imperterrito corde, ac fronte arduâ, tentationibus videt reluctari; ſin autem trepidet ad primos motus ſuſtinendos, & quaſi animum deſpondeat, nulla eſt beſtia ſuper terram inimico illo efferatior, acrior, & pertinacior in hominem, ut cum pernicie noſtra, malignæ obſtinatæque mentis ſuæ deſiderium adimpleat.

S. Gregor. apud Rodr. p. 2. tr. 4. c. 17. IX. Sicut Aucupum princeps cura eſt, ut, quæ aves quibus eſcis delectentur, probè calleant, quò eas faciliùs illaqueent; ita Dæmon præcipuè ſtudet cognoſcere, quibus potiſſimùm rebus quiſque afficiatur, & per has in laqueos ſuos præcipitare conatur.

S. Ephr. de fide. X. Sicut incus aliqua, licet quidem ſemper verberetur, non tamen dat tergum, neque concavitatis formam in ſe recipit, ſed eadem ſemper manet; ſic & qui verum ſe vult gerere Chriſtianum, inter diverſas tentationes atque tribulationes, ſive extrinſecus ab homine illatas contumelias, perſecutiones, damna, atque alia hujuſmodi ſive intrinſecus à ſpiritibus malignis inductas anguſtias, unus & idem maneat, oportet, fortiter quæcunque obvenientia perferens.

S. Chryſoſt. hom. 4. de pæn. XI. Sicut aurum, etſi aquis immoretur, propriam præſtat ſpeciem; ſive in conflatorium ceciderit, ſplendidius ſurſum apparet; lutum autem & fœnum, ſive aquis immiſceri accidat, hoc quidem marceſcit; illud verò diſſolvitur; ſive in ignem ceciderit, hoc quidem fugitur, illud autem comburitur; ſic certè Juſtus & Peccator, ille quidem, ſive remiſſione fruatur, manet ſplendidus, ſicut aurum aquæ immerſum: ſive in tentationem ceciderit, ſplendidior fit, ſicut aurum in igne; Peccator verò ſive remiſſione contriſtatur, diſſolvitur, marceſcit, ſicut lutum & fœnum aquæ immorans; ſive tentationem ſuſtineat, comburitur, perditur, ſicut lutum & fœnum ab igne.

Neceſſitas.

XII. Sicut caro, ſi ſale non aſpergatur, quamvis ſit magna & præcipua, corrumpitur; ita & anima, niſi tentationibus aſſiduis ſaliatur, continuò reſolvitur, & relaxatur. *Origen. ſuper lib. Num.*

XIII. Sicut ciſta plena veſtibus ſi dimiſſa fuerit longo tempore, putreſiunt veſtes in ea; ita & cogitationes in corde noſtro, ſi non fecerimus eas corporaliter, tempore longo exterminabuntur & putreſiunt. *Vita PP. l. 11.*

XIV. Sicut Homo quandoque neceſſe habet de liquoribus ſpiſſis, qui, licet non multùm proficiant ad corporis ſuſtentationem, proſunt tamen ad corporis & cerebri purgationem & ſanationem; ſic etiam cogitationes malæ ſunt, quia, quamvis non impinguant, & ſanant animam, ut oleum bonarum cogitationum, tamen proficiunt ad animæ purgationem, ſicut ſinapi ad purgationem cerebri; niſi enim quandoque intervenirent cogitationes malæ, tunc homo eſſet Angelus, & non homo, & putaret homo omnia habere à ſeipſo. Ita Chriſtus S. Birgittæ. *Birg. rev. l. 1. c. 29.*

Utilitas.

XV. Sicut triticum, quò frequentiùs per cribrum agitatur, hòc purius efficitur; ita anima tantò magis à paleis vitiorum purgatur, quantò crebriùs cribro tentationum agitatur. *Anonym.*

XVI. Sicut ſi fragmen tegulæ crudæ in fundamento mittatur, ubi juxta ſit fluvius, non ſuſtinet unum diem; cocta autem permanet velut lapis; ita eſt homo, qui carnalem ſapientiam habet, & non eſt tentationum igne excoctus. *Vita PP. l. 16.*

XVII. Sicut lapis in frontiſpicio collocandus, ipſumque adeò veſtibulum ornaturus, debet creberrimâ tunſione elaborari; ita Chriſtus nova referandi cæli porta futurus, infinitis ictibus ſe expoſuit, eadémque ſors Electos manet; nam hic Mundus eſt locus, in quo lapides pro templo cæleſti expoliuntur. *Rodriq. p. 2. tr. 4. c. 4.*

XVIII. Sicut mare proceſſoſis flatibus impulſum, ſordes univerſas ejectat; ſic animus ventis tentationum perflantibus, omni fæce, quam malaciâ collegerat, liberatur. *Gerſon. in doctr. 6 de myſt. cõſid.*

XIX. Sicut Plantas enutriunt venti, ita tentatio confirmat animæ fortitudinem. *Nilus Abb. apud Rodr. l. c. c. 6.*

XX. Sicut Hirudo infirmo applicata, totum, ſi poſſet, ſanguinem exugeret, Medico interim non niſi humorem noxium extrahi permittente, ut ſanitas obtineatur; ita Dæmon omnibus nos bonis ſpoliare nititur, DEUS autem non plus eripi permittit, quàm prodeſſe nobis conſpexerit. *S. Gregor. apud eundem c. 9.*

XXI. Sicut Nutrix aut Mater Filiolum pedes promovere addocens, aliquantulo ſubinde ſpatio à ſe removet, ſed mox ad ſe retrahit, nec curat, licet ſubinde puſillus cadat, ſatius hoc *Ibid.*

eſſe judicans, quàm ſi omnino ambulare non addiſcat; ſic DEUS quaſi Nutritius Ephraim, ad lapſus Electorum ſuorum ex infirmitate contingentes contivet, ut ſecuriùs, meliúsque in via perfectionis progredi diſcant.

S. Chryſoſt. in c. 3. Matth. XXII. Sicut focus poſitus ſuper terram, comburit radices herbarum, ut in loco illo non ampliùs naſcantur herbæ; ſic & tentationis ignis poſitus ſuper carnem, comburit radices concupiſcentiarum in ea, ut non facilè concupiſcat.

Langius in Polyanth. V. Tentatio. XXIII. Sicut cibi quidam ſunt concoctu difficiles, ſed ſemel concocti ſolidiſſimum præſtant alimentum; ita & tentationes noſtræ ſuas difficultates & moroſitates à principio exhibent, ſed ſemel evictæ animum noſtrum maximè firmant.

Dignitas.

Rodriq. p. 2. tr. 4. c. 6. XXIV. Sicut arboris firmitatem ventorum, tempeſtatúmque impetus, & robur militis arena oſtendunt; ita DEI ſervus non devotionis tranquillitatíſque, ſed tentationis tempore, virum ſe probat.

S. Ambroſ. ſ. 8. ſuper pſal. 118. XXV. Sicut Gubernator ille melior eſt, qui in tempeſtate navim gubernat, qui adverſus ventos inſurgit, renititur adverſus fluctus, non timet, vel cùm undis elevatur navigium, vel cùm ad ima profundi deponitur; ita & ille laudandus eſt Gubernator ſui, qui ea, quæ adverſa ſunt, vincit patientiâ, virtute ſuperat, ſecundis non extollitur, adverſis non frangitur.

Rodr. l. c. XXVI. Sicut probata Amicitia magnam hominibus delectationem afferre ſolet; ſic quoque DEO comperta juſti fidelitas in tentatione ſummopere placet, gratúmque illum DEO facit.

Ibid. XXVII. Sicut olim tempore Noë multiplicatæ ſunt aquæ, & elevaverunt arcam in ſublime; ita aquæ tribulationum ac tentationum in apice perfectionis conſtituunt.

S. Chryſoſt. in c. 1. Matth. XXVIII. Sicut unguentum etiam in hyeme floridum eſt, & boni odoris, & Homines ſuo odore delectat, & impinguat, cùm ex eo uncti fuerint; ſic Juſtus etiam in hyeme tentationis immarceſſibilis eſt, & manet fidelis.

Idē hom. 56. in Matth. XXIX. Sicut, qui ludicrum inſtituit agonem, ſi cui Athletarum jungitur vinculo amicitiæ, nunquam eum, niſi deſcenderit in certamen, coronabit, qui proprium videlicet laborem illius deſiderat; & quò magis diligit, eò magis victorem eſſe cupit; ſic & Chriſtus, quò magis quemque diligit, eò magis illum non ſolùm ſuo auxilio, ſed à ſeipſo vult probari.

Hector Pintus in c. 4. Matth. XXX. Sicut fragilis paries facilè ruit, & quâcunque machinâ evertitur, ſed fortiſſimus murus fortiter reſiſtit, & opus eſt hoſtibus machinas bellicas adhibere, & mœnia illa validiſſimis tormentis fortiter concutere; ſic Diabolus homines fragiles, parúmque in virtute conſtantes quâcunque tentatione evertit; ſed ad ſuperandos viros juſtitiâ & caritate munitos, variis utitur artificiis, & fortiſſimis tentationibus.

§. VIII.

M O T I V A

Ad tentationes patienter ferendas.

I. N*Eceſſitas:* quia, teſte S. Hieronymo, impoſſibile eſt, animam humanam non tentari; unde & in oratione Dominica dicimus: ne nos inducas in tentationem, non tentationem penitus non refutantes, ſed vires ſuſtinendi in tentationibus deprecantes. Certè ipſe Chriſtus tentationum expers eſſe noluit, &, ut S. Chryſoſtomus affirmat, nullus unquam ex his, qui DEO maximè cari ac acceptabiles fuerunt, ſine preſſuris vixit, etiamſi non ita nobis videatur; nam ſi B. Paulus tantùm negotii ſuſtinuit (nullus verò Paulo major eſt, aut etiam æqualis) quâ tandem ratione alij credantur hujuſmodi auxilio non indiguiſſe? *S. Hier. l. 4. c. 26.* *S. Chryſoſt. l. 1. de provid. DEI.*

II. *Utilitas:* nam 1. purgat animum à vitiis, & ſplendidiorem efficit, ſicut ignis aurum excoquit, & fulgentius reddit. 2. Eundem animum abſtrahit à Mundo; nam, ut S. Gregorius rectè advertit, pro DEI conſilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore Electorum vita turbetur; via quippe eſt vita præſens, quâ ad paradiſum tendimus, & idcirco occulto judicio, frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. 3. Cognitionem ſui procurat, & ſic humilitatem generat; nam, ut idem S. Doctor advertit, mirâ hoc nobiſcum diſpenſatione agitur, ut mens noſtra culpæ nonnunquam pulſatione feriatur. Nam eſſe ſe magnarum virium Homo crederet, ſi nullum unquam earundē virium defectum intra mentis arcana ſentiret. Sed cùm tentatione irruente quatitur, & quaſi ultra, quàm ſufficit, fatigatur, ei contra hoſtis ſui inſidias munimen humilitatis oſtenditur, & unde pertimeſcit, enerviter cadere, inde accipit fortiter ſtare. 4. Ampliſſimum à DEO prœmium ac coronam obtinet; cuivis enim tentato applicari poteſt illud Saulis promiſſum: Virum, qui percuſſerit eum (Diabolum, Mundum, aut Carnem) ditabit Rex (cæleſtis) divitiis magnis, & Filiam ſuam (viſionem beatificam) dabit ei uxorem. Quod ipſum confirmans Caſſianus, majora nobis, inquit, per colluctationem tentationum laudis contulit prœmia, benigna erga nos gratia Salvatoris, quàm ſi omnem à nobis neceſſitatem certaminis abſtuliſſet. Etenim ſublimioris, præſtantioríſque virtutis eſt, paſſionibus, ærumníſque vallatum manere ſemper immobilem, & acquirere quodammodo de infirmitate virtutem, quia virtus in infirmitate perficitur. *S. Gregor. l. 23. mor. c. 17.* *Idem c. 37.* *1. Reg. 17. v. 25.* *Caſſ. coll. 24. c. 25.*

III. *Æquitas:* quam S. Hieronymus indicans, legimus, inquit, in volumine Job, tentatio, ſive (ut meliùs habetur in Hebraico) militia eſt vita hominis ſuper terram; ad hoc enim laboramus, & in ſæculi hujus periclitamur militia, ut in futuro ſæculo coronemur. Nec mirum hoc de Hominibus credere, cùm Dominus ipſe tentatus ſit. Et de Abraham Scriptura teſtatur, quòd DEUS tentaverit eum. *S. Hieron. ad Demetr. ep. 8.*

IV. *Ju-*

IV. *Jucunditas*: quid enim jucundius generoſo Militi accidere poteſt, quàm ſi frequenter cum hoſte congredi, magnúmque ſibi nomen obtentâ victoriâ comparare queat? Hinc DEUS in Apocalypſi dixit: Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. *Apoc. 2. v. 17.*

V. *Dignitas*: ſi enim hoſtes corporeos & non admodum fortes vincere in hoc mundo tam glorioſum videtur; quanta gloria dignitáſque obtinebitur per victoriam de Hoſtibus inviſibilibus, & quidem tantis obtentam? an non quiſque dicat meliori jure cum Azaria & Joſepho: Faciamus & ipſi nobis nomen, & eamus pugnare adverſus gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt. *1. Mach. 5. v. 57.*

VI. *Facilitas*: etſi enim, teſte Caſſiodoro, bellum ſit grave, quia occultum, quia cum fortiore, quia hoſtis inſidiæ non videntur, Adverſarius nec labore deficit, nec Victus aliquando diſcedit; paratum tamen à DEO copioſum auxilium eſt; fidelis enim DEUS eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, inquit S. Paulus, ſed faciet etiam cum tentatione proventum (id eſt, gratiam copioſam dabit) ut poſſitis ſuſtinere. Hine olim Moſes Abbas Iſidoro fugam meditanti, immenſam quidem ab initio multitudinem Dœmonum ex latere occidentis oſtendit; mox verò etiam ad Orientem reſpicere juſſit, ibidémque majorem longè SS. Angelorum ad auxiliandum ipſi paratorum copiam monſtravit. *Caſſiod. ſuper pſal. 51.* *1. Cor. 10. v. 13.* *Roſweyd. fol. 698.*

§. IX.

MEDIA

Ad tentationes ſuperandas.

I. *Fides ſeu Fiducia in DEUM*: quod medium S. Petrus ſuaſit dicens: Adverſarius veſter tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide; nam ideò, teſte S. Gregorio, Sanctos tentari permittit, ut, dum pulſata mens trepidat, in ſolo DEI adjutorio, ſpei pedem robuſtiùs figat. *1. Petr. 5. v. 8.* *S. Greg. l. 9. moral. c. 36.*

II. *Oratio*: ſic Chriſtus ipſe munuit dicens: Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Hinc Joannes Avila dicere ſolebat: Tentatio ad te, tu verò ad DEUM. Quemadmodum Pueruli perterrefacti, ſtatim confugiunt ad ſinum Matris; ſic nos, cùm aliquâ tentatione pulſamur, per preces confugiamus ad DEUM, inquit S. Chryſoſtomus. Quem in finem Joannes Abbas verſum: *DEUS in adjutorium*: ſingulariter commendat; habet enim, inquit, adverſus univerſa diſcrimina invocationem DEI, habet humilitatem piæ confeſſionis, habet ſollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam, habet conſiderationem fragilitatis ſuæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præſentis, ſempérque adſtantis præſidij. Hic verſiculus omnibus infeſtatione Dœmonum laborantibus inexpugnabilis murus eſt, & impenetrabilis lorica, ac munitiſſimus clypeus. Nimirum quivis poteſt cum optimo Rege Jonatha dicere: In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te. *Matt. 26. v. 41.* *S. Chryſ. l. 3. de provid.* *Caſſ. coll. 10. c. 10.* *2. Par. 20. v. 12.*

III. *Gladius Verbi DEI*: ſic S. Paulus ſuaſit dicens: Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium Spiritus, quod eſt Verbum DEI. Hoc gladio Chriſtus Tentatorem ſuperavit. Hoc B. Paula, teſte S. Hieronymo; quin S. Gregorius adeò neceſſarium putavit hoc medium, ut dicere auſus ſit: Reſiſtere tentationibus omnino non ſufficit, qui hunc Verbi DEI gladium malè vivendo poſtponit. *Eph. 6. v. 17.* *S. Greg. l. 19. mor. c. ult.*

IV. *Humilitas*: ſic enim S. Antonio, dum mundum totum laqueis circumdatum videns quæſivit, quis evaſurus ſit? Humilis, reſponſum eſt. Hinc & S. Laurentius Juſtinianus dixit: Quiſquis trophæum certaminis de malignis ſpiritibus reportare concupiſcit, neceſſe eſt, ut duplici armorum genere munitus ſit; à ſiniſtris quidem humilitate, à dextris verò oratione ſe protegat. Nimirum ſicut Antheus ab Hercule ſuperari nunquam potuit, quando in terram ſe proſtravit; ſic nec humilis à Dœmone, quando ſe humiliat. *S. Laur. de caſt. connub. c. 5.*

V. *Detectio*: ita jam olim S. Petrus Apoſtolus ſuaſit dicens: Unuſquiſque, quod eum movet, & partem, quam dolet in animo, fateatur, ut poſſit conſequi medicinam; quæ enim ſilentio conteguntur, velut multi temporis vitia difficile curantur; & ideo, quoniam tacentibus non poteſt facilè medicina opportuni & neceſſarij ſermo adhiberi, proferre debet quiſque, in quo animus per ignorantiam languet; tacenti verò dare remedium, ſolius eſt DEI. Idipſum confirmans S. Cyprianus, facilis, inquit, eſt cura, ubi plaga perſpicua eſt, & citò ad ſanitatem medelâ ſubveniente perducitur vulnus, quod videtur. Uni exemplo proprio didicerunt Serapion Abbas, qui furtum & gulæ peccatum Abbati coram aliis aperiens, dœmonem in ſpecie lampadis accenſæ è ſinu egredientem videre meruit, & deinceps liberâ tentatione manſit. Item Aſtion M., qui turpem cogitationem Magiſtro ſuo Epicteto revelans, vidit Puerum nigrum cum facula de ſinu egredientem, & hæc dicentem audivit: Confeſſio tua, Aſtion, magnas meas vires contrivit, & una oratio veſtra me in omnibus inermem ac deſolatum fecit. Sed & alius quidam ſenex, cùm Fratrem quendam à cogitationibus turpibus, quas ei aperuerat, liberâſſet, eidem dixit: Non concedas Diabolo, nec relaxes animum tuum, ſed magis, quotiès moleſtus eſt Dœmon, veni ad me, & increpatus abſcedet; nihil enim ſic extædiat Dœmonem fornicationis, quomodo ſi revelentur ſtimulationes ejus. Et nihil eum ſic lætificat, quomodo ſi abſcondantur cogitationes; ſimilis nimirum in hoc, quemadmodum S. Ignatius dicebat, impuro amatori, qui puellam ſeducere volens, nihil magis ſtudet, quàm ut puella conatus ejus Parenti non indicet. *S. Petrus l. 3. recogn. Clem.* *S. Cypr. l. de Zelo & liv.* *Caſſ. Coll. 2.* *Roſweyd. fol. 229.* *Vit. PP. l. 5. n. 15.* *S. Ignat. in reg. de diſcret. ſpir. §. 13.*

VI. *Principiis obſtare*: nam, teſte S. Petro Chryſo- *S. Chryſol. ſerm. 1.*

S. Chryſol. ſerm. 1. Chryſologo, Diabolus ſemper primordia boni pultat, tentat rudimenta virtutum, ſancta in ipſo ortu feſtinat extinguere, ſciens, quòd ea ſubvertere fundata non poſſit. *S. Hier.* Hinc S. Hieronymus monet, ut, dum parvus eſt hoſtis, interficiatur, ut nequitia elidatur in ſemine. *Cant. 2. v. 15.* Et Sponſus hortatur, ut capiantur vulpes parvulæ, quæ demoliuntur vineas. *Pſal. 136. v. 9.* Beatus enim, teſte Davide, qui tenebit & allidet parvulos Babylonis ad petram. *S. Aug. in pſal. 48.* Quod pulchrè confirmans S. Auguſtinus, à DEO, inquit, quid dictum eſt ſerpenti? ipſa tuum caput obſervabit, & tu ejus obſervabis calcaneum. Diabolus calcaneum tuum obſervat, quando laberis, ut dejiciat te. Ille obſervat calcaneum tuum, obſerva caput illius. Quod eſt caput illius? initium malæ ſuggeſtionis illius. Quando incipit mala ſuggerere, tunc repelle, antequam ſurgat delectatio, & ſequatur conſenſio, & tunc vitabis caput illius, & non apprehendet ille calcaneum tuum. *S. Chryſ. de contin. gentil.* Talis res eſt malitia, inquit S. Chryſoſtomus, ſi, cùm primum initium duxerit, non cohibeatur, tanquam ignis arida ligna corripiens, ſic in immenſam aſſurgit altitudinem. Imò ut ſcintilla, ſi fortè immenſam materiam corripuerit, non antè ſubſiſtit, quàm totam depaſcatur; ſic & peccati natura, ubi animi cogitationem aliquam adorta eſt, nec quiſquam eſt, qui malum reſtinguat, procedens ulterius magis indomita efficitur; quâ utique ratione complures videas in omne genus peccatorum imprudentes prolapſos, quòd flammam initio exorientem non extinxerint.

S. Climac. gr. 1. VII. *Fortiter reſiſtere*: nam, teſte S. Climaco, Inimici noſtri intuentur animarum noſtrarum vultus. Et ſi illos viderint formidare, contrahi, vel immutari, contra nos acerbiùs armantur. Intelligunt enim verſutiſſimè timorem noſtrum. Magno igitur animo adverſus illos arma capiamus; contra eum enim, qui alacriter pugnat, nullus oppugnando prævalet. *S. Bern. ſ. 5. in quadr.* Quod confirmans S. Bernardus, videte, ait, quàm debilis eſt hoſtis noſter, qui non vincit, niſi volentem. Poteſt inimicus excitare tentationis motum; ſed in te eſt, an velis dare vel negare conſenſum. In tua facultate eſt, ſi volueris Inimicum tuum facere ſervum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum. *Dron. paleſtr. p. 3. c. 4. §. 2.* Hinc Religioſus quidam cùm acerrimas ſuas tentationes Patri Spirituali expoſuiſſet, & remedium petiiſſet, hoc unum accepit, ut ſemper Diabolo *Nolo* reſponderet, quod, poſtquam fecit, brevi omnis tentatio evanuit. E contrario verò alius quidam Frater juvari non potuit, quia in tentatione poſitus non reſiſtebat, nec ad orationem ſurgebat, ut fuſiùs *Rodriq. p. 2. tr. 4. c. 22.* Rodriq. l. c. refert. Meritò ergo S. Jacobus dixit: *Iac. 4. v. 7.* Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.

S. Hier. ep. 47. VIII. *Occaſionum fuga*: nam, ut rectè S. Hieronymus dixit, ſi quis putat, poſſe ſe verſari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, ſe ipſum decipit. Quid ergo tibi neceſſe habes, quotidie aut perire, aut vincere? quis unquam juxta viperam ſecuros ſomnos capit? ſecuriùs eſt, perire non poſſe, quàm juxta periculum non periiſſe.

IX. *Virtutis contrariæ exercitium*: ita S. Ignatius ſuis ſuaſit, dum dixit: *S. Ign. p. 3. conſtit. c. 1. §. 13.* Antevertere oportet tentationes, adhibitis earum contrariis, ut, cùm quis ad Superbiam animadvertitur eſſe propenſus, exerceri is debet in rebus abjectionibus, quæ ad humiliandum ipſum utiles futuræ videantur; & ſic de aliis pravis animæ propenſionibus; nam Diabolus, uti Chriſtus S. Birgittæ dixit, *l. 4. revel. c. 54.* eſt quaſi canis venaticus, currens ad te cum tentationibus & ſuggeſtionibus ſuis; ſed ſi oppoſueris ei aliquid durum, quod dentes ſui doleant, & obſtupeſcant, ſtatim reſiliet à te, nec nocebit tibi. Quid verò eſt durum opponendum Diabolo, niſi caritas divina, & obedientia mandatorum DEI, quæ, cùm viderit Diabolus perfectè in te, ſtatim dentes ejus, id eſt, conatus ejus & voluntas fruſtrabitur, quia conſiderat, te omnia contraria magis velle pati, quàm mandatis DEI contraire?

§. X.

ASCETICA.

I. SI ulla alia materia ſcitu neceſſaria eſt Aſcetæ, hæc profectò cenſeri debet, ut ad quem propriè pertinet, non modò quoad ſe fraudes & laqueos Dæmonis ſtudioſè devitare, ſed alios etiam ab eorum incurſu ſagaciter tueri. Unde ſicut plurimæ ſunt fraudes & aſtus Dæmonis, quibus decipere conatur; ita non pauciores ſunt doctrinæ, quæ ad eaſdem evitandas obſervari debent; ſed omnes ferè ad tria capita reduci poſſunt, nimirum ut bene ſciatur, quid ante, quid in, & quid poſt tentationem obſervandum ſit.

II. Ante tentationem itaque tria obſervanda ſunt. *S. Greg. l. 29. mor. c. 12.* 1. Ut certò ſibi perſuadeat, poſtquam acceſſit ad ſervitutem DEI, animum ad tentationem parandum eſſe; imò quò plùs in Sanctitate profecerit, tantò vehementiùs oppugnatum iri, cùm, teſte S. Gregorio, hoſtis noſter in hac vita poſitos, quantò magis nos ſibi rebellare conſpicit, tantò ampliùs expugnare contendat. 2. Ut firmiter quoque credat, DEUM, uti S. Paulus 1. Cor. 10. v. 13. monet, fidelem eſſe, atque adeò non paſſurum, ut ſupra vires tentetur; ſi enim, ut rectè diſcurrit S. *S. Ephrem ſ. de patient.* Ephrem, homines, cùm tam parùm ſciant, ſciunt tamen diſcernere, quantùm oneris ſingula jumenta ferre valeant, tantùmque imponunt, quantùm eorum vires tolerant; ſi etiam figulus vaſa efformans novit, quanto ea tempore in igne relinqui oporteat, ne, ſi diutiùs relinquat, adurantur; ſi minùs, diſſolvantur; quantò magis DEUS, cujus eſt infinita potentia & Sapientia, novit, quibus tentationibus aut probationibus indigeant animæ ipſi placere volentes, neque majores permittet, quàm ipſarum utilitati conducat? 3. Ut pariter firmiſſimè credat, non nocere ſenſum in tentationibus, ſi abſit conſenſus; ut enim ignis ſub cinere latet, etiamſi cineribus

totius

totus videatur ſepultus ; ita & caritas in corde eſſe poteſt , licet ob tentationum gravitatem videatur penitus extincta.

III. In ipſa tentatione quinque doctrinæ obſervandæ ſunt. 1. Ut non concidat animo, ſi tentationum procellæ exoriantur ; ut enim ſi Nauta ſemel à timore occupatus eſt , ad navim regendam prorſus ineptus evadit ; ita animus tentati ſi timori ceſſerit , manifeſto victoriæ amittendæ periculo ſe exponit. *S. Greg. l. 5. mor. c. 12.* Unde ſapienter monet S. Gregorius: In tentatione deprehenſus tenebras mœroris incide, ne, qui in tanta animi tranquillitate alta de te ſenſeras, in perturbatione quoque deteriùs cogitationum caligine te confundas. *Matth. 26. v. 41.* 2. Ut Christi conſilium ſequatur dicentis : vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Et vigilantiam quidem etiam S. Paulus commendans, *1. Cor. 16. v. 13.* vigilate, ait, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini : orationi inſtate, vigilantes in ea. Quâ ratione autem ſuſcipi debeat hæc vigilantia, pulchrè docuit S. Auguſtinus, *S. Aug. ſ. 13. de verbis Dom. c. 10.* dum ſic Evangelium *vigilate* clauſit : Si ergo dormituri ſumus, quando vigilabimus ? corde vigila, fide vigila, ſpe vigila, caritate vigila, operibus vigila. Hodie laboramus, & lampades noſtræ inter ventos ſeculi hujus, tentationéſque fluctuant, ſed ardeat in robore flamma noſtra, ut ventus tentationis augeat potiùs, quàm extinguat. Oratio verò quomodo practicanda ſit, pulchrâ ſimilitudine declarat Abbas Ioannes dicens : *Vita PP. l. 5. de patient. & humil.* Similis debet eſſe Monachus homini ſedenti ſub arbore grandi, qui reſpiciens feras diverſas & ſerpentes venientes ad ſe, cùm non poſſit eis reſiſtere, ſubit in arborem, & ſalvatur. Ita & Monachus ſedens in cella, & videns pravas cogitationes confugiat ad DEUM per orationem, & ſalvabitur. Item ſimilis debet eſſe homini habenti à ſiniſtra ignem, & à dextra aquam, ut, quotiens fuerit ſuccenſus ignis, tollat de aqua (puta oratione) & extinguat illam. *L. 1. c. 13. §. 5.* 3. Ut initiis tentationum fortiter invigilet, & reſiſtat ; quia, ut bene monuit pius Author libelli de Chriſti imitatione, faciliùs hoſtis vincitur, ſi oſtium mentis nullatenus introire ſinitur, ſed extra limen ſtatim, ut pulſaverit, illi obviatur. Econtrario verò, ſi tentationi in carne naſcenti feſtinè non reſiſtitur, eâdem, quâ nutritur, horâ roboratur, & exiſtens foris in operibus vix prævalet, quia ipſam intus membrorum Dominam mentem captivam tenet, ut ſapienter notavit S. Gregorius. *S. Greg. in paſtor.* 4. Ut non obiter & perfunctoriè reſiſtatur tentationi & Hoſti, ſed penitus, quantùm fieri poteſt, deleatur ; quod fiet, ſi ipſa etiam tentationum radix & occaſio tollatur. Eſt autem hæc radix non alia, quàm concupiſcentia, uti clarè S. Jacobus indicavit dicens: *Iac. 4. v. 1.* Unde lites & bella in vobis ? nonne hinc, ex concupiſcentiis, quæ militant in membris veſtris ? *Pſ. 36. v. 4.* Hæc autem radix tunc tollitur, ſi à Creaturis ad DEUM transferatur, juxta doctrinam S. Davidis dicentis : Delectare in Domino, & ipſe tibi dabit petitiones cordis tui ? Et Salomonis : *Sap. 13. v. 3.* Quorum ſi ſpecie delectati, Deos putaverunt, ſciant, quantò his dominator eorum ſpecioſior eſt, ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit. 5. Ut ad pugnam ſe variis motivis, præſertim DEI & totius Curiæ cœleſtis agonem ſpectantis, & animos addentis, præſentiâ cogitatâ excitet ; quemadmodum S. Stephanus exemplo ſuo docuit, cælos apertos, & JESUM ſtantem à dextris contemplatus, dum lapidibus impeteretur.

IV. Poſt tentationem tria ſpecialiter ſunt obſervanda. 1. Ut debitæ DEO pro obtenta victoria gratiæ ferventer perſolvantur, dicendo cum S. Davide: *Pſ. 143. v. 1.* Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Aut : *Pſ. 113. v. 9.* Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. 2. Ut non putetur debellatum eſſe, ſi ſemel victoria obtenta eſt ; nam, ut ſapienter advertit venerabilis Beda, *V. Beda ſup. Lucam.* ſæpe antiquus hoſtis, poſtquam menti noſtræ tentationum certamen inflixerit, ab ipſo ſuo certamine ad tempus recedit, non ut illatæ malitiæ finem præbeat, ſed ut corda, quæ per quietem ſecura reddidit, repentè rediens, faciliùs inopinatè irrumpat. Huc etiam pertinet, ut non abjiciat animum, aut contriſtetur, ſi devictis gravioribus hoſtibus advertat, ſe adhuc à minoribus infeſtari, nam, ut ſapienter diſcurrit S. Gregorius, *S. Greg. l. 4. mor.* hoc divinâ diſpenſatione agitur, ne ex omni parte virtutibus ſplendens in elationem ſublevetur ; ut, dum in ſe parvum quid reprehenſibile videt, & tamē hoc ſubjugare non valet, nequaquam ſibi, ſed Authori victoriam tribuat in his, quæ ſubigere fortiter valet. Quod ad hoc agitur, ut ad virtutem mens proficiens juſtitiâ ſuâ, meliùs infirmitate roboretur, & inde veriùs in bonis luceat, unde etiam nolentem parva reprehenſibilia humiliter obſcurant. Unde & benè, cùm Iſraëlitico Populo percepta promiſſionis terra divideretur, Ephraim Tribui Chananæus gentilis Populus non occiſus, ſed factus eſt tributarius. Rectè autem tributarius effici dicitur, quia hoc ipſum vitium, quod ſubigere non poſſumus, ad uſum noſtræ utilitatis humiliter retorquemus, ut eo de ſe mens in ſummis vilia ſentiat, quò ſuis viribus etiam parva, quæ appetit, non expugnat. Unde & bene rurſum ſcriptum eſt: Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſraëlem. Ad hoc namque quædam minima vitia noſtra retinentur, ut ſeſe noſtra intentio ſollicitam in certamine ſemper exerceat, & eo de victoria non ſuperbiat, quo vivere in ſe hoſtes conſpicit, à quibus adhuc vinci formidat. 3. Ut, ſi quis in tentatione cecidiſſe ac ſuccubuiſſe ſe advertat, animis non concidat, ſed potiùs ſalubrem Thomæ Kempenſis *L. 3. c. 6.* doctrinam ac conſilium ſequatur : Certa tanquam miles bonus ; & ſi interdum ex fragilitate corruis, reſume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia. Nam, ut rectè advertit S. Gregorius, *S. Greg. hom. 34. in Evangel.* ſicut Dux in prœlio pluſ eū militem diligit, qui poſt fugam reverſus, hoſtem fortiter petit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, ſic DEUS ſæpe illos plùs amat, qui poſt peccatum ferventiùs illi ſervierunt, quàm qui peccato mortali non commiſſo, tepidos ſe in ejus ſervitio exhibuerunt.

§. XI.
CONCEPTUS PRÆDICABILES.

1. Reg. 17. v. 25. I. EX occaſione thematis: *Quid dabitur viro, qui percuſſerit Philiſtæum hunc?* poſſunt motiva ad tentationes fortiter ſuperandas impellentia proponi, nimirum 1. *Quòd eum ditabit DEUS divitijs multis*: puta virtutibus & meritis, quæ ſolæ ſunt veræ & præſtantiſſimæ divitiæ. 2. *Quòd domum ejus faciet abſque tributo*: id eſt, liberabit à miſerijs & triſtitijs animi, quibus omnes homines ſubjacere cõſueverunt;
Prov. 12. v. 21. nã juſtũ, qualis eſt uniq;, qui tentationes omnes ad peccatum fortiter ſuperat, non contriſtabit, quidquid ei acciderit, Salomone teſte. 3. *Quòd Filiam ſuam dabit ei*: id eſt, gratiam ad gloriam, quæ ſunt principales DEI creaturæ, & animam, cui uniuntur, ad ſummam amicitiam cum DEO, atque adeò etiam dignitatem maximam evehunt. Quæ omnia facilè fuſiùs diduci poſſunt. Animentur proinde Auditores, ut cum Davide animos ſumant, fundam generoſæ reſolutionis aut caritatis divinæ, cum lapide contemptûs illius boni ſenſibilis, quo allicit & tentat Adverſarius, arripiant, & ſic in nomine Domini, id eſt, cum gratia divina audacter aggrediantur hoſtem, feliciterque ſternant.

Job. 7. v. 1. II. Ex occaſione thematis: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*: poteſt explicari natura & periculum tentationis, idque ex triplici capite oſtendi. 1. Ex qualitatibus Adverſarij, utpote qui eſt inviſibilis, & calliditate, uſûque valet plurimùm, quippe qui cum tot tantiſque viris pugnârit, nec rarò victor evaſerit: præterea ſic pollet viribus, ut, teſte Job, quaſi paleas
Job. 41. v. 18. ferrum, & quaſi lignum putridum, æs æſtimet. Sed & tantâ eſt vigilantiâ præditus, ut dies, noctéſque impugnet: tantâ pertinaciâ nos obſidet atque oppugnat, ut non uno tantùm vel altero menſe aut anno, ſed per vitam univerſam hoc prælium continuet. Odio denique inſuperabili ad eos potiſſimùm devorandos fertur, qui arctiſſimis ſe cum DEO vinculis devinxerunt,
Abac. 1. v. 16. ut verè cibus ejus electus ab Abacuc dicatur. 2. *Ex modo pugnandi*; neque enim ſub mœnibus, aut deſtinato ad pugnam certo tempore pugnandum eſt, ſed ſemper in armis & prœlio ſtandum, ſemper aperto campo, & cominus cum Hoſte pugnandum, ut meritò magnâ ſemper vigilantiâ, præparatione, & fortitudine ſit opus. 3. *Ex momento pugnæ*: non enim hîc agitur de pace aut bonis temporalibus conſervandis, ſed de ſalute animæ, & de felicitate aut infelicitate æterna; ſi ergo illi, qui vident pro anima rem agi, totis viribus decertare conſueverunt; quantò magis quivis Chriſtianus pro anima ſua tam pretioſa fortiter ſe Adverſarijs ſuis opponere debebit? Oſtendatur proinde, quomodo certare debeant, eúmque in finem exemplum Chriſti, triplicem de Hoſte victoriam obtinentis, nec alijs armis, quàm gladio verbi DEI utentis, afferatur.

2. Tim. 4. v. 7. III. Ex occaſione thematis: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*: poteſt oſtendi, quomodo quivis Chriſtianus pugnare debeat, ut victoriam obtineat. Videlicet 1. contra *unum* duntaxat, quia juxta commune Proverbium, nec Hercules contra duos. Quem in finem ſerviet tum factum Sciluri Scytharum Regis octoginta Filijs faſciculum totidem ſagittarum offerentis, & frangere jubentis; cúmque id nequiiſſent, ſoluto faſciculo ſingulas cuique ſagittas porrigentis, iterúmque frangere præcipientis, quod facili labore præſtiterunt: tum Horatij militis Romani contra tres Curiatios milites Albanos pugnantis, &, quia fugam ſimulans unum poſt alterum aggreſſus eſt, feliciter ſuperantis. 2. Contra *maximum*: uti olim Rex Syriæ ſuis præceperat di-
3. Reg. 22. v. 31. cens: Non pugnabitis contra majorem aut minorem quempiam, niſi contra Regem Iſraël ſolum. Et David exemplo ſuo docuerat dum contra ſolum maximum Philiſtæum pugnando, totum exercitum fugavit. Et Judith Holoferne interempto, omnes ejus aſſeclas in fugam præcipitavit. 3. *Magno animo aggrediendo*; quia Diabolus eſt Leo, ſi cedas: ſi ſtas, ut muſca redit. Quem in finem ſerviet exemplum de Adoleſcente, qui ab Angelo ſuo cum magno & terribili Gigante ei objecto pugnare juſſus, cùm formidaret congreſſum, iterum ab eodem Angelo admonitus eſt, ut aggrederetur duntaxat illum, mox enim ſe auxilio venturum.

IV. Ex occaſione thematis: *Certa bonum certamen*: vel: *Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente*: poteſt pulchrè oſtendi, 1. Tim. 6. v. 12. Eccleſ. in officio.
quomodo juxta exemplum S. Georgij poſſit quiſque cum Dracone infernali, id eſt, Diabolo pugnare. Et in prima quidem parte poteſt oſtendi, quàm rectè Dæmon Draconi comparetur, nempe quia & fœdiſſimus aſpectu eſt, & crudeliſſimus, non corporali tantùm, ſed etiam ſpirituali vitæ inſidians, atque adeò corpus ſimul & animam tollens. In ſecunda parte demonſtrari poteſt, quomodo ſit ſuperandus, ſcilicet *inſidendo equo albo*, de quo pius Author dixit; ſuaviter equitat, quem gratia DEI portat. De hoc enim verè illud Chriſti verificatur: ſine me nihil poteſtis facere. Deinde lanceam generoſæ reſolutionis & cooperationis aſſumendo, & versùs Draconem detorquendo. Et tandem loricâ firmi propoſiti non peccandi ſe armando; his enim armis haud difficulter expugnabitur hic Draco. In tertia parte oſtendi poteſt, quomodo ſe quis excitare debeat ad hoc certamen alacriter ſubeundum, ſcilicet proponendo ſibi S. Margaritam Virginem ſpecioſam, quam per hoc certamen eripiat, animam ſcilicet propriam, cujus dignitas ac pulchritudo breviter explicari poteſt.

§. XII.
MISCELLANEA.
Qualitas.

I. CUm quidam Senex dixiſſet ad alium: Vit. PP. l. 3.
Ego jam mortuus ſum mundo; reſpondit alter. ne confidas in teipſum, donec egrediaris de corpore hoc; nam etſi tu dicas, quoniam mortuus ſum, Diabolus tamen necdum eſt mortuus, cujus innumerabilia ſunt artis mala.

Ibid. l. 9. II. Cùm quidam Frater interrogaret Senem dicens : Si fuero in aliquo loco, & orta mihi fuerit tentatio, nec habuero, cui me committam, & indicem paſſionem animi mei, quid faciam ? reſpondit Senex : Crede in DEO, quia ipſe mittet Angelum ſuum, & gratiam ſuam, & ipſe tibi eſt conſolatio, ſi in caritatè rogaveris eum. Et addidit dicens : audivi, quia in Scythi erat quidam, qui ſuſtinebat tentationes, & non habens fiduciam in aliquo, cui confiteretur, parabat veſpere melotam ſuam, ut diſcederet ; & ecce noctu apparuit ei Gratia DEI in ſpecie virginis, & rogabat eum dicens : Nuſquam vadas, ſed ſede hîc mecum ; nihil enim ex his malè fit, quæ audiſti, qui credens verbis ejus ſedit, & ſtatim ſanatum eſt cor ejus.

Ibid. III. Cùm Paſtorem Abbatem aliquando Abbas Ammon de immundis cogitationibus interrogaret, quæ in corde hominis generantur, & vanis deſiderijs, reſpondit ille : numquid gloriabitur ſecuris ſine eo, qui incidit in illa ? & tu ergo non porrigas eis manus, & otioſæ erunt.

Ibid. IV. Cùm quidam Frater ad ſenem diceret : quid faciam, quia multæ cogitationes ſollicitant me, & neſcio, quomodo repugnem eis ? reſpondit ſenex : non repugnes contra omnes, ſed contra unam ; omnes enim cogitationes Monachorum unum habent caput ; neceſſarium ergo eſt conſiderare, quæ & qualis ſit, & adverſus illam reniti ; ita enim & reſiduæ cogitationes humiliantur.

Lib. 4. c. 44. inſin. V. S. Leo S. Gertrudem inſtruebat, ut, quandocunque accedere debet ad aliquem locum, in quo ſuſpicatur occaſionem tentationis, ſemper dicat verſum : Fiat, Domine, cor meum, & corpus meum immaculatum. Et poſt perfectum opus collaudet Dominum pro his, à quibus eam cuſtodivit.

VI. B. Virgo dedit S. Birgittæ tria remedia contra tentationes. Cùm tentatione ſordita tentaris, dicito : JESU Fili DEI, omnium Conditor, adjuva me, ut in cogitationibus vanis non delecter. Cùm verò delectat te loqui, dicito : JESU Fili DEI, qui coram Judice tacuiſti, tene linguam meam, donec cogitem, quid & qualiter loquar. Cùm verò delectat operari, vel quieſcere dicito : JESU Fili DEI, qui ligatus fuiſti, rege manus, & omnia membra mea, ut opera mea tendant ad bonum finem. Et addidit : Quâcunque tentatione tentaris, in oratione nihilominus ora, & conare ad orandum, quia deſiderium & conatus bonus reputabitur pro effectu orationis. Et ſi ſordida advenientia menti tuæ ejjcere non poteris, tunc ille conatus tibi reputabitur pro corona, modò non conſentias, & ſint contra voluntatem tuam.

Drexel. in palæſt. p. 1 c. 9. §. 3. VII. Ferdinandus Antellus Dorlani præſidij Præfectus, ut Ambianum Urbem in ſuam redigeret poteſtatem, quadraginta Milites veſtibus ruſticanis indutos, ſub quibus arma gerebant, & ſaccis, qui Nuces aliáſque ruſticanas merces continebant, onuſtos ad urbem illam miſit, ipſe interea cum alijs militibus tertio ab urbe lapide ſub rudenbus latuit. Poſtquam ergo Milites illi ad portam appulſi ſaccum nucibus plenum veluti caſu ſolutum effuderunt, quas dum Portæ cuſtodes petulantiùs colligunt, à Perſonatis militibus confodiuntur, datóque ſocijs ſigno Ambianum ſine ſanguine expugnatur. Simili modo Diabolus corda hominum nucibus terrenarum rerum objectis in ſuam poteſtatem redigere conatur.

VIII. Numquid vides, inquit Seneca, quantò aliter Patres, aliter Matres indulgeant ? illi excitari jubent liberos ad ſtudia maturè obeunda, feriatis quoque diebus non patiuntur eſſe otioſos, & ſudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt ; at Matres fovere in ſinu, continere in umbra volunt, nunquam triſtari, nunquam laborare. Patrium habet DEUS adverſus bonos viros animum, & illos fortiter amat, & operibus, inquit, & doloribus exagitentur, ut verum colligant robur. *Senec. l. de prov. c. 2.*

IX. Sicut Didaſcali Pueros docent in Alphabeto unam literam poſt aliam, ita & Diabolus ſuos Diſcipulos, ut primò admittant cogitationes malas, dein blandiantur, mox conſentiant, dicant, ſeu ore proferant, Exemplis doceant, opere faciant. *Drex. l. c. p. 3. cap. §. 1.*

X. S. Franciſcus Seraphicus dicere ſolitus erat, Diabolum à nobis filum duntaxat petere, & ex eo funem nauticum texere. *Drex. in palæſtra, p. 3. c. 2. §. 2.*

XI. Cùm S. Pachomius Dæmoni apparenti exprobraret, quòd homines, à quibus læſus non ſit, diu, noctúque improbiſſimè infeſtet, reſpondit ille : nos ad fores pulſamus, dare aditum, aut negare, penes vos eſt : ſi aperitis mox intrò ruimus, & imaginationem occupamus, unde facillimum nobis eſt, cæcam voluntatem, totúmque hominem expugnare. Quòd ſi reſiſtitis, & mox initio prohibetis ingreſſu, nos victi ſumus, & veluti fumus evaneſcimus.

XII. Abbatem Pœmenem cùm interrogâſſet quiſpiam, quid facere deberet, cùm cogitationes iracundæ & impudicæ invaderent, reſpondit ille ; quid faciebat David, quando urſus aut leo arietem de medio tollebant ? percutiebat, ſuffocabat, interficiebat illos ; ita & tu Leonem tuum iracundiam percute ſubmiſſione, ſuffoca manſuetudine, urſum ſeu carnem tuam in libidinem pronam laboribus & jejunijs exarma. *Ib. c. 9 § 2.*

XIII. S. Antonius ſuis extremùm valedicturus dicebat : Vos, ô viſcera mea admoneo, ne tanti temporis laborem repentè perdatis varias Dæmonum noſtis inſidias : vidiſtis eorum & impetus feroces, & vires effeminatas. JESUM ſuſpirate, & credulitatem nominis ejus veſtris figite mentibus, & à certa fide univerſi Dæmones fugabuntur. Si alacres in Domino fuerimus, & futurorum bonorum cupido nos ſuccenderit, ſi ſemper omnia manibus DEI committamus, nullus Dæmonum ad pugnandum valebit accedere. Una eſt ratio vincendi inimicum, lætitia ſpiritualis, & animæ ſemper cogitantis Dominum jugis recordatio. *S. Athan. in vit. c. 10 & 18.*

XIV. De Jonatha dicit S. Scriptura, quòd, cùm audiviſſet, quoniam regreſſi ſunt principes Demetrij cum exercitu multo, occurrerit eis in Amathite regione ; non enim dederat eis ſpatium, ut ingrederentur regionem ejus. *1. Mach. 12.*

Apoc. 12. XV. Draco à S. Joanne olim viſus, cùm videret, ſe nec Matrem, nec Filium devorare potuiſſe, iratus abijt facere prœlium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata DEI. Simili modo Dœmon, quia Chriſtum velut caput Eccleſiæ, nec totum corpus, quod per mulierem ſignificatur, perdere potuit, ad ſingulos Eccleſiæ Filios, eóſque meliores tentandos & affligendos ſe convertit, ſicut enim is, qui cum altero digladiatur, animadvertens, ſe eum in capite ferire non poſſe, in corpus ejus reliquum ictus infligit; ſic Diabolus, quia contra Chriſtum non prævaluit, membra illius, ſingulos Fideles aggreditur.

S. Tereſ. in ctim. perf. c. 23. XVI. S. Tereſia dicebat: Non habet Dœmon potentiam ad generoſas & reſolutas animas tentandas; ab illis enim ſibi inprimis metuit: experientia quippe jam novit, magnum ſibi ab illis damnum accidere, &, quidquid producit, ac dirigit ad nocendum illis, hoc totum tam in ipſarum, quàm aliarum commodum cedere, & ſe damnum referre.

Nyſſen Fer. 6 poſt Dom. 3. quadr. §. 6. XVII. S. David tentationes Dœmonis ad gravia ſcelera, ſagittás volantes vocat, quia, cùm vitiorum tam ſint deformes vultus, curat Dœmon, ut citò volent, ſubitóque ictu ceu leves ſagittæ eruenient, ac ſancient; quis enim Chriſtianus patentes eorum aſpectus arbitratus, inflecti ad eorum concupiſcentiam, amorémque poſſit?

Vit. PP. lib. 7. c. 25. n. 4. XVIII. Achilles Abbas requiſitus, quomodo adverſum nos poſſint Dœmones? per voluntates noſtras, reſpondit. Et adjecit: Ligna Libani dixerunt: Quàm grandia ſumus, & alta, & parviſſimo ferramento incidimur, nihil ergo ei demus ex nobis, & nos non poterit incidere. Venerunt ergo homines, & fecerunt in ſecuri manubrium, ex ipſis lignis, & inciderunt. Ligna ergo ſunt animæ, ſecuris Diabolus, manubrium voluntas noſtra. Per malas ergo voluntates noſtras incidimur.

Ibid. n. 3. XIX. Abbas Pimenius rogans Abbatem Abraham, quemadmodum Dœmones nos impugnent, audivit ab eo: Dœmones nobiſcum non pugnant, quia voluntates eorum facimus: ſed noſtræ nobis voluntates Dœmones facti ſunt, & tribulant nos. Dœmones pugnaverunt cum Abbate Moyſe, nos autem voluntates noſtræ impugnant.

Ruffinus l. 3. n. 204. XX. Sicut ad ollam ſuccenſam muſcæ non appropinquant; ſi verò tepida fuerit, inſident in ea, & faciunt vermes, ita & Monachum ſuccenſum igne divini amoris fugiunt Dœmones, tepidum verò illudunt, & ſequuntur.

Ib. n. 173. XXI. Quidam ſenex interrogatus, cur à Dœmonibus tam graviter impugnemur? reſpondit, quia arma noſtra proijcimus à nobis, id eſt, patientiam, humilitatem, manſuetudinem atque obedientiam.

Neceſſitas.

Vit. PP. XXII. B. Syndetica dixit: oportet nos adverſus Dœmones undique armatos exiſtere, quoniam & exterius ingrediuntur, & deintro movent. Sicut enim navis, quæ aliquando exteriùs mole fluctuum opprimitur, aliquando interiùs creſcente ſentina demergitur; ſic & nos aliquando operum exteriùs commiſſorum iniquitate damnamur; aliquando verò interiùs nequitiæ cogitationum addicimur; unde oportet, non ſolùm exteriùs Spirituum immundorum nos impetus obſervare, verùm etiam interiorum cogitationum immunditias exhaurire.

Nyſſ. Dom. 12. poſt Pent. §. 3. XXIII. S. Auguſtinus ſupra illud Chriſti: quòd ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus: ait; quid eſt conculcari ab hominibus, niſi ſuperari à tentatione? non itaque calcatur, qui perſecutionem patitur, ſed qui perſecutionem timendo infatuatur.

Utilitas.

Anon. XXIV. Regina Chunegundis Henrico Conjugi ſuo Virginitatem ſuam probavit, dum per prunas ardentes illæſa tranſivit; ſimili ergo modo ſi anima per prunas tentationum illæſa tranſeat, manifeſtè declarabit, ſe nulli alteri creaturæ, præterquam ſponſo ſuo Chriſto per amorem adhæſiſſe.

Bloſ. c. 4. monil. ſpirit. XXV. Cùm S. Gertrudis propter minutiorem defectum ſeſe multùm arguens ac reprehendens, deſideraret, & peteret à Domino, ut illum penitus in ipſa emendaret, atque ab ipſa auferret, Dominus blandè illi reſpondit: Et quare velles, ut ego magno honore privarer, & tu ingenti præmio careres? nam grande nimis præmium lucraris, quotieſcunque illum vel ſimilem defectum recognoſcens, proponis de cætero eum vitare: & quandocunque homo ſtudet pro amore meo defectus devincere, tantùm mihi honoris ac fidelitatis exhibet, quantùm miles ſtrenuus Duci ſuo exhiberet, ſi ſtrenuè ſeipſum in bello inimicis opponeret, eóſque viriliter expugnaret, atque proſterneret.

Laërt. l. 2. c. 8. XXVI. Antiſthenes dicebat: In auctione vas empturus curioſè illud inſpicis, pulſas, huc illuc verſas, tinnitu exploras, antequam emas; ſimili modo DEUS probare ſolet eos, quos in amicitiam recipere cupit.

Drex. in Palaeſt. p. 1. c. 4. §. 1. XXVII. Numertes interrogatus, quâ ratione amici fidam probitatem exploraret? per fortunam adverſam, reſpondit.

Plutarch. p. 1. in Lacon. fol. 393. XXVIII. Cleomenes Rex Spartanus quæſitus, cur Argivos victos non deleviſſet? ne deſint, inquiebat, qui Juvenes noſtros exerceant.

Dignitas.

Drex. l. 5. 3. prol. XXIX. Cùm lignum in officina ſtatuarij dolandum quereretur, quòd tam malè à Magiſtro tractaretur, reſpondit ille, injuſtam eſſe hanc querelam, eò quòd dedolatio iſta ſummo honori ſit futura, dum ut ſic in ara collocanda, & vario cultu afficienda eſſet, quem honorem in ſilva conſiſtens nunquam exſpectare potuiſſet.

§. XIII.

AXIOMATA.

I. Tentatio eſt vita hominis ſuper terram. *Job 7. v. 1.*
II. Ignis probat aurum, tentatio virum. *Eccl. 2. v. 5.*
III. Vinum aperit corda, tentatio oculos. *Anonym.*
IV. Major eſt Adjutor, quàm Tentator. *S. Aug. ſ. 160. c. 4.*
V. Principijs obſta, ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras. *Ovid. l. 1. de amor.*

§. XIV.

Digitized by Google

§. XIV.

AUTHORES.

I. Hieremias Drexelius. in Palæſtra Chriſtiana.

II. Alphonſus Rodriquez. p. 2. tr. 4. toto.

III. Bernardinus Roſignolius. l. 1. à c. 17. uſque ad 22. & l. 2. cap. 36. & 37. & l. 5. c. 27.

IV. Humbertus. l. 3. de erudit. p. 1. 2. 3. 4.

V. Nicolaus Lancizius. op[illegible]. 10. c. 5. & opuſc. 1. c. 16. & 17.

VI. Joſephus Langius in Polyanth. v. eod.

VII. Laurentius Beurlynck in theatro vitæ humanæ. v. eodem.

VIII. Thomas Kempenſis l. 3. de imit. Chriſti. c. 13.

IX. S. Franciſcus Saleſius in Introductione ad vitam devotam p. 4. à c. 1. uſque ad 10.

TITULUS XXVII.

EXTREMA UNCTIO.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Thom. 4. diſt. 23. q. 1. a. 1.

EST Sacramentum à Chriſto inſtitutum, ad ægroto periclitanti de vita conferendam ſalutem animæ, vel etiam corporis, per unctionem olei benedicti, & orationem Sacerdotis. Cùm enim mortis articulus ob multa, quæ tunc occurrunt, ſit formidabilis, ſtatúſque vitæ noſtræ incertus ac futuræ incertior, multæque ſe tunc ingerant tentationes, opportunè nobis Chriſtus providit inſtitutione hujus Sacramenti, quo ſpiritualiter recreamur, & in ſpem erigimur, etiam ab ea infirmitate nos eximendos.

Diviſio.

II. Dividitur in ſeptem partiales unctiones, videlicet oculorum, aurium, narium, oris, manuum, renum, ac pedum; eò quòd in his præcipuè organa ſenſuum, atque adeò & fomenta peccatorum reſideant. Unde & in forma dicitur: Per iſtam ſacram unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi DEUS, quidquid deliquiſti per viſum, auditum &c. *Ritual. Roman.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Marc. 6. v. 12. I. EXeuntes prædicabant, ut pœnitentiam gerant, & dæmonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.

Utilitas.

Jac. 5. v. 14. II. Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Utilitas.

S. Hier. in 6. Marci. I. QUando ungunt oleo ægros, infirmitatem fidei virtute corroborant. Corroborant autem interceſſione & oratione fidei, quam DEI clementia exaudiet, & ſe exorabilem præſtabit, cujus Sacramentum eſt oleum conſecratum.

II. Eſt oleum & ad labores utile, & lucis fomentum, & hilaritatis effectuum, ſignificátque miſericordiam DEI, & gratiam Spiritûs, per quam à labore liberamur, & lucem, & gaudium, hilaritatémque percipimus. *Theophyl. apud Marchant. tr. 6. candelab. lect. 4.*

III. Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur Præcantatores, non ſortilegi, non caragij, neque per fontes aut arbores, aut bivia phylacteria exerceantur, ſed, qui ægrotat, in ſola DEI miſericordia confidat, & Euchariſtiam cum fide & devotione accipiat, oleúmque benedictum fideliter ab Eccleſia petat, unde corpus ſuum ungatur, & ſecundùm Apoſtolum oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, non ſolùm corporis, ſed & animæ ſanitatem accipiet, complebitúrque in illo, quod Dominus in Evangelio promiſit dicens; omnia, quæcunque petieritis Patrem in nomine meo in oratione, credentes accipietis. *S. Auguſt. in tr. de rect. cath. converſat.*

IV. Nec prætermittendum eſt illud Apoſtoli Jacobi præceptum; Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo ſancto in nomine JESU, & oratio fidei ſalvabit infirmum. Ergo ſic roges de te, & pro te fieri, ſicut dixit Apoſtolus Jacobus, imò per Apoſtolum ſuum Dominus, ipſa videlicet olei ſacrati delibutio, intelligitur Spiritûs ſancti typicalis unctio. *Idem in l. 2. de viſit. infirm. c. 4.*

§. IV.

EXEMPLA CHRISTIANA.

Qualitas.

I. S. Malachias cùm oleo ſacro ungi ſe vellet, exeunte Fratrum conventu, ut ſolemniter fieret, non ſuſtinuit, ut ad ſe aſcenderent, ipſe deſcendit ad eos. Jacebat ſiquidem in ſolario, domo ſuperiori. Ungitur, & ſumpto viatico, Fratrum ſe orationibus, & Fratres commendans DEO, ad lectum revertitur. *S. Bernard. in vita illius.*

II. Cùm Reginaldus unus ex Diſcipulis S. Dominici moneretur, ut ſe extrema unctione ad luctam cum Dæmone præpararet, reſpondit: Ego hanc luctam minimè reformido, quin potiùs læſus exſpecto; jam enim dudum Mater Miſericordiæ me inunxit, in qua plurimùm confido, & ad quam cupidè proficiſcor. Erat autem, ut dicebat, ea unctio ab ipſa ſanctiſſima Virgine peracta, quæ ad Reginaldum multorum annorum infirmitate detentum inviſit, & unguento, quod attulerat, oculos, aures, os, manus, & pedes unxerat. *Marchant. l. c. lect. 3.*

Ibid. ex Surio 9. April. III. S. Lydwinam graviter ægrotantem Chriſtus ipſo Paſchatis die cum Matre, Apoſtolis, multiſque Sanctis & Angelis viſitavit, & ad lectuli dextram ſedit, Matre ad ſiniſtram aſſidente, reliquis in orbem diſpoſitis; quo facto ſurrexit Chriſtus, & ad menſam oleo ſacro, cruce elegantiſſima, & cereo totum cubiculum illuſtrante inſtructam, accedens, ſumpſit oleum, eámque more in Eccleſia recepto, ſed ſine verbis inunxit, & tandem cereum in manum tradens, eidem adſtitit, donec Spiritum exhalavit.

Neceſſitas.

March. l. c. lect. 2. IV. Quidam vir magni meriti in extremis laborans, cùm interrogatus fuiſſet, num ſacro oleo ungi vellet? reſpondit: nolite, obſecro, quia omnes, qui inunguntur, ſtatim moriuntur. Atque his dictis Spiritum reddidit. Cùm autem linteaminibus involvendus eſſet, Spiritum reſumpſit, oculóſque aperuit, ac dixit: Quia extremæ unctionis Sacramentum ſalutare abhorrui, centum annis in purgatorio, juſto DEI judicio, torquebor. Si autem unctus fuiſſem, de ægritudine convaluiſſem; ſacra enim unctio non eſt mortis acceleratio, ſed dilatio, quibus dictis iterum expiravit.

S. Bern. in vita. V. S. Mabachias Abbas, quia ad aliorum opinionem Sacramentum unctionis ab ægra muliere petitum, in ſequentem diem diſtulerat, & interea mulier mortua fuerat, in omnium adſtantium præſentia conteſtatus eſt, ſe nullam conſolationem recepturum, niſi, quam tulerat, liceret reſtituere gratiam. Quare totam noctem in oratione & lacrymis conſumens, & ſuos quoque ad eandem exhortans, impetravit, ut mortua vitæ reſtitueretur, & ab eo inuncta mox etiam ſanitatem reciperet.

Utilitas.

Surius 23. Iun. VI. S. Maria Oegniacenſis vidit, dum ægroti Sacramentum unctionis perciperent, Chriſtum cum Sanctorum multitudine adeſſe, ægrotum corroborare, dæmones expellere, animam purgare, ſéque, dum membra ejus ungerentur, quaſi in lumine per totum corpus diffundentem. Cùm verò & ipſa ungeretur, Apoſtoli omnes adfuêre, & B. Petrus claves oſtendens pollicebatur, ſe illi cæli januam patefacturum.

Annua ſoc. 1599. Coll. Lugd. VII. Quidam circa Lugdunum magno febris æſtu conflictatus, inter confitendum urgente morbo de poteſtate mentis exierat, ſéque jam damnatum eſſe clamabat. Verùm poſtquam ſacro oleo inunctus eſt, mox mentis ſanitatem, & etiam corporis valetudinem recuperavit.

Nidor. l. 4. formic. c. 11. VIII. Rupertus Rex Romanorum cùm de extrema unctione ſuſcipienda admonitus, diu reluctatus fuiſſet, ubi tandem conſenſit, precéſque conſuetas recitari audivit, mentem & vocem erigens, dixit: Revera ſi ſciviſſem, tantùm valere hoc Sacramentum pro utriuſque hominis ſanitate, ut nunc percipio, & audio, jam diu illud devotiſſimè poſtulâſſem Convaluit igitur, & multis annis ſanctè gubernavit, & vixit.

Laur. Beerl. in theatr. vit. IX. S. Hieronymus refert, ſanctiſſimum virum Hilationem, Conſtantiæ nobiliſſimæ Feminæ generum ex ipſis mortis faucibus eripuiſſe, & alijs quàm plurimis à venenatis ſerpentibus ictis, integram ſanitatem reddidiſſe. *hum. 9. eodem.*

§. V.
SIMILITUDINES.
Utilitas.

I. Sicut oleum in mare effuſum ſedat tempeſtates maris; ita oleum ſacrum homini applicatum ſedat fluctus tentationis à dæmone excitatos in agone mortis, ubi maxima ſævit tempeſtas. *Faber. conc. 4. in Dom. 20. poſt Pentec.*

II. Sicut olim Luctatores oleo ungebantur ante luctam, quia per illud corroborari ſe credebant, ita Eccleſia quoque ſuos Fideles ad ultimam luctam fortiter ſubeundam inungit. *Ibid.*

III. Sicut oleum vulnerum dolorem lenit, & ideo à Samaritano in vulnera illius, qui inter Latrones incidit; infuſum eſt; ita oleum extremæ unctionis ſanat, & lenit vulnera per Latrones Tartareos contracta. *Ibid. n. 3.*

§. VI.
MOTIVA.
Ad Vnctionem extremam libenter ſuſcipiendam.

I. *Neceſſitas*: cùm enim in ultimo agone pugna pugnanda ſit, à qua tota pendet æternitas, meritò omnia media, quæ ad felicem illius ſucceſſum præcipuè conducunt, adhibentur, quale utique cenſeri debet hoc Sacramentum, utpote à Chriſto ipſo pro hoc fine ſumma cum caritate & ſollicitudine inſtitutum.

II. *Vtilitas*: cùm enim per hoc Sacramentum ſingulare robur animæ conferatur, reliquiæ peccatorum tollantur, & ſanitas etiam corporalis, ſi infirmo expedit, conferatur; meritò permagni æſtimandum eſt, ſummáque cum alacritate ac deſiderio expetendum.

III. *Æquitas*: ſi enim Medicinæ quantumcunque amaræ tam promptè aſſumuntur, quia per illas ſanitas corporis obtinenda ſperatur; an non æquiſſimum cenſeri debet, ut hoc Sacramentum, per quod ſanitas corporis & animæ promittitur, majori promptitudine expetatur, & recipiatur?

IV. *Dignitas*: ſi enim Davidem & alios olim magnopere honoratos credimus, dum oleo in Reges inuncti ſunt; quantò majorem ſibi honorem exhibitum credet is, qui per hoc oleum ſacrum ſe in Regem & poſſeſſorem regni cæleſtis unctum & ordinatum credet?

§. VII.
MEDIA.
Ad extremam Vnctionem libenter ſuſcipiendam.

I. *Conſideratio caritatis*, quâ hoc Sacramentum à Chriſto inſtitutum eſt; hæc enim efficiet, ut non facilè negligamus, quòd cum tanta ſollicitudine, ſapientia, ac dilectione in noſtram ſalutem ac commodum ab eodem ordinatum eſt.

II. *Conſideratio circumſtantiarum*, quæ mortis articulum, & ultimum agonem difficilem faciunt, videlicet infirmitatis corporalis, quæ ipſum etiam animum non parùm debilitat,

S. Aug. ſ. 48. ad FF. in eremo.

tat, (cùm juxta S. Auguſtinum illic rapiatur tota intentio mentis, ubi eſt vis doloris,) timoris naturalis, quâ ipſam corporis & animæ diſſolutionem, & ſecuturum judicium, pænáſque horremus: & tandem graviſſimæ impugnationis à Dœmonibus ſuſtinendæ; hæc enim omnia efficient, ut medium hoc ad tollendas illas difficultates ſingulariter deſtinatum magnâ alacritate arripiamus.

III. *Conſideratio fructuum*, quos affert religioſa hujus Sacramenti perceptio, maximè ſanitatis corporalis, & alleviationis ſpiritualis, quæ fit per reliquias peccatorum ſublatas, & ſpem æternæ felicitatis obtinendæ ingeneratam.

§. VIII.
ASCETICA.

I. TRia præcipuè ſunt, quæ circa hoc Sacramentum ab Aſceta ſpecialiter notanda ſunt. Primum eſt, ut bene cognoſcat finem, propter quem inſtitutum eſt, qui quidem clarè ac diſertè à Concilio Tridentino ſequentibus verbis inſinuatur: viſum eſt autem ſanctæ ſynodo, præcedenti doctrinæ de pœnitentia adjungere ea, quæ ſequuntur de Sacramento extremæ unctionis, quod non modò Pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt à Patribus. Primùm itaque circa illius inſtitutionem declarat, & docet, quòd Clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſervis ſuis quovis tempore voluit de ſalutaribus remedijs adverſus omnia hoſtium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis alijs præparavit, quibus Chriſtiani conſervare ſe integros, dum viverent, ab omni graviore Spiritûs incommodo poſſint; ita extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ tanquam firmiſſimo quodam præſidio munivit. Nam etſi Adverſarius noſter occaſiones per omnem vitam quærat, & captet, ut devorare animas noſtras quoquo modo poſſit; nullum tamen tempus eſt, quo vehementiùs ille omnes ſuæ verſutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, ſi poſſit, divinæ miſericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perſpicit.

Conc. Trid. ſ. 14.

II. Secundùm eſt, ut pariter bene cognoſcat naturam, & tempus inſtitutionis hujus Sacramenti, de quibus idem Concilium ſic loquitur: Inſtituta autem eſt ſacra hæc Unctio infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentum novi Teſtamenti, à Chriſto Domino noſtro apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum ac Domini Fratrem Fidelibus commendatum ac promulgatum. Infirmatur, quis in vobis &c. Quibus verbis, ut ex Apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium Miniſtrum, & effectum hujus ſalutaris Sacramenti. Intellexit enim Eccleſia materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum; nam Unctio aptiſſimè Spiritûs S. gratiam, quâ inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat. Formam deinde eſſe illa verba: per iſtam Unctionem &c.

III. Tertium eſt, ut dignam de hoc Sacramento æſtimationem concipiat, quod fiet, ſi effectus illius à citato Concilio ſequentibus verbis indicatos bene ponderet: Res porrò & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Res etiam hæc eſt gratia Spiritûs ſancti, cujus Unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, ac confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus ſublevatus & morbi incommoda, & labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidiantis faciliùs reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur. Quòd autem hæc ſanitas modò poſt Sacramentum hoc acceptum tam rarò ſequatur, duplicem rationem affert Marchantius; primam, quòd infirma admodum eorum, qui id ſuſcipiunt, fides ſit; teſtatur quippe Evangeliſta, Dominum apud ſuos non multas virtutes feciſſe propter incredulitatem eorum. Alteram, quòd ſeriùs, quàm oportet, id ſuſcipiant; neque enim per hoc Sacramentum miracula exſpectanda ſunt, quale foret, ſi is, qui animam agit, repentè convaleſceret.

Cap. 2.

March. tr. 6 candelabri lect. 6.

§. IX.
CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros, Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini:* poſſunt effectus hujus Sacramenti per ſimilitudinem olei demonſtrari, videlicet 1. Quòd ſicut oleum *mundat*, (unde virgines pro Aſuero Rege præparatæ, ſex menſibus oleo myrtino ungebantur) ita & hoc Sacramentum animam purificet, reliquias peccatorum, id eſt, peccata venialia, & pœnæ reatum tollendo. 2. Quòd ſicut oleum *ſanat*, (unde Samaritanus illius, qui in latrones cecidit, vulnera alligans, oleum & vinum pro curatione infudit,) ita hoc Sacramentum ſanitatem corporis afferat. 3. Quòd ſicut oleum *roborat*, (unde olim Athletæ pugnaturi oleo ſe ungebant,) ita etiam hoc Sacramentum ſpecialiter pro ultimo & periculoſiſſimo agone confortet. 4. Quòd ſicut oleum *lætificat*, (juxta illud Pſalmiſtæ: propterea unxit te DEUS oleo lætitiæ præ conſortibus tuis) ita & hoc Sacramentum tantò majorem lætitiã afferat, quantò majoré ſpem facit perpetuæ & felicitatis & lætitiæ obtinendæ, utpote quod eſt conſummativum Juſtitiæ Chriſtianæ (quemadmodum ait Concilium Tridentinum.) atque adeò efficit, ut, ſicut cum Chriſto moriturus dicit: Conſummatum eſt; ita etiam cum eodem verè dicere poſſit: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.

Iac. 5. v. 14.

Eſth. 2. v. 12.

Luc. 10. v. 34.

Pſ. 44 v. 8.

II. Ex occaſione thematis: *Inveni David ſervum meum; oleo ſancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum:* poteſt oſtendi, quomodo hæc ipſa

Pſ. 88. v. 22.

Digitized by Google

ipſa verba etiam DEUS ad eum, qui hoc Sacramentum percipit, cum magno illius ſolatio dicat. Et 1. quidem, quomodo invenerit ſervum fidelem, qui faciat omnes voluntates ejus, dum etiam hoc Sacramentum, quod per ſe non eſt de præcepto, ſed ſolùm de conſilio & beneplacito DEI, cum magna alacritate ac religione ſuſcipit. 2. Quomodo verè etiam oleo ſancto unxerit eum, oleo ſcilicet ſacramentali, oleo gratiæ ſuæ ſpecialis in hoc Sacramento conferri ſolitæ, & oleo interioris lætitiæ ex ſuſceptione hujus Sacramenti oriri ſolitæ. 3. Quomodo manus ipſius auxilietur ei; dum ſcilicet, ſicut olim ægris manus imponebat, & ſanabat; ita & nunc per hoc Sacramentum aut omnino confert ſanitatem, aut certè moleſtias morbi mitigat internâ conſolatione. 4. Quomodo brachium ſuum confortet eum; dum robur illi adverſus hoſtes confert, ut poſſit & fortiter pugnare, & feliciter ac glorioſè vincere.

1. Reg. 10. v. 1. III. Ex occaſione thematis: *Ecce unxit te Dominus ſuper hereditatem ſuam in Principem: & liberabis Populum ſuum de manibus inimicorum ejus:* poteſt explicari triplex Unctio, quâ DEUS quemlibet hominem Chriſtianum inungi ſinit ad ſimilitudinem triplicis Unctionis, quâ David olim inunctus eſt. Nam 1. ſicut ille in domo Patris ſui unctus eſt, & per eam Unctionem ad regnum initiatus; ita Chriſtianus in Eccleſia velut domo Patris ſui per Baptiſmum ad regnum cæleſte initiatur, & jus acquirit; quod beneficium tantò majus eſt, quantò plures ſunt Ethnici, præ quibus tanquam Fratribus eligitur ipſe ad hoc regnum. 2. Sicut David unctus eſt in Hebron, ut regnaret ſuper domum Juda, & poſt illam Unctionem varijs adverſitatibus agitatus fuit, atque probatus; ita & Chriſtianus per Chriſma confirmationis ungitur in Regem ſuper domum Juda, id eſt, Eccleſiæ actu *confitentis* Chriſtum, & ab eo tempore à varijs hoſtibus, (cùm ſit militia vita hominis ſuper terram) impugnatur. 3. Sicut David denique unctus eſt in Regem ſuper univerſum Iſraël, & tunc in pace paulò pòſt regnare cœpit; ita & per Sacramentum extremæ Unctionis inungitur Chriſtianus, ut ſit Rex ſuper cæleſte Jeruſalem velut regnum æternæ pacis. Tunc enim dicere poteſt cum S.
2. Tim. 4. v. 7. Paulo: Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi; de reliquo mihi repoſita eſt corona Juſtitiæ.

§. X.

MISCELLANEA.

Gen. 28. v. 18. I. CUm Jacob ſcalam in cælum vidiſſet, Deúmque ſcalæ innixum, manè evigilans tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper: appellavítque nomen urbis Bethel. Idem fecit Chriſtus, dum lapides in hoc mundo tunſionibus & preſſuris expolitos, ſibi, velut angulari lapidi, non priùs conjungi voluit, quàm oleum à ſe inſtitutum deſuper fuiſſet effuſum. Unde bis, ſcilicet in principio & fine vitæ inungi illos voluit, ut per primam Unctionem Baptiſmi initiarentur velut lapides Eccleſiæ militantis, per poſtremam velut lapides Eccleſiæ Triumphantis.

II. In Levitico præcepit DEUS: Anima, *Levit. 2. v. 1.* cùm obtulerit oblationem ſacrificij Domino, ſimila erit ejus oblatio, funderque ſuper eam oleum, & ponet thus. Quod aliqui de anima interpretantur, quæ velut panis mundus Domino offerri debet juxta illud S. Ignatij M. dictum: Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inveniar. Oleum & thus ſimul æ imponendum, materiam & formam Unctionis extremæ ſignificant, hæc enim faciunt, ut gratior DEO fiat oblatio.

III. Adumbravit Chriſtus in Evangelio hoc *Marc. 6.* Sacramentum, cùm Apoſtolos miſit, ut prædicarent Pœnitentiam, & ungerent oleo infirmos ad ſanandum eos; per hoc enim oleum indicare volebat nobilius oleum, quod ſuo tempore ad ſanandos & roborandos ægros inſtituere decreverat.

Utilitas.

IV. Olim Sacrificuli ſacrificaturi clamabant: *Fab. conc. 4. in Dom. 20. poſt Pentec.* Procul hinc ſit lotus & unctus; eò quòd Dæmones præſentibus Chriſtianis impedirentur à ſuis oraculis & deluſionibus; meritò ergo Chriſtiani oleo in fine inguntur, ut Diabolus, qui tunc deſcendit ad hominem in lectum, habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habeat, artes & fraudes ſuas exercere non poſſit.

§. XI.

AUTHORES.

I. PEtrus Caniſius p. 2. de Sacramentis Eccleſiæ.

II. Jacobus Marchantius in Horto Paſtorum tr. 4.

III. Laurentius Beirlinck in theatro vitæ humanæ v. eodem.

IV. Matthias Faber conc. 4. in Dom. 20. poſt Pent.

V. Antonius Dauroltius. in Catechiſmo hiſtoriali c. 51. tit. 50. & 51.

ANT 1742856

Digitized by Google